







CRITICAE
RATIONIS PURAE
EXPOSITIO
SYSTEMATICA.

AUTORE

CONRADO FRIDERICO A SCHMIDT-PHISELDEK

PHILOSOPHIAE APUD VNIUERSITATEM HAFNIENSEM
DOCTORE.

HAFNIAE, 1796.

APUD PROFT ET STORCH.

BACO.

NOUUM ORGANON Lib. I. Aph. CXXVI.

Senſui non derogamus, ſed miniſtramus, et intellectum non contemnimus, ſed regimus. Atqui melius eſt, ſcire quantum opus ſit, et tamen nos non penitus ſcire putare, quam penitus ſcire nos putare, et tamen nihil eorum quae opus eſt, ſcire.

PHILOSOPHIAE CRITICAE

SECUNDUM KANTIUM

EXPOSITIO

SYSTEMATICA.

AUTORE

CONRADO FRIDERICO A SCHMIDT - PHISELDEK

PHILOSOPHIAE APUD UNIUERSITATEM HAFNIENSEM

DOCTORE.

TOMUS PRIMUS

CRITICAM RATIONIS PURAE COMPLECTENS.

HAFNIAE, 1796.

APUD PROFT ET STORCH.

BACO DE VERULAMIO.

INSTAURATIO MAGNA. PRAEFATIO.

De nobis ipsis silemus. De re autem, quae agitur, petimus, vt homines eam non opinionem, sed opus esse cogitent; ac pro certo habeant, non sectae nos alicuius aut placiti, sed vtilitatis et amplitudinis humanae fundamenta moliri. Deinde, vt suis commodis aequi in commune consulant, et ipsi in partem veniant. Praeterea, vt bene sperent, neque instaurationem nostram vt quiddam infinitum et vltra mortale fingant, et animo concipiant; quum re vera sit infiniti erroris finis et terminus legitimus.

ILLUSTRISSIMO COMITI

RNESTO SCHIMMELMANN

GIAE MAIESTATI DANICAE A CONSILIIS STATUS INTI-
MIS, ORDINIS ELEPHANTI EQUITI AURATO, etc. etc.

R E L.

VIR ILLUSTRISSIME.

Quantum incrementi ex immortalibus Philoſophi Regiomontani ſcriptis non ſolum in ſcholarum ſtudia, ſed in omnem quoque rem publicam redundare neceſſe ſit, nemo Tᴇ interius perſpexit vnquam. Vbi enim id agitur, quod cognouiſſe rationabilis naturae intereſt maxime, — nimirum, quid ſcientia ſit, et quam late pateat, quid ſit honeſtum et ius, et vnde cognoſcantur, quinam ſint naturae humanae fines, quaeue detur ſpes, vltra fragilis huiusce vitae terminos erecta: — in hisce non ſcholarum tantum, ſed vniuerſi generis humani rem agi, rectiſſime exiſtimas. Quare vt in partem veniant et ii, quibus propter idiomatis diuerſitatem difficilior aut fere praecluſus ad Kantianorum voluminum fontes aditus eſt, optaſti ſaepius; et pro inſigni, quae in Tᴇ eſt, erga me beniuolentia hasce partes, hucusque videlicet inexpletas, a me ſuſcipi poſſe, arbitratus es.

Propterea, cuius operis perficiendi Tᴠ mihi otium feciſti, eius Tɪʙɪ primitias in gratiſſimi animi teſtimonium a me offerri, aequo animo

a 4 patia-

patiaris, meque, et quicquid in me est studii, de meliori et in posterum commendatum Tibi habere velis! Nosti, Vir Illustrissime, quantum distent inter se idea, quae veluti perfecti operis exemplar animo meditanti obuolitat, et ectypon illud, quod conditio humana permittit: nosti praeterea virium mearum tenuitatem, quae vt tanti operis ponderi sustinendo suffecerit, maxime vereor. Piam igitur potius mentem ferentis, quam muneris ipsius dignitatem intueri vt velis, hoc vltimum est, quod etiam atque etiam Te rogatum vult.

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Scribebam
Hafniae, Calend. April.
MDCCLXXXXVI.

obseruantissimus cultor
C. F. a Schmidt-Phiseldek
Philos. Doctor.

CON

CONSPECTUS OPERIS.

Historiam philoſophiae a primis inde exordiis euoluentes, variaque rei philoſophicae diſcrimina et commutationes animo recenſentes, nullo tamen aeuo tantas ſummorum ingeniorum inter ſe diſcordias, tantam animorum commotionem et omnis adeo rei publicae literariae perturbationem inueniemus, quanta noſtris temporibus exſtitit, ex quo Kantius nouam philoſophiae criticae doctrinam in lucem edidit. Pacem ferebat vir aequitatis pacisque ſtudioſiſſimus, philoſophorum longaeuas diſcordias ad harmonicum vnitatis principiorum concentum reuocando, et fontes errorum, vnde diſcrepantia inter ſe ſcholarum philoſophemata emanauerant, recludendo: at bellum et atrocia excitauit obſtrepentium diſſidia. Diuerſae enim philoſophorum ſcholae, quaelibet propria ſibi dogmata tuendo, viam aſperam ſatis, nec adhuc tritam, aut aſpernatae ſunt, aut vixdum media parte abſoluta, laſſae ſubſtiterunt. Nec aliud maius nouae doctrinae impedimentum obſuit, quam vt magna pars eorum,

 qui

qui ei perscrutandae operam dederunt, non liberi animis, sed praeiudicatis suis opinionibus fauentes ad studia haec accesserint. Indocilis enim plerumque mens humana refutari fugit, et quae semel pro veris habuerit, haud facile persuaderi potest, vt falsa fuisse confiteatur. Inde factum est, vt magna ex parte, non quid veri in re tam magna tamque inexspectata sit, sed quomodo stabilita cuiusuis scholae praecepta contra nouorum istorum hominum molimina atque aggressiones defendi possint, quaereretur; quemadmodum Cicero ait in Academicis: „nescio quomodo plerique errare „malunt, eamque sententiam, quam adamauerunt, pugna„cissime defendere, quam sine pertinacia, quid con„stantissime dicatur exquirere.„ Quanto autem magis ab aduersa parte laboratum est, ne quid ex temerariis criticorum philosophorum ineptibus detrimenti capiat res publica, tanto magis hi, coniunctis viribus adnisi sunt, ex ipsis aduersariorum discordiis et labante philosophiae statu necessitatem reformandae doctrinae demonstrando, quae in operibus Kantianis obscura inuenerant illustrando, criticaeque philosophiae et vim et dignitatem tuendo. Praeterlapso inprimis decennio summorum virorum studiis effectum est, vt praecepta Kantii generalia ad varias disciplinas, quae ex metaphysica scientia originem atque principia repetunt, applicarentur, et, quam late pateat ad omnem humanam scientiam reformandam et stabilioribus fundamentis firmandam apertus per Kantium campus, luce clarius pateficeret. Inde acrius exarsit certamen, tunc quilibet sibi vereri, ne artis suae fundamentis concus-

sis

ſis tota domus ruinam trahat, et omnis, quam in ea reficienda atque adornanda poſuerit, induſtria, perdita ſit. Et eſt adhuc ſub iudice lis; ſeu potius iudicem exſpectat, quum primum ambarum partium nimis feruida fortaſſis ſtudia ſubſidere incipient, omniaque, quae dura nimis et obſcura videntur, explicata atque probe ſatis intellecta erunt. Tunc, ſi quid augurari licet, pax iſta intentata a Kantio, vere poterit conciliari et genus humanum conſtanti ſibi, et ad reſoluenda, quae ipſi a natura propoſita videntur, problemata, aptiori philoſophia gaudere.

Hic cum eſſet philoſophiae per Germaniam ſtatus, ſaepiſſime mirati ſumus, quonam modo fieri potuerit, quod nemo exterarum nationum philoſophus Kantii ſcripta, in linguam vernaculam translata, popularibus ſuis tradere in animum induxerit; praeſertim quum, ſi quid boni egregiique inter ceteros exſtiterit, nemo Germano promtior ea ſibi vertendo propria facere ſoleat. Sed forſan difficile Kantianorum voluminum argumentum, et dictionis obſcuritas extraneos a tali conatu deterrere potuit.

Vt igitur et nos aliquid ad philoſophiae criticae incrementum pro virili conferamus, has nobis potiſſimum partes, a nullo alio duntaxat expletas, deſumſimus; cumque ad augendam ſcientiam non ſatis nobis virium ſentiamus, in exponenda non inutilis fortaſſe labor collocabitur. Conſulere igitur cupientes et iis, qui, literarum germanicarum expertes, aut non ita gnari, vt difficiliores Kantii libros intelligere poſſint,

eam

eam ob caussam philosophiae criticae fontes praeclusos sibi dolent; et istis quoque, qui, quamquam ex iis hauserint, tamen opus aliquod ordine systematico dispositum desiderant, quod totam huiusce doctrinae praeceptorum et argumentorum seriem ad systematis filum redactam praebeat, philosophiae criticae secundum Kantium expositionem systematicam latine redigere nobis proposuimus.

Haud infructuosam nec perditam talem operam fore, eo certius nobis pollicemur, quod per eiusmodi expositionem celeberrimis exterarum nationum philosophis facilior aditus ad philosophiam criticam pateat, et nostratibus multum ex istorum hac de re iudicio luminis redundare necesse sit. Iuuat cogitatione persequi, quantos philosophia fructus ex coniunctis omnium cuiusuis populi philosophorum studiis exspectare et possit et debeat, si satis felicibus nobis contingeret vt eorum industriam ad perscrutanda philosophiae criticae placita excitaremus.

Satis superque temporis hucusque vanis philosophorum quaestionibus tritum est, et metaphysica inprimis ars hanc ipsam ob caussam, vt argutiarum mater, a plerisque reiecta fuit. Tempus est, vt ab opprobriis internae doctorum dissensionis vindicata, primam, quae ipsi debetur inter scientias, sedem philosophia occupet, et quae per eam ad felicitatem, tranquillitatem, et solatium hominum, et ad spem eorum vltra fragilis huiusce vitae terminum erigendam doctissimis meditationibus eruta sunt, in publicam vtilita

litatem conuertantur. Hoc autem omnino fieri nequit, niſi vnitate quadam inter doctos hisce de rebus iudices conciliata. Ad hanc autem non dico efficiendam, verum accelerandam tamen, hoc opere a nobis annunciato aliquid ſaltem conferre ſtudebimus.

Cur vero latine ſcribere inſtituerimus, ea aperte patet ratio, quod non, ſicut tempore Ciceronis, latina finibus exiguis continentur amplius, ſed ab omnibus omnium gentium doctis viris paſſim leguntur; germanica vero, inprimis difficiliora illa Kantiana, ſuapte natura anguſtis ſane limitibus coerceantur.

Si quis autem foret, qui, cur non ipſos potius libros Kantianos ad literam latine reddere voluerimus, e nobis quaereret, triplex ad hoc reſponſio eſt. Primum enim, quum plane nouam philoſophandi rationem induceret Kantius, multa operibus ſuis immiſcere debuit, quae non proprie ad ſyſtematis filum pertinerent, nec neceſſarie ad eius principia placitaque tuenda requirerentur. Multa igitur adiecit, quae ad comparationem doctrinae ſuae cum celeberrimorum ante ipſum philoſophorum placitis ſpectant: multa polemico, ſi verbo vti licet, more adſperſa ſunt; et ſaepius in demonſtrando, ipſo perſpicuitatis amore ductus, nimius indeque obſcurior factus eſt. Deinde autem, quamquam in vniuerſi admirabilis ordo appareat, atque integrarum partium totius operis aptiſ-

ſima

sima dispositio, tamen in singulis non semper ordinem systematicum Kantius secutus est. Saepe enim occurrit, vt anteriora quaedam suo, quo constituta sunt, loco perspicuitate careant, et per ea primum, quae subinde longo post interuallo sequuntur, lucem desideratam accipiant; saepe quoque consectaria quaedam ex praecedentibus, non ipso eo, quo debebant, loco subiecta sunt, sed multum infra aliis passim locis inueniuntur; ita, vt animo ea, ex quibus deducta sunt, argumenta non amplius praesentia obuersentur, sed reuoluere librum et ad principia recurrere lector coactus sit.

Haec atque talia in tanto opere vix, ac ne vix quidem, euitari poterant; superiora autem, quae dixi non ad systematis seriem proprie pertinentia, necessaria adeo in primordiis fuere.

Quum autem, experientia edocti, quantae difficultates in Kantianis voluminibus perscrutandis vincendae sint compertum habeamus, faciliorem viam ingredi atque omissis ceteris, philosophiam criticam ex ipsius Kantii libris ad systematis filum redigere constituimus: ita tamen vt, quantum fieri potest, nec ab ipsius placitis, neque probationibus ipsorum aliquid desideretur, et ad ceterorum quoque philosophorum opiniones, quantum opus est, ad Kantiana illustranda, respiciatur.

Hoc postremum more non solum de exteris, sed de nostris quoque aliquid merebimur, quod mera ver-

sio-

sione effici non poterat. Sic enim redactum opus etiam iis, quibus obscuriora Kantii volumina videbuntur, inseruiet, et Kantium ipsum legere cupientibus viam ad faciliorem eius intellectum patefaciet.

Quod autem ad operis nostri dispositionem proprie attinet, tripartita erit eiusdem, ex instituto Kantii, potissimum ratio.

Quum enim in eo praesertim philosophia laboraret, quod certis vniuersalibusque principiis careret, aut si quaedam essent eiusmodi principia, eorum vsum vltra ius fasque extenderet, Kantius, ad dissoluendas philosophorum hac ex re ortas disceptationes, rationem ipsam atque intelligendi facultatem iudicio censuit esse submittendam. Antequam enim facultate aliqua mentis nostrae ad inde deducenda cognitionis principia vtamur, omnino videndum erit, quae sit eiusdem natura, quae vis; explorandumque, num quid ad efficienda principia generalia valeat, et qua in re, quaeque sint eius primitiuae et necessariae conditiones, qui limites, vltra quos eiusdem vsus extendi nequeat.

In perscrutanda igitur humanae mentis natura, et dimetiendo omnis cognitionis humanae campo, ea, quam tractauit Kantius, versatur philosophia critica, nomenque ipsum e re traxit.

Tribus autem potissimum partibus hocce opus criticum Kantius peregit. Videndum enim erat, quantum ratio humana valeat, primum ad efficienda

artis

artis metaphysicae principia; emetiendus erat ambitus omnis theoreticae cognitionis, quam mens humana capit, singulaeque cognoscendi vires, quae naturae insunt nostrae exquirendae. Sua deinde cuique provincia erat assignanda, et accurate circumscribenda, ne lineae transeantur, ex quarum transgressu omnis, quae veterem philosophiam turbauit, rixa orta est. Hanc primam partem, omnibusque fundamentalem, Kantius opere illo absoluit, quod criticam rationis purae, quasi censurae submittens rationem humanam, appellauit. Haec igitur ad cognitionem tantum, eiusque, vt ita dicam, mensuram pertinet; deinde autem, quum non cognitione sola efficiatur, sed et voluntas eidem insit; diuersa ea quidem a naturali appetiendi auersandique instinctu, vtpote quae facultas sit, qua ad agendum secundum leges ab ipsa ratione sibi propositas homo impellitur (quas quidem leges principia voluntatis appellare licet): videndum erat, quibusnam legibus haec voluntas adstricta sit. Resoluenda igitur erat ea quaestio, an empiricis tantum seu ab experientia petitis conditionibus haec volendi facultas teneatur, ita vt quid velle debeamus, tantum ex consequentiis rerum et successu, quatenus meditando hunc praeuidere licet, diiudicetur, an insit rationi nostrae principium aliquod practicum et quale sit illud, per quod voluntas rationabilis regatur; ita vt id, quod quaerimus, honestum a certo quodam fundamento officii, non ab incerto euentu repetendum sit? Hanc alte-

alteram disquisitionis suae partem, cui omnis morum philosophia superstrui debet, duobus libris metaphysica scilicet morum et critica rationis practicae, Kantius peregit. Scilicet ratio, quatenus principia continet voluntatis secundum certas leges determinandae, practica potest vocari. Imperium enim actionum nostrarum ratio sibi vindicat, et certa quaedam et irrevocabilia agendi praecepta constituit. Quod autem in agendo (Graecis πρασσειν;) versatur, id practicum iure appellamus; inde vero vocabulum, vtpote aptissimum, in Kantii philosophemata transiit.

Quum vero e critica rationis purae supra laudata, luculentissime emergat, omnem eam operam, quam ad nostra vsque tempora philosophi in deducendis more demonstratiuo religionis praeceptis impenderunt, frustraneam fuisse, quoniam omnia eorum argumenta communi eo vitio laborant, quod in eis a conceptibus meris ad obiectorum realitatem concludatur; alius certe erat, isque limpidior fons quaerendus, ex quo illa, a quibus omnis humanae vitae tranquillitas, omne aduersis in rebus solatium pendet, religionis dogmata deriuarentur. Rationis autem, sicut antea dictum est, duplex omnino cernitur vsus, theoreticus unus, qui ad cognoscendum pertinet, practicus alter, qui in regenda per legem moralem voluntate versatur. In hoc autem altero illud, quod a priori frustra repetebatur, religionis fundamentum inuentum est. Lex enim ea moralis, quam philosophia practica constituit,

conuenientiam aliquam naturae cum regno morali neceſſarie poſtulat.

Nam quum dignos nos reddere felicitate, nec quomodo eam adipiſcamur, ſed quo tandem more ea digni ſimus, id vnice ſpectare iubemur, haec dignitas vt aliquando laeto ſucceſſu gaudeat, idque, quo ſe dignum monſtrauerit, homo nanciſcatur, neceſſe eſt; niſi forte omnem legis et vim et autoritatem prorſus abolere velis: quum autem naturae ſenſibilis, quatenus experientia edocti eam cognoſcimus, nulla omnino appareat cum regno morali conuenientia, ſed propriis ſibi diuerſisque legibus regatur, ſummum aliquem mundi tam moralis quam phyſici rectorem poſtulare iure noſtro debemus, per quem natura ſecundum legem moralem regatur, ita vt, quae diſcordia videntur eſſe naturae et morum principia, aliquo tandem tempore eo, quem ratio noſtra flagitat, modo inter ſe coniungantur. Quum vero his in terris neque mens humana legi, abſolute tamen, quid fieri debeat imperanti ſufficiat, ſenſuum perturbationibus quippe nimis obnoxia, neque ex dignitatis lege ea, quae ad phyſica pertinet, felicitas diſtributa cernatur; inde iuſta euadit concluſio, alteram nobis vitam deberi, vbi ea, quae hic deſideratur, regni moralis cum phyſico conuenientia reperiri poſſit.

Haec obiter et eum tantum in finem adiecta ſunt, vt inde, quaenam inter philoſophiam morum et religionis praecepta coniunctio ſit, illuſtretur. Paucis enim

enim ostendendum erat, quo iure Kantius dogmata religionis fundamentalia parti potius practicae quam theoreticae annexa esse voluerit.

Transeamus iam ad tertiam philosophiae criticae partem, quae quidem critica facultatis iudicatiuae efficitur. Ea pars, secundum temporis quo apparuit ordinem tertia, suapte autem natura media inter duas priores earumque quasi consiliatrix appellari potest. Facultatem videlicet iudicatiuam Kantius eam appellat mentis humanae vim, secundum quam specialia, tanquam comprehensa sub vniuersalibus cogitantur.

Philosophiae autem pars practica, quae de principio aliquo libertatis a sensibus alieno et prorsus intellectuali agit, a parte theoretica, quae versatur in cognitione conditionum legumque earum, secundum quas natura in sensus cadens, (vtpote natura φαινόμενον) a nobis percipi et iusto experientiae filo connecti possit, immenso, vt ita dicam, spatio distat, ita vt iusta demonstrationis via transgredi ab vna ad alteram nullo modo possis. Eadem tamen philosophia practica influxum aliquem mundi moralis in physicum necessarie postulat: constituitur enim a lege morali finis quidam convenientiae naturae cum ipsa, et entia ratione praedita ad efficiendum istum finem vires intendere iubentur. Subsumitur igitur natura sub libertatem necessario quodam postulandi modo, indeque efficitur, legibus adstrictam eidem naturae formam inesse debere, secundum quam ea, quae postulatur, vni-

tas atque conuenientia tanquam poſſibilis cogitari queat. Quum autem generales naturae leges ab ea ipſa cognoſcendi facultate conſtituantur, quae nos ad eius experientiam ducit; multo quidem diuerſam illam a mera perceptione; — hac enim multifaria in ſenſus cadentia intuemur, experientia autem diuerſa iſta ad cognitionis vnitatem, ſerie quadam cauſſalitatis continuam, reducimus; — multae tamen ſuperſunt particulares naturae leges, quae generalibus iſtis non comprehenduntur. Hae igitur, ſicut generales iſtae originem ab intellectu trahunt, ita a facultate iudicatiua ſub fines ingenii alicuius a noſtro diuerſi ſubſumuntur, et ad iſtos fines efficiendos apte conſtitutae reputantur, vt inde cohaerens ſuis partibus naturae experientia et congrua cum ingenii noſtri facultatibus efficiatur. Hoc, quo iure fiat, quo principio, in critica facultatis iudicatiuae disquiritur.

Conuenientia autem obiecti cum fine aliquo conſtituto, quam breuitatis et aptitudinis cauſſa finalitatem appellare liceat, duplex eſſe poteſt, primum ſubiectiua, quae conſiſtit in harmonia aliqua obiecti per intuitionem apprehenſi cum mentis noſtrae facultatibus. Haec ſi adeſt, voluptate aliqua, qua ſenſum afficit, proditur; ſin ea caret obiectum, aegritudine afficimur. Inde quoniam ſubiectiua haec finalitas percipitur ſenſibus, quos αἰϑησεις Graeci vocant, aeſthetica poteſt appellari.

Alte-

Altera autem est, eaque obiectiua finalitas, quae consistit in conuenientia formae obiecti dati cum eiusdem conceptu omni experientia anteriore. Hanc teleologicam appellamus; declaratur enim obiecti conuenientia cum fine aliquo (τελος) per intellectus facultatem constituto.

Facultas igitur iudicatiua duplex esse cernitur; vel aesthetica, quatenus finalitatem subiectiuam, vel teleologica, quando obiectiuam diiudicat. Vtriusque igitur principia per criticam facultatis iudicatiuae indaganda, eorumque applicatio, prioris ad pulchrarum artium doctrinam, posterioris ad theologiam et naturalem et ethicam constituendam demonstranda erat.

Hisce potissimum tribus partibus, quas hic breuiter tantum et ad argumenti ostensionem persecuti sumus, opus suum criticum Kantius absoluit. Sequitur inde, illud exposituris nobis quoque tripartitam curam fore, ita vt parte operis prima critica rationis purae, altera practicae, vna cum metaphysica morum, (quae arctissime cum eadem cohaeret,) tertia facultatis iudicatiuae exponatur.

Haec ad operis nostri argumentum in genere. De methodo iam ante dictum est; systematicam nempe, vtpote quae facillimum totius operis conspectum praebet et ad eius aut firmitatem perspiciendam aut defectus intelligendos magis apta videtur, potissimam duximus.

Superest, vt de iis dicamus, qui viam, quam aperuerat Kantius, secuti, in illustranda, augenda atque exornanda philosophia critica felicissimam atque maxima laude dignam operam collocauerunt. Videri fortasse quibusdam posset, ista scientiae augmenta, quae ab hisce allata sunt, a nobis filo systematis condendi inseri atque innecti debere. Verum hanc nobis licentiam sumere propterea noluimus, quod verendum foret, ne tali modo falsa aut male a nobis intellecta pro veris assumerentur, aut extraneiis illis partibus haud consentaneus in systemate assignaretur locus. Praeterea quoque lectori liberum super doctrina Kantii iudicium relinquendum censuimus, quo omnino priuaretur, si non mera et integra nullisque alienis partibus intermixta eiusdem philosophemata exponerentur. Iam igitur absolutam, Lector beneuole, huiusce operis primam partem habes, ad quam, quae Kantius ipse praefatus est, iam nunc audiamus.

PRAE

PRAEFATIO KANTII.

Vtrum in tractatione cognitionum, in quibus comparandis rationis officium cernitur, securum ingressi scientiae tramitem procedamus, nec ne, ex euentu facile diiudicatur. Quando enim magna apparatus mole conquisita, vbi ad summam rei peruentum est, haeretur, et retrogredi saepius, aliamque, priori relicta, viam quaerere cogimur, nec inter diversos ad eundem scopum scientiae condendae properantes consensus circa methodum, qua id, quod communiter quaerunt, obtineatur, conciliari potest: tunc apparet luce clarius, latam certamque scientiae viam, qua in eiusmodi studio promouendo insistendum sit, nondum esse inuentam: sed passim huc illuc per deuia locorum circumuagari. Bene igitur de ratione meretur, si quis hanc ipsi viam indicare potuerit; etiamsi eam persequendo multa a dextra laeuaque relinquenda sint, quae curuis semitarum ambagibus obtineri posse sperauerámus.

Logicam scientiam iam a primis inde exordiis lato certoque isto, quem descripsimus, scientiae tramite

 incef-

incessisse: ex eo licet colligere, quod ab Aristotelis inde temporibus numquam ipsi retrogrediendum, nec immutandum aliquid fuerit, nisi forsan remotam passim infructuosam quorumdam subtilitatem, aut accuratiorem singulorum expositionem in computum pertrahere velimus, quae tamen magis ad elegantiam, quam ipsius scientiae securitatem perfectionemue pertinent. Similiter et hoc quoque notatu dignum est, quod nec incremento vllo in ipsa locus fuerit hucusque, ita vt perfecta et in se teres atque rotunda esse videatur. Quae enim a recentioribus quibusdam addita fuerunt capita tam *psychologica*, de variis facultatibus cognoscitiuis; quam *metaphysica*, circa cognitionum originem, certitudinisque, secundum obiectorum varietatem differentiam specificam; *anthropologica* denique, quae de praeiudicatis opinionibus caussisque earum et medelis tractant, ea omnia reiicienda sunt, tanquam alienae farraginis elementa, per inscitiam verae scientiae logicae indolis male illata. Haud enim amplificantur sed deformantur varia scientiae genera, finibus, quibus disscreta suapte natura sunt, perturbatis. Termini autem, quibus logica scientia includitur, accurate definiti sunt: est enim scientia ea, quae leges formales cogitationis (nulla neue originis, siue a priori sit illa siue empirica, nec obiectorum, quae cognoscuntur, differentiae, nec conditionum subiectiuarum, quibus adstricta est cogitatio in mente humana, ratione habita) large exponit, atque stricte demonstrat.

Quod adeo egregie successerit logicae, tam mature ad scientiae legitimae fastigium elatae, eius rei caus-

caussa in arcto eiusdem atque facilius explorabili ambitu quaerenda est, secundum quem ab omni obiectorum cognitionis natura, eorumque diuersitate, abstrahere non permittitur solum, verum etiam iubetur; ita vt intellectui in ea condenda vnice cum semet ipso legibusque, secundum quas cognoscit, formalibus res agatur. Simul autem intelligimus, multo difficiliorem rationi ad genuinam scientiam aditum fuisse, quando non semet ipsam, sed obiecta quoque explorare atque cognoscere praesumit. Quo fit, vt tamquam in atrio scientiae constitutam logicam considerare liceat, ac vbi de rerum cognitione agitur, eius censura quidem ad logicam pertineat, fons autem cognitionis in scientiis, proprie atque obiectiue sic dictis, positus esse censeatur.

Quatenus autem scientia aliqua ad rationis dominium pertinere iudicatur, in ipsa vt aliquid cognoscatur a priori necesse est. Cognitio autem obiectiua ad obiectum suum referri potest duplici more, ita vt cognitio obiectum simul cum conceptu ipsius alieunde dato *determinet* tantum, aut ipsum hoc obiectum realiter *efficiat*. Quae prioris est generis, cognitio rationis *theoretica*, quae ad alterum pertinet, *practica* vocatur.

Vtriusque quae *pura* est pars, in qua ratio obiectum suum prorsus a priori determinat, separari a ceteris, nec cum elementis alicunde affluentibus (empiricis) commisceri debet, ne rerum exoriantur perturbationes, quibus, si male olim processerit conatus noster scientificus, impediamur, quominus a quanam parte laboretur, distinguere possimus.

 Duo

Duo sunt cognitionum rationis theoreticarum genera, quae obiecta sua determinare debent a priori, *mathesis* videlicet atque *scientia naturalis*, (physica) quarum prior prorsus pura est, altera alios quoque cognitionis fontes praeter rationem puram agnoscit.

Quousque historia duce ad origines rationis humanae remeare licet, semper *mathesis*, ab admirabili Graecorum populo tractata, securo scientiae demonstrabilis tramite processit. Verumtamen haud existimandum est, aeque facili ac in logicis opera ad regiam istam viam peruentum fuisse. Vero similius mihi videtur, in mathematicis sicut in ceteris cognitionibus obiectiuis diu multumque circumuagatum fuisse: (in primis, dum ab Aegyptiis colebatur adhuc) rectae vero methodi inuentionem a *reuolutione* aliqua repetendam esse, quam felix vnius viri in singulo experimento successus ita perfecit atque stabiliuit, vt certa, qua incedendum erat, et inerrabili via delineata, posteritati securus in infinitum scientiae progressus aperiretur. Quaenam fuerit ista certae cognitionis comparandae tam frugifera innouatio, quisue autor ipsius exstiterit, certo historiae documento comprobare non possumus. Attamen quae Diogenes tradit Laertius — apud quem nomina reperimus eorum, qui etiam minimorum geometricae demonstrationis elementorum, in quibus secundum iudicium vulgare ne probationi quidem locus est, autores ferebantur — *) hoc sal-

*) Conf. Diog. Laert. *περι βιων δογματων και ἀποφθεγματων των ἐν φιλοσοφια ἐυδοκιμησαντων.* Lib. I. Seg. 25. 27. II. 1. 2. VIII. 11. 12. 83.

ſaltem oſtendunt, memoriam huiusce commutationis, quae per prima nouae viae veſtigia efficiebatur, mathematicis ita eximii ponderis viſam fuiſſe, vt obliuioni iſtam quouis modo eripere ſtuduerint. Nam qui primus *triangulum aequilaterum* demonſtrauit, (ſiue *Thales* ille ſeu quilibet alter fuerit) ei noua protinus lux affulſit. Videbat enim, non iis, quae conſpiciuntur in figura, aut mero eiusdem conceptui, inſiſtendum, nec attributa ipſius a figura iam praeſenti ediſcenda eſſe, verum e contrario haec attributa ſecundum ea, quae per conceptus in figura a priori cogitarentur, atque exhiberentur in conſtructione, eſſe producenda: vtque a priori aliquid certo cognoſci poſſit, nihil in re ſpectari debere, praeter id, quod ex iis, quae ſecundum conceptus in ipſam illata eſſent, neceſſario conſequeretur.

Longior multo mora fuit, antequam in doctrina naturali certa ſcientiae legitimae via inueniretur. Nondum enim duo elapſa ſunt ſaecula, ex quo *Baconis* Verulamii, philoſophi acutiſſimi, conſilio haec via partim detecta, partim, quum eius veſtigia iam antea apparuiſſent, latius patefacta eſt; nouae autem huiusce inuentionis prima origo ex ſubita methodi cognoſcendi inuerſione pariter ac in matheſi explicanda eſt. Quod vt amplius illuſtretur, pauca tantum, quae e re eſſe videntur, de progreſſibus ſcientiae naturalis, quatenus *empiricis* principiis nititur, allegabimus.

Quo primum tempore Galilaeus ſphaeras ſuas pondere ad libitum conſtituto a plano inclinato fecit decurrere, et poſt eum *Torricellius* aeri pondus ſuſtinendum dedit, quod ante experimentum columnae

aquae

aquae noti ſibi ponderis par et aequum cogitauerat, nec non poſt longius interuallum *Stahlius* metalla in calcem redegit rurſusque in priſtinum ſtatum metallinum reuocauit, tunc omnibus naturae explorandae incumbentibus nouum ex inopinato lumen exortum eſt. Iam enim comprehendebant, rationem ea tantum intelligere, quae ipſa ſecundum conſilium a priori conſtitutum producit; huic igitur eſſe praeeundum naturae, legum certarum et perpetuarum principiis ducentibus, nec vero a natura nos quaſi verſoria circumagi debere, quo tandem deferamur neſcii; alias enim obſeruationum contingens exiſtit moles, abſque propoſito anterius deliberato congregata, nec in vna certa et neceſſaria lege cohaerens, ſine qua tamen nulla rationabilis datur cognitio. Ita igitur potius accedendum eſt ad naturam, vt principiis rationis, vnde phaenomenis correſpondentibus vis accedit *legum* naturalium, praeſto ſit experimentum, ſecundum ipſa haec principia excogitatum, nec qui a natura rite cupit edoceri diſcipuli fungatur officio, omnia quaecunque magiſtro videntur accipientis, ſed iudicis potius ſuſtineat vices, qui teſtes ad reſpondendum quaeſtionibus propoſitis adigit. Sic igitur ipſa naturalis ſcientia foecundam iuſtae cognitionis inuerſionem methodi ingenioſo eius conſilio acceptam refert, qui primus ea, quae a natura diſcenda ſunt, quorumque per ſe ratio expers foret, ſecundum eas leges quaerere inſtituit, quibus conſentaneam eſſe debere naturam a priori cognoſcitur. Hoc primum modo phyſica poſt multorum ſaeculorum errores certam, qua ſecure procedere poſſit, ſcientiae legitimae viam nacta eſt.

Meta-

Metaphyfica, quae cognitio eft rationis fpeculatiuae fola per fe ftans, et fupra omnem experimentalem doctrinam elata, in qua, ratione magiftra fimul et difcipulo, omnia cognofcuntur ex conceptibus nec applicationi eorumdem ad intuitum (vti in mathematicis) locus eft: hucusque haud ita felici forte gauifa fuit, vt fecurum fcientiae tramitem nancifceretur; quamuis ceteras omnes et vetuftate antecellat et indolis praeftantia, quae quidem talis eft, vt fi cuncta repentino barbariae impetu deglutirentur, haec fola omnem fcientiae humanae ruinam fuperatura foret.

Nihilominus tamen in metaphyficis haeremus vsque; adeo in iis legibus, quae communi experientia probari vulgò cenfentur, a priori demonftrandis, et decies relegendum iter, quod paullulum progreffi eo non perducere intelligimus, quo tenditur. Quod autem ad confenfum doctorum pertinet, qui huic ftudio operam oleumque impenderunt, huius vmquam conciliandi ne fpes quidem fuit hucufque, ita vt areae fimilem metaphyficam dicere liceat, ad lufus et exercitia gladiatoria praeparatae, in qua ne vnus quidem depugnatorum ceteris validior propriam fibi et quietam fedem comparare, aut parta fibi ad tempus ita tueri potuit, vt legitimae poffeffionis titulum acquireret. Nullum igitur iam dubium eft, in metaphyficis hucusque praetentatum fuiffe incertis viae autoribus, quo factum eft, vt labyrintho impedirentur eo magis inextricabili, quo magis in meris conceptibus filo omni externo praebito deftituimur.

Quae-

Quaenam vero subesse potest caussa, cur in hoc cognitionis genere nondum ad rectam scientiae viam peruenerimus? Nullane eiusmodi in hoc genere daretur omnino? — At incredibile est, cum natura rationem nostram tam insatiabili eiusdem inueniendae desiderio dotauerit, vt nihil inuestigatione nostra dignius, nihil antiquius nobis fere reputemus? Et hercule, quam male rationis ductu consideretur, si in eo, quod scitu interest maxime, non solum nos destitueret, verum etiam falsa veri inueniendi spe allicitos postremum deciperet. Aberratum igitur hucusque fuisse rectius existimatur, nec a proposito tanquam felicis successus impossibilitate perspecta, desistendum est. Iam igitur videamus, quae nobis, inuestigationem instaurantibus, iudicia faustiorem reliquorum conatibus euentum auspicari possint.

Exempla habemus reformatae per subitam methodi cognoscendi conuersionem tam mathematicae quam naturalis scientiae. Cuius faustae innouationis quod praecipuum erat, in metaphysicis quoque, quantum horum analogia cum ceteris cognitionibus rationabilibus patitur, imitantes, forsan et in hisce posse proficere consentaneum est. Hucusque communiter acceptum fuit, cognitionem omnem ad obiecta totam accommodatam esse debere, qua quidem suppositione omnes conatus, ad augendam secundum conceptus a priori cognitionem spectantes, funditus euerti oportuit.

Hac igitur via nihil proficientes, age experiamur, an melius fortassis problematum metaphysicorum solutio

lutio cedat, si ex opposito obiecta omnia ad cognitionem nostram accommodata esse debere statuimus: quae sententia ceteroquin eo iam se commendat, quod magis cum possibilitate cognitionis obiectorum a priori, (quae de obiectis, antequam exhibeantur nobis aliquid pronuntiat) consentire videtur. Similis est haec sententia consilio Copernici, qui, quum male cedere motuum coelestium explicationem intelligeret, quamdiu cum veteribus astra omnia circum spectatorem orbes conficere statueretur, inuertit rem, et spectatorem circumagi, astra vero quiescere primum experimenti caussa suppofuit, quam deinde opinionem subsequens obseruatio et thematum coeli congrua atque consentiens explicatio ad certitudinem theoriae demonstrabilis euexit. In metaphysica simili experimento locus est quoad intuitionem obiectorum. Si praesentem intuitum ad obiectorum naturam accommodari oporteret, tunc, quomodo a priori de hisce sciri aliquid posset, haud intelligitur; si vero ex opposito obiectum, *qua sensibile*, ad facultatis, quae in nobis est, intuitiuae naturam accommodari debet, tunc possibilitati cognitionis a priori concipiendae nihil obstat amplius. Verum in intuitionibus solis, ad cognitionem nimirum intellectualem non sufficientibus subsisti nequit, sed ipsae, qua repraesentationes, ad obiectum aliquod referendae sunt, quod secundum ipsas determinatur. Haec vero obiectorum determinatio fit per *conceptus*, de quibus iterum duplex datur sententia. Aut *enim conceptus* ad obiectum accommodati sunt et conformantur, aut obiectum, siue quod idem est *experientia*, in qua sola obiecta exhiberi possunt,

ſunt, conceptibus a priori conſentit. Priorem ſententiam adoptantibus eadem occurrit, quam in ſimplici intuitu vidimus, difficultas: haud enim intelligitur quomodo hoc more ſciri aliquid poſſit a priori. Altera facilior eſt multo, et expeditiorem viam promittit. Ipſa enim experientia modus eſt cognoſcendi, qui intellectum ſupponit: intellectus autem legem aliquam, ſecundum quam cognoſcit, in me ipſo ante obiectorum exhibitionem, ergo a priori, praeſumere cogor, quae per conceptus a priori expreſſa formam conſtituit cognitionis a priori, cum qua omnia experientiae obiecta neceſſario conſentire debent.

Quod autem ad obiecta attinet, quatenus a ſola ratione neceſſarie quidem cogitantur, at (ita ſaltem, quemadmodum ratio ea cogitat) in experientia exhiberi nequeunt omnino; horum cogitandorum conatus, a ratione intentati, Lydii inſtar lapidis ſcrutinio erunt eius principii, in quo ſumma eſt et caput nouae cognoſcendi methodi, ſecundum quod ea tantum in rebus cognoſcuntur a priori, quae e mentis cognoſcentis receſſibus depromta ad obiectorum cognitionem ipſi attulerimus. *)

Hoc

*) Haec e ſcientia naturali repetita methodus in eo verſatur potiſſimum, vt elementa rationis purae in iis tantum quaeramus, *quae experimento aut confirmari poſſunt aut refutari.* Ad explorandam autem veritatem propoſitionum rationis purae, inprimis earum, quae vltra omnem experientiam poſſibilem aliquid definiunt, experimento circa obiecta ipſa (vti in ſcientia naturali) inſtituendo locus eſſe nequit. Igitur circa *conceptus* tantum atque *axiomata* a priori conſtituta experimentum poterit inſtitui. Horum autem ea eſſe debet indoles, ſecundum quam objecta reſpectu duplici conſiderari poſſunt; vna ex

parte,

Hoc autem, quale proposuimus, experimentum, ex voto succedit, et metaphysicae, quantum ad primam eius partem attinet, in qua de conceptibus a priori tractatur, quibus obiectum correspondens in experientia dari potest, securam scientiae viam promittit. Methodo enim cognoscendi ita commutata, quemadmodum indicauimus, non solum possibilitas cognitionis a priori facile comprehenditur, sed et leges, quae naturae, tanquam complexui omnium experientiae obiectorum fundamento sunt, argumentis sufficientibus comprobari possunt; id quod secundum methodum hucusque obseruatam fieri nequiuerat. Verum ex hac facultatis, quae in nobis est, de obiectis a priori statuendi deductione, in prima metaphysicae parte instituta, summa aliqua prodit inopinata, quaeque primo adspectu finem vltimum metaphysicae, circa quem pars eius altera occupatur, funditus videtur euertere. Emergit enim ex ista deductione, nullam vltra experientiae possibilis terminos cognitionem a priori dari omnino; in qua tamen comparanda cardo omnis huius scientiae vertitur. Hic autem cognitioni nostrae terminus a priori constitutus, experimentum suppeditat, ex quo veritas eius digno-

parte, quatenus tanquam obiecta sensuum atque intellectus ad experientiam possibilem pertinent, a parte vero altera quatenus a ratione sola cognitionem vltra experientiae terminos extendere quaerente cogitantur. Sic rebus duplici hoc respectu consideratis, si rationem puram cum principiis suis concordare, simplici autem cognitionis methodo tantum concessa, inevitabilem rationis cum semet ipsa discordiam oriri videmus, tunc prioris distinctionis experimento confirmatur necessitas.

dignoſcitur, quod de cognitionis rationalis a priori indole naturaque antea ſtatuimus, ſcilicet hanc cognitionem tantum ad phaenomena pertinere, rem ipſam vero, qualis eſt per ſe, veram quidem eam, at nobis neceſſario incognitam nec vnquam cognoſcibilem, non tangere. Illud enim, quod ad egrediendum vltra experientiae fines et phaenomenorum in genere complexum nos adigit atque compellit, *abſolutum* eſt, quod ratio in rebus per ſe neceſſario et optimo iure requirit, et in quo ſeriem conditionum, a quibus obiectum conditionatum pendet, claudi perficique poſtulat. Simulac igitur hoc fuerit demonſtratum, id quod quaeritur abſolutum *non poſſe cogitari ſine contradictione,* quamdiu cognitionem empiricam ab obiectis, tanquam rebus per ſe, determinari arbitramur: aſt e contrario *hanc contradictionem nullam eſſe atque tolli penitus*, quando oppoſitam ſententiam ſtabilimus, noſtram ſcilicet, quam de obiectis in experientia exhibitis habemus, repraeſentationem non ab hisce tanquam rebus per ſe determinari; ſed haec ipſa obiecta, qua phaenomena, ſecundum noſtrum ipſa repraeſentandi modum, a priori ſubiecto repraeſentanti inhaerentem, comparata atque accommodata eſſe debere: tunc ea, quam primum experimenti cauſſa aſſumſeramus, ſententia ad vim dignitatemque principii certi conſtantisque euehitur. *)

Licet

*) Hoc rationis purae experimentum ſimile eſt experimento Chemicorum, quod interdum *reductionem*, communiter tamen *proceſſum ſyntheticum* appellare ſolent. Analyſis enim metaphyſicorum cognitionem puram a priori in duo elementa reſoluit, valde disparia, quorum vnum, cognitionem obiectorum,

quoad

Licet autem demonſtratum fuerit, rationi ſpeculatiuae omnem in ſupraſenſibilium prouincia progreſſum eſſe denegatum, tamen hoc ſupereſt, vt exploremus: num fortaſſis a parte cognitionis practica data inueniantur, ſecundum quae conceptus transſcendens abſoluti poſſit determinari, ita vt haec, quam metaphyſica ambit, cognitio eorum, quae vltra experientiae terminos poſita ſunt, ſaltem reſpectu practico attingi poſſit. Ad hanc autem inueſtigationem ratio ſpeculatiua nobis aditum aperuit, locumque aſſignavit, quem ipſa explere non valet. Quare argumentis a parte practica petitis vacuum illud, ſi poſſumus, exple-

quoad phaenomenon, alterum eorumdem, quatenus res ſunt per ſe, comprehendit. Dialectica autem ambo haec elementa *ad concentum* reuocat cum neceſſaria rationis idea de *abſoluto*, demonſtratque, hunc concentum numquam poſſe conciliari, niſi differentia iſta ſtabilita; ſicque hanc eſſe veram atque principii conſtitutiui loco habendam confirmat. Sic leges centrales motuum coeleſtium ſyſtemati Copernicano, primum hypothetice tantum atque experimenti cauſſa aſſumto, certam fidem compararunt, ſimulque inuiſibili iſti, qua omne hoc vniverſum continetur, vi attractionis a Newtonio in lucem prolatae demonſtrandae inſeruiunt, quae numquam detecta fuiſſet, niſi prior Copernicus contra teſtimonium ſenſuum motus a ſe obſeruatos non in obiectis in coelo conſpicuis, ſed in ſpectatore ipſo poſitos aſſerere auſus eſſet. Sicuti autem quae nunc theoria eſt apodictice certa, in primordiis mera fuerat hypotheſis in experimenti adminiculum aſſumta, ſic et nos in hac praefatione, innouationem iſtam methodi cognoſcendi, quae in tractatu ipſo ex indole repraeſentationum noſtrarum de ſpatio ac tempore conceptuumque elementarium natura non hypothetice ſed apodictice demonſtrabitur, tarquam hypotheſin exhibemus animo lectoris, eum in finem, vt quaenam ſit metaphyſicae cum ceteris cognitionibus rationalibus analogia, perſpiciat, et quae prima ſint eiusmodi innouationis exordia, ſemper hypothetica, comprehendat.

explere non permittimur solum, verum etiam iubemur; quum, vti in superioribus dictum est, ratio irresistibili aliquo desiderio ad resoluenda summa metaphysices problemata feratur.

Critica autem rationis purae speculatiuae, quam subsequens nostrum exhibet volumen, expositionem continet principiorum, quibus innisi, ad exemplum geometrarum et philosophorum naturae reformare consuetum in metaphysicis philosophandi morem per totalem methodi cognoscendi inuersionem ausi sumus. Tractatum igitur continet de methodo, non systema ipsius scientiae; verum tamen schema ipsius completum, tam quoad ambitum, quam quoad internam eiusdem structuram, sistit. Hoc enim rationis purae speculatiuae proprium est ac genuinum, quod insitam sibi facultatem metiri, quantumque secundum obiectorum, in quibus cognoscendis versari potest, varietatem, in vno quoque genere proficere ipsi concessum est, definire a priori, nec non omnia, quae sibimet ipsi suapte natura proponere cogitur, problemata complete enumerare, sicque monogramma exactum systematis metaphysici delineare et potest et, quia potest, debet quoque. Quod enim ad cognitionis mensuram pertinet, eam propterea aestimari posse a priori intelligimus, quoniam obiectis nihil tribui potest a priori praeter id, quod subiectum cogitans ex se ipso depromit; ambitum autem totius systematis inde a priori adumbrari posse colligitur, quoniam ratio quoad principia cognitionis vnitas est secreta et in se perfecta, in qua quodlibet membrum tamquam in corpore organico cum ceteris ita connexum est, vt omnia

vnius

vnius, et singula vniuersorum caussa adesse videantur, nec principium aliquod respectu *vno* accipi potest, nisi antea *omnimodam* eius ad vniuersum rationis vsum purum relationem accurate determinaueris. Inde autem singularis metaphysicae exoritur fauor, qui reliquarum scientiarum rationalium in obiectis cognoscendis occupatarum nulli potest obtingere, quod scilicet, simulac criticae nostrae adiumento securam scientiae viam nacta fuerit, omnem cognitionum ad partes suam pertinentium prouinciam perfecte dignoscere, statimque opus suum consummare atque posteritati tanquam summam aut fundamentum aliquod omnis cognitionis, nullius ipsum amplius augmenti capax, tradere potest. Haec autem sic absoluta ipsius perfectio haud foret possibilis, nisi in hac scientia tantum de principiis vsus rationis puri, eiusdemque limitibus, per ipsa haec principia determinatis ageretur. Iure igitur haec completa et in se perfecta ambitus ipsius perfectio a metaphysica tanquam scientia fundamentali postulatur, et de ipsa hoc dictum esse existimandum est praecipue, nil actum reputans, si quid superesset agendum.

Verum quinam, inquies, aut cuius pretii iste est thesaurus, quem in metaphysica per sanam criticam expurgata et ad permanentem scientiae statum redacta posteritati traditurum te esse polliceris? Primo quidem aspectu huius operis vsum omnem ipsius vnice *negatiuum* esse videbitur, dum ne aliquid speculatiuae nobis cognitionis arrogemus in eis, quae experientiae prouinciam excedunt, prohibemur; hicque reuera primus est ipsius vsus. Hic autem propere abit

in *positiuum*, simulac intelligimus, ista principia quibus via ratio speculatiua terminos experientiae excedere conatur, non ad amplificandum sed ad coarctandum potius rationis vsum tendere, dum scilicet cognitionis sensitiuae prouinciam, ad quam proprie ista principia pertinent, supra modum amplificando vsui practico rationis purae necessarie derogatur.

Quapropter critica siue censura rationis, quatenus limitibus iustis rationem speculatiuam circumscribit, *negatiua* quidem est: dum vero per id ipsum impedimentum aliquod e medio tollit, quod practicum eiusdem rationis vsum tollere atque abolere funditus minabatur, *positiuam* eamque eximii ponderis vtilitatem habet. Quando enim hac de re persuasum habemus, dari vsum rationis purae practicum prorsus necessarium in constituenda lege morali, in quo exercendo sensualitatis fines excedimus; tunc de eo quoque constabit, rationem, quamuis a parte speculatiua nihil auxilii capiat, tamen a repugnantia huiusce tutam esse debere, ne contradictionem cum semet ipsa incurrat. In hoc autem critica versatur omnis, cuius ministerio qui positiuum vsum denegare vellet, idem faceret, ac si nullam esse administrationis ciuilis vtilitatem positiuam contenderet, quoniam in eo potissimum occupatur, ne quis ciuis vim inferat alii, vtque omnes securi negotium quisque suum possint peragere. In parte analytica criticae nostrae hoc demonstratur potissimum, esse spatium ac tempus formas tantum intuitionis sensualis, atque conditiones existentiae rerum, in quantum hae res phaenomena sunt in sensibus exhibita; porro omnes conceptus per

intel-

intellectum — quae elementa sunt cognitionis rerum, — nullam habere realitatem, nisi quatenus hisce conceptibus intuitio correspondens sisti potest, vnde efficitur nullam de obiecto aliquo cognitionem esse possibilem, quatenus hoc tanquam res per se consideratur, sed in tantum vnice posse cognosci, quatenus idem obiectum est intuitionis sensualis, i. e. phaenomenon. Sic autem omnis cognitio rationis speculatiuae ad obiecta experientiae possibilis vnice restringitur. Attamen probe notandum est, hoc semper nobis reseruari, vt eadem obiecta, tanquam res per se, quamuis non *cognoscere* at *cogitare* tamen possimus *) alias enim contradictoria inde atque absurda proflueret sententia, scilicet, apparitionem phaenomeni absque aliquo, quod appareat, posse existere. Iam igitur experimenti caussa ponamus, distinctionem istam per criticam nostram stabilitam, qua res tanquam obiecta experientiae, a se ipsis, tanquam rebus per se secernuntur, haud excogitatam esse omnino. Tunc sane principium caussalitatis, cumque hoc mechanismus

 natu-

*) Vt obiectum aliquod *cognoscam*, ad id requiritur, vt possibilitatem ipsius (siue testimonio experientiae per realem ipsius praesentiam siue a priori per rationem) demonstrare possim. Cogitare autem licet omnia, quae sibi ipsis non contradicunt, i. e. quorum conceptus possibilitati cognitionis non repugnat, quamuis ignoremus, an tali cogitato in complexu omnium possibilium obiectum correspondeat, nec ne. Vt autem eiusmodi conceptui valorem aliquem obiectiuum siue possibilitatem realem (prior enim mera logica erat) tribuere possim, ad id praeter possibilitatem conceptus argumenta alicunde data requiruntur, quae tamen non in theoreticae tantum cognitionis fontibus quaerenda sunt, sed et in practicis possunt inueniri.

naturalis de omnibus rebus in genere tanquam caussis agentibus valeret vniuersaliter. Sic igitur de ente vno eodemque, v. c. anima humana, non liceret dicere, esse eius voluntatem liberam, simulque necessitati naturali obnoxiam, (i. e. non liberam) nisi manifestam contradictionem incurrere velimus: quoniam in sententia vtraque anima vno eodemque significatu proposita est, nimirum, quasi res per se; id quod nisi praevia critica fieri aliter nequiuerat. Verum si critica nostra obiectum sensu duplici accipi debere, — qua phaenomenon scilicet et res per se — recte demonstrauit, sicque iusta conceptuum a priori deductio inventa fuerit, tunc principium caussalitatis tantum ad res sensu priori cogitatas, quatenus nimirum obiecta sunt experientiae, spectat: eaedem vero significatu altero ipsius legi adstrictae non erunt. Sic igitur eadem voluntas in phaenomeno (i. e. actionibus visibilibus) tanquam legi naturali necessario consentiens, ergo non libera, at altera ex parte tamen, quatenus rei per se inhaeret, ab ista necessitate exemta, ergo libera, poterit cogitari, nec a contradictione nobis metuendum erit. Quamuis autem animam meam respectu posteriori nec per rationem speculatiuam nec per contemplationem empiricam explorare, atque per consequens nec libertatem, tanquam attributum entis alicuius, cui effectus in mundo sensibili tribuimus, *cognoscere* detur; (quod enim temporis lege solutum est, qua res per se, hoc secundum existentiam quale sit, nequit determinari, quoniam conceptus ipsius intuitione correspondente caret) attamen libertatem *cogitare* licet. Ipsius enim repraesentatio contradictionem

non

non incurrit, simulac sententia nostra de duplici repraesentationum genere, sensitiuo videlicet atque intellectuali, bene fundata est, et per consequens delimitato conceptuum purorum principiorumque ex ipsis deriuatorum ambitu certo constat. Ponamus autem in doctrina morum libertatem sensu strictissimo tanquam necessarium voluntatis nostrae attributum supponi; et principia quaedam practica rationi a priori inhaerentia posse allegari, quae sine hac libertatis suppositione prorsus impossibilia iudicanda essent, simul autem per rationem speculatiuam esse demonstratum, eandem omnino cogitari non posse libertatem; tunc suppositio ista moralis ei deberet concedere, cuius oppositum contradictionem inuolueret. Sic igitur libertas, vnâque natura hominis moralis, (cuius oppositum contradictorium non est, nisi libertate iam supposita) in mechanismo naturali euanescerent. At secundum nostram theoriam ad stabiliendam doctrinam morum hoc tantum opus est, vt libertas sibi ipsi non contradicat, ergo cogitari possit. Nec requiritur, ipsam vt interius cognoscamus, modo ne legem mechanismi naturalis in eadem actione, alio respectu considerata, euertat. Locus igitur doctrinae morali iuxta naturalem relinquitur, obiecto vnicuique suo assignato, quod sane obtineri non potuisset, nisi critica nobis ignorantiam inuincibilem circa res per se reuelasset, omnibus, quae theoretice cognosci possunt, ad phaenomena vnice restrictis. Pari modo vtilitatem principiorum criticorum rationis purae in recte sistendis conceptibus de Deo et simplici animae natura possemus ostendere, in praefationis modum excedere vereremur. Esse igi-

tur Deum, libertatem, animaeque immortalem naturam hoc in necessarium rationis practicae vsum ne assumi quidem potest, nisi exterminata prius cognitionis speculatiuae de rebus suprasensibilibus arrogantia. A parte enim speculatiua ad eiusmodi cognitionem haud peruenitur, nisi per applicationem principiorum, quae, — dum re vera tantum de obiectis experientiae possibilis valent, — simulac ad ea adhibentur, quae in experientia exhiberi nequeunt, haec ipsa in phaenomena conuertunt, sicque cognitionis augmentum, per rationem puram a parte practica quaesitum, impossibile reddunt. *Scientiae* igitur arrogantia tollenda erat, vt locus *Fidei* rationabili pandatur, nec *incredulitas*, moralitatis fundamenta dogmatice, vti sibi videtur, euertens, e medio tolli poterat, nisi origine eius, pertinacia scilicet metaphysicorum dogmatica, quae criticam facultatis cognoscitiuae respuit, ante denudata. Quapropter quum haud ita difficile esse videatur, vt posteritati systema exactum metaphysicae secundum principia rationis purae exstructum transmittamus, haud vilipendendum ipsi donum existimamus relinqui. Magna enim ipsius prostat vtilitas, siue ad culturam rationis respicimus, quae per legitimam scientiae viam procedens augetur, incertis vero semitarum ambagibus et temerariis absque critica circumuagationibus perturbatur; siue emolumentum spectamus iuuentutis discendi cupidae, quae per consuetum in metaphysicis dogmatismum mature ad scientiae iactationem nouarumque coniecturarum de rebus vltra omnem cognitionis possibilis terminum positis audaciam prouocatur, quibus irretita a studio scien-

tiarum

tiarum solidarum solet abduci. Maximum vero, quod ex ipsa percipitur, commodum, hoc est, quod in posterum omnia, quae contra moralitatem religionemue obiicientur, more Socratico per euidentem ignorantiae aduersariorum demonstrationem breui manu abscindi poterunt. Semper enim, quamdiu cogitatum fuit, aliqua metaphysica exstitit, aderitque et in posterum, quamdiu cogitabitur; cumque hac, discordia aliqua rationis purae, quippe naturaliter dialecticae, semper inuenietur. Quare summum est atque indispensabile philosophiae officium, vt errorum fonte praecluso rationem rectissima via ad consensum cum semet ipsa reducat.

Quantumuis autem haec in scientiae prouincia innouatio insolens, et quam deplorabilis ruina magnae partis eorum, quae hucusque ratio speaculatiua cognita sibi et perspecta interius habere putauerat, possit videri; attamen in iis, quae ad commoda spectant humani generis vsumque, quem ex doctrinis rationis purae res publica cepit hucusque, nihil innouatur omnino. Quae enim detrahuntur, haud rem tangunt generis humani, sed scholarum tantum; quam sibi solis reseruatam putauerant, arcanam quasi disciplinam denudant. Licet enim vel rigidissimum dogmaticae scholae philosophum interrogemus, num argumentum pro immortalitate animae a simplicitate substantiae desumtum, aut demonstratio liberi arbitrii a subtili inter necessitatem practicam subiectiuam et obiectiuam distinctione petita, aut denique probatio existentiae diuinae ex conceptu entis realissimi, siue contingentia omnis mutabilis et necessitate primi motoris

euo-

euoluta — num, inquam, haec et quae eiusdem sunt generis argumenta vnquam scholarum parietes excedentia in publicum vsum transierint, aut aliquid ad multitudinem hominum edocendam valuerint? renuet, atque negare nobiscum cogetur. Quod ni factum est, nec per intellectus communis ad tam subtiles quaestiones tenuitatem vnquam exspectari poterit, tunc bene consultum est generi humano, nec eius, quod ipsius interest maxime, aliquid derogatur. Quae enim intellectui communi conuincendo semper apta fuerunt, haud ea sunt, quae allegauimus: sed in immortalitate probanda, dispositio naturalis, quam in se quisque sentit, per omnia, quae terrestris haec vita praebet, vsque inexplebilis, spem confirmauit *vitae futurae.* Clara autem officiorum, quibus contra omnes appetituum cupidinumque renisus obligamur, exposito conscientiam excitauit *libertatis;* denique immensi huiusce vniuersi ordo atque decor, prouidaque, quam omnis natura praeconatur, cura, in mediis ad fines sapientissime constitutos praeparandis conspicua, *fidem*, quae *existentiae summi cuiusdam rerum omnium conditoris et moderatoris* habetur, sola potuit efficere, quatenus haec fides argumentis a ratione petitis innititur. Horum autem argumentorum non solum intacta manet possessio, sed et autoritas ipsis maior conciliari videtur, dum scilicet scholae admonentur, ne in rebus, quae ad vniuersi generis humani commoda spectant altiorem sibi amplioremue cognitionem arrogent, ac ea est, ad quam maior hominum eaque sine dubio optima multitudo quoque peruenire possit, simulque ad horum, quae ab omnibus comprehendi possunt, et practico respe-

respectu sola sufficiunt, argumentorum culturam sese restringere iubentur. Omnis igitur per criticam nostram intentata commutatio vnice ad arrogantiam scholarum spectat, quae etiam hisce in rebus id perhibent, quod in multis aliis iure contendunt; scilicet reconditum esse sibi thesaurum verae et genuinae cognitionis, e quo quantum videretur dispensantes, clauem tamen sibi et aditus mysterium reseruarent; ita vt applicari possit in eas, quod ait Horatius: quod mecum ignorat solus vult scire videri.

Simul tamen id, quod iure philosophus postulare possit, ipsi reseruamus. Custoditur enim apud ipsum criticae rationis purae scientia, sacrum veluti pignus, et in commune salutare, quamquam a plerisque ignoretur. Haec enim captui populari numquam accommodata esse poterit, nec opus est. Sicuti enim veritatum vtilium argumenta subtilia a vulgo hominum non percipiuntur, sic nec obiectiones contra ipsas aeque subtiliter excogitatae intellectum communem perturbant. Verum quoniam in scholis philosophorum sicuti in vno quoque ingenio ad meditationem speculatiuam naturaliter inclinante et argumenta ista et obiectiones ipsis oppositae necessario exoriuntur; propterea sanae philosophiae est disquirere, quantum iuris et legitimae possessionis rite sibi ratio speculatiua possit vindicare, vt per ipsius sententiam aliquando lis illa terminetur, quae inter metaphysicos, quibus adeo religionis ministri sese immiscere solent, ad nauseam vsque agitata fuit, et tandem ad aures populi non sine scandalo ingenti penetrans omni sanae doctrinae exitium

tium minatur. In tali autem per criticam disciplinam praeparata sententia vnicum est aduersus diuersa pestiferae corruptionis genera sub varia materialismi vel fatalismi, atheismi, et incredulitatis profundioris philosophiae speciem affectantis, nec non fanatismi et vanae superstitionis specie venundata remedium: pariterque, quae scholis magis quam rei publicae perturbandae idonea videntur idealismi et scepticismi systemata per criticam hanc decisionem eradicari post longorum temporum irritos conatus tandem poterunt. Quod autem ad eos attinet, qui rei publicae praesunt, hi, siquidem doctorum curis sese immiscere visum sibi fuerit, multo rectius, et sapienti de scientiis et generis humani cultura sollicitudine dignius agerent, libertati studii criticae fouentes; quam si ridiculo scholarum imperio manus nimis faciles praeberent. Vi enim male succurritur ruenti per se aedificio, nec audiendus clamor, quem dogmatici tollunt communiter, quasi de re publica ageretur, quando telis ipsorum arachneis interitus praeparatur, quae tamen, quum propter nimiam tenuitatem a maxima parte numquam adspecta sint, nec amissa poterunt doleri.

Pugnat autem critica nostra non contra dogmaticam rationis in cognitione scientifice redigenda formam: omnis enim scientia *dogmatice* i. e. ex certis principiis a priori demonstrari posse debet; sed dogmatismum aggreditur, in quo arrogantia est, quae cognitionem puram ex conceptibus, siue philosophicam secundum principia, quae diuturno rationis vsu obtinuerunt, posse perfici confidit, nec quo tandem more ad ista principia

cipia

cipia peruentum ſit, aut quo iure valeant, ſciſcitatur. Eſt igitur dogmatiſmus dogmatica in cognitionibus rationis purae condendis tractatio absque praeuio facultatis ſuae examine inſtituta. Haud igitur quae contra dogmatiſmum attulimus, ita ſunt accipienda, quaſi verboſam illam et ſtabili fundamento deſtitutam philoſophematum farraginem, quae per popularis doctrinae ſpecioſum cognomen fauorem ſibi aliquem conciliauit, laudaremus; nec ſcepticiſmo anſa praebetur, qui breui manu omnem metaphyſicam de medio tollere ſibi viſus eſt plerumque. Verum e contrario critica noſtra neceſſarium continet apparatum; ex quo ſcientiae metaphyſicae ſolidum aliquando aedificium concinnari poteſt. Hoc autem, quatenus ſcientificum eſſe debet, more dogmatico et ad rigidam ſyſtematis formam (ergo haud ad modum popularis doctrinae ſed ad normam ſcholaſticam) exſtrui debet. Nec deprecari rigidiorem hanc formam metaphyſica poteſt, quoniam ſe penitus a priori, et poſtulatis rationis purae conformiter, negotium ſuum peracturam eſſe ſpondet.

Quando igitur olim ſecundum ſchema illud, quod critica noſtra delineauit, genuinae metaphyſicae ſyſtema condetur, tunc exactae illi methodo inſiſtendum erit, quam *Wolfius*, dogmaticorum philoſophorum facile princeps, inſtaurauit, primus exemplo docens, quonam modo per legitimam principiorum expoſitionem et exactam conceptuum definitionem vna cum demonſtrationis rigore et ſaltus in conſequentiis metu certa ſcientiae demonſtrabilis via tenenda ſit. Ipſe quoque et metaphyſicam ſcientiam lato hoc tramite du-

cendi

cendi praecipuus autor fuisset, si in mentem hoc ipsi venisset, aream sibi per organi systematis, ipsius scilicet rationis purae, censuram prius explanandam esse, antequam opus ipsum aggrederetur. Hic vero praeparationis necessariae neglectus non ipsi sed potius dogmaticae formae, qua tunc temporis imbuti erant omnes, tribuendum est. De iis autem, quibus nec methodus Wolfii nec criticae nostrae consilium placet, nihil aliud licet augurari, quam velle eos, scientiae legitimae vinculis penitus excussis, seria in lusum, certitudinem in commenta opinionum variabilia, philosophiam denique in philodoxiam conuertere!

CRIT

CRITICAE RATIONIS PURAE EXPOSITIO SYSTEMATICA.

INTRODUCTIO.

Definitur hac introductione ſcientia critica, qualis ſit, et quam late pateat, atque in ſuas partes diſtribuitur.

I.

Cognitio humana non unice ab experientia deriuatur, ſed diſtinguimus inter cognitionem empiricam et puram.

Omnem humanam cognitionem ab experientia ordiri, nemo eſt qui dubitare poſſit. Facultas enim cognoſcitiua excitatur ab obiectis, quae ſenſus noſtros afficiunt; quibus ſic affectis et naſcuntur impreſſionum formae ſeu repraeſentationes, et intellectus *mouetur* ad eas comparandas et cogitatione aut coniungendas aut ſeparandas. Ita per mentis operationem ex impreſſionibus ſenſuum ea obiectorum cognitio efficitur, quam experientiam vocamus. Haec igitur, quoad tempus, omni alia cognitione anterior eſt.

Quamquam autem omnis nostra cognitio ordiatur ab experientia, inde tamen non efficitur omnem omnino cognitionem ex fonte veluti experientiae profluere. Cogitari enim potest, ipsam hanc experimentalem siue empiricam cognitionem a potiori tantum denominatam, atque ex duobus diuersis elementis compositam esse, quorum primum in eo, quod per sensuum impressiones accipimus, alterum in eo, quod facultas cognoscitiua, occasione tantum a sensibus data, ex se ipsa promit et addit, constaret.

Inde nascitur quaestio accuratiori disquisitione digna nec primo statim adspectu diiudicanda, ea scilicet, num detur cognitio ab omni experientia et sensuum adeo impressionibus prorsus libera et independens, nec ne? Cognitiones huius generis, si quae sunt, cognitiones a priori solemus appellare, distinguendo eas ab empirica cognitione, quam a posteriori ab experientia scilicet repetitam dicimus.

Cognitionis a priori vis et significatio saepius male intellecta, et ad designandam eam quoque scientiam adhibita est, quae quamquam non ab experientia aliqua singulari tamen a generali quadam experientiae regula, quam multis similibus collectis superstructam tenebamus, deriuata esset. Vt igitur suus vocabulo sit honos et accurate definita significatio, eam solum dicimus cognitionem a priori, quae prorsus ab omni experientia libera exsistit, ita ut e contrario opposita sit cognitioni experimentali quippe quae vnice ex fonte experientiae i. e. a posteriori hauriri potest.

Pura autem appellatur cognitio a priori, quando ei, quod a priori iudicatur, nihil omnino ab experientia petitum admixtum est.

Mixta, si tale quid ei annexum cernitur, vti in hoc: Omnis mutatio congruam sibi caussam habet

quo

quod quidem iudicium quatenus ad caussalitatem spectat, a priori, quatenus vero de mutatione agit, cuius conceptus empiricus est, ab experientia tenet.

II.

Characteres distinctiui, quibus cognitio a priori ab empirica secernitur, sunt: necessitas cognitioni inhaerens, et vniversalitas absoluta. Dantur eiusmodi cognitiones a priori in mente humana.

Definitionibus supra expositis, nunc omnino videndum est, quibus notis cognitio pura ab empirica distinguatur. Hic autem ad duo momenta praecipue attendi velim. *Primum enim* experientia quidem attributa rerum, qualia inueniuntur, ostendit; at rem aliter constitutam esse *non posse*, hoc omnino non docet: sin igitur cognitio aliqua proposita nobis esset, cui necessitatis internae praedicatum atque inseperabile inhaereret, hanc omnino cognitionem a priori constitutam reputare deberemus. *Secundo loco.* Iudicia ab experientia repetita nunquam absolutam seu perfectam vniuersalitem inuoluunt; sin autem vniuersaliter accipiuntur hoc temere fit et tantum *comparatiue* intelligendum *est* velut si diceres: animalia omnia post mortem in partes dissoluuntur; quia inueniri etiam possent, quae saxorum duritiem post mortem contraherent, vti de ranis quibusdam fabulatum fuit. Vniuersalitas igitur iudiciorum empiricorum semper hac formula restringenda est: prouti hucusque obseruauimus. —

Sin autem inuenirentur iudicia vniuersalitatem absolutam inuoluentia, i. e. talem, in qua ne exceptionis quidem possibilitas concederetur, haec sane non ab experientia petita, sed *pura* et a priori ex mentis opera-

operatione producta indicanda essent. Sequitur inde, necessitatem internam et vniuersalitatem absolutam certa esse cognitionis purae criteria. Eiusmodi autem cognitiones puras siue iudicia pura a priori vere inesse menti humanae, huius rei luculentissimum argumentum in demonstrationibus Mathematicorum positum est; tres enim additis tribus alteris sex efficere, et lateribus Trianguli aequis, aequales angulos oppositos esse, *necessarie* cogitatur. Praeterea autem ex communi intellectus vsu axioma illud, omnem mutationem a caussa congrua pendere, exemplo esse potest. Vniuersalitas enim absoluta huic assertioni inest, conceptus enim caussae effectum necessarie sibi adiungit: nec audiendus, ceteroquin acutissimus Hume, qui eum ex consuetudine perpetua combinationis repraesentationum deducere gestit. Sublata enim necessitate etiam conceptus omnis de caussa tolleretur.

Nec in iudiciis tantum verum etiam in conceptibus origo a priori per necessitatem cum vniuersalitate coniunctam proditur. Omnia enim, quae experientia largitur, tolli etiam et a cogitatione obiecti remoueri possunt; quae autem tunc necessariae et vniuersales notiones supererunt, eas menti *a priori* inesse iure putandum est. Si enim v. c. a conceptu corporis cuiusdam omne id secernas, quod ab experientia pe titum videtur, tamen notionem spatii in quo, siue loci, vbi positum erat et substantiae, ut substrati accidentalium tollere omnino e cogitatione non poteris Ex quo efficitur, notiones spatii et substantiae esse notiones a priori nec ab experientia petitas.

III.

De nisu rationis, cognitionem extra limites experientiae efferendi. Ratio nostra vl..r hos fines sese efferens ipsa se decipit, dum res a sensibus prorsus alienas cognoscere gestit. Hac fraude ne decipiamur, inquirendum est circa cognitionis a priori possibilitatem, principia, limites.

Hucusque de iis cognitionibus a priori diximus, quibus correspondens obiectum in experientia dari potest. Verum ratio humana hisce non contenta omnem empiriae campum plane relinquere atque per conceptus omni obiecto sensibili destitutos limites cognitionis humanae vltra possibilem adeo experientiam efferre studet.

Atque eo magis huic studio innititur, quo graniora sibi problemata in prouincia intelligibili extra mundi sensibilis terminos proposita videt. Eas enim quas omnino resolui ratio pura postulat quaestiones, de libertate, de immortalitate, de Ente summo, citra experientiae fines positas intelligimus. *Metaphysica* autem *scientia*, quae proprie ad hocce negotium efficiendum condita atque aptata fuit, hucusque *dogmatice* i. e. sine praeuia virium rationis humanae examine, an huic operi perficiendo idoneae ac sufficientes inueniantur — more statim doctrinali hisce de rebus statuere ausa est; ex quo quidem vitio fallaciae rationis necessarie profluere debebant. Mirum omnino videri posset, scientiae aedificium condi atque componi antequam fundamenta principiorum certa ea quidem et constantia sibi, iacta sint, vel systema cognitionum a priori confici, antequam disquisitionibus exactis compertum habeas, qua tandem via intellectus humanus ad haec cognita a priori peruenerit, quisque eorum sit ambitus, quae vis, quodue pretium. Ve-

rum hic in genere solet esse fragilitatis humanae error, haec inconstantia, vt quam citissime speciosum aliquod condecorare systema festinet, et tum primum an fundamenta satis firma sint, inquirere incipiat. Duplex autem hac in re praesertim erroris caussa subest, cur ratio facultatis suae omisso examine statim ad condendam scientiam progressa sit. *Primum* decepta fuit exemplo matheseos. Haec enim quantum ratio in cognitionibus a priori sine auxilio experientiae proficere possit splendidissimis argumentis ostendit; ratio autem, oblita grauissimi sane momenti, et quod maxime ad rem facit, scilicet hanc scientiam eatenus tantum ex conceptibus statuere, *quatenus hisce obiecta in intuitione correspondentia exhiberi possunt*, hisce progressibus gaudens ad statuendum a priori circa obiecta in intuitione nequaquam repraesentabilia sese accinxit.

Secundo autem loco per vitium aliquod subreptionis non probe intellectum ratio securam sibi possessionem putat cognitionum a priori, quas tamen per hoc vitium temere sibi vindicauerat. Maxima enim rationis occupatio versatur in analysi conceptuum eorum, quos iam circa obiecta habemus. Haec vero analysis multas nobis cognitiones praebet, quae tamen nihil novi penitus afferunt nec nisi in explicandis et illustrandis eis momentis versantur, quae iam in conceptu ipso implicite cogitata fuerant. Verum dum resoluere conceptus putat, nouorum quippe cognitionum cupida ratio alienas saepissime partes conceptibus addit, quae haud quaquam implicite in iis contenta sunt, nec cognitionem explicant sed additamento extraneo augent. De hoc itaque duplici cognoscendi genere, quo aut explicantur aut augentur cognitiones, iam nunc est dicendum.

IV.

Duplex est, quoad argumentum, iudiciorum genus. Sunt enim vel analytica, quibus explicatur, vel synthetica, quibus augetur cognitio.

In vno quoque iudicio duplex (si assertoria tantum consideramus, ad negatiua enim facilis posthac fiet applicatio) cogitari potest modus, quomodo praedicatum sese ad subiectum habeat; aut enim praedicatum B ita cum subiecto A coniunctum est, ut, quamquam implicite, in conceptu ipsius A inuolutum contineatur, aut illud B plane extra conceptum subiecti A positum eique tantum annexum est. Si primus, iudicium vocatur analyticum, sin posterius, syntheticum appellabimus. Sunt igitur iudicia analytica (assertoria) ea, in quibus nexus praedicati cum subiecto per *identitatem* cogitatur, *synthetica* vero, in quibus nexus nullus adest per identitatem sed per *assumtionem* primum efficitur. Iudicia analytica igitur per euolutionem conceptus singuli, secundum principium contradictionis, Conf. Analytic. transscendendal. Lib. II. c. 2. sect. prior. §. 2., synthetica, per connexum duorum fiunt. Illa quoque iudicia *explicatoria*, haec *amplificantia* appellare possis; praedicatum enim iudicii analytici nihil ad augendum de subiecto conceptum addit, vti, cum dicas: „omnia corpora extensa sunt," quoniam notio extensi iam vt pars quaedam essentialis notioni corporis inhaeret. In iudicio autem synthetico ambitum omnis in notione subiecti comprehensae cognitionis relinquentes et vltra subiectum egressi praedicatum quaerimus, quod vt propinquum ipsi, adiungere, minime autem vt connatum rursus conceptui inserere liceat.

V.

Synthesis in iudiciis empiricis fit per experientiam, quae nihil adminiculi affert in iudiciis a priori. Iudicia omnia experimentalia (siue empirica) vt talia synthetica sunt. In analyticis experientia non egemus, ex ipso enim subiecti conceptu iam iudicium analyticum constituitur.

Corpora omnia esse extensa, *a priori* constat nec ab experientia repetitur, quoniam vt ante dictum est, in conceptu corporis notio extensi iam comprehenditur inde quoque huic iudicio necessitas inhaeret, quam experientia minime sistere valet. In eo vero iudicio per quod omnia corpora grauia esse statuitur, extra conceptus corporis argumentum egredimur; grauitatis enim attributum huic conceptui non inhaeret. Ad eandem igitur, quae conceptum corporis suppeditauerat, experientiam, fit regressus, cumque in hac experientia attributum grauitatis semper coniunctum cum illis momentis inueniatur, quae notionem corporis efficiebant, idcirco hoc attributum cum ea notione synthetice siue per augmentum coniungitur. Possibilitas igitur iudicii istius synthetici in experientia sita est, in qua hi conceptus grauitatis et corporis v partes totalitatis experientiae coniuncti inueniuntur.

In syntheticis autem iudiciis *a priori* formandis hoc experientiae adminiculo plane destituimur. S enim vltra conceptum subiecti A egressus, alium quemdam conceptum B cum priori in iudicio synthetico ita coniunxerim, vt caussa cur ita fecerim, non quemadmodum fit in empiricis iudiciis, ab experientia petatur, quonam tandem satis idoneo fundamento haec conceptuum diuersorum coniunctio nitetur, v inde iure eam factam esse probari possit? Si v. c. in

iudico

iudico: *Omne quod fit a caussa idonea pendet*, hoc iudicium nullo modo nec pro analytico, haberi potest, quoniam in conceptu eius quod fit minime conceptus caussae continetur, nec pro empirice synthetico, quoniam experientia rerum quidem successionem continuam, verum non nexum caussalem, indicat, cui necessitas et vniuersalitas absoluta inhaeret. Incognitum igitur aliquod menti humanae vehiculum, attamen necessarium illud et commune in omnibus, inesse debet, per quod mentis humanae ea operatio iustificari et idoneis argumentis probari possit, quando scilicet alienam aliquam a conceptu subiecti notionem, vt praedicatum, cum hoc coniungi debere concludit.

Sin igitur ab erroribus nobis cauere et fundamentis rite positis felici in scientiis condendis successu gaudere volumus, ante omnia necesse erit, vt summum hoc rationis problema (de quo paullo infra pluribus) circa synthesin a priori soluatur. Nam

VI.

In omnibus theoreticis scientiis continentur iudicia synthetica a priori, vt earum principia fundamentalia.

Theoreticas scientias eas appellamus, quae facultates mentis nostrae cognoscitiuas circa obiecta extra subiectum cogitans posita exercent; eae ad tres hasce principales, mathesin puta, physicam, et metaphysicam reduci possunt.

1) *Iudicia mathematica omnia sunt synthetica.* Hoc ita se habere quam diutissime philosophos circa cognitionum nostrarum naturam inquirentes latuit. Cum enim syllogismorum mathematicorum seriem, pro more omnis certitudinis euidentis seu apodicticae,

 ex

ex principio contradictionis procedere appareret, inde axiomata quoque Mathematicorum ex eodem principio cognosçi, propterea que analytica non synthetica esse opinati sunt. In quo quidem aberratum est; propositiones enim mathematicae ex principio quidem contradictionis, verum non nisi assumta alia praeuia propositione synthetica, ex qua vt corollaria deducuntur, cognosci possunt, at nunquam *per se* ex hoc principio possunt elici, id quod iam nunc pluribus demonstrandum est.

Quum vero omnes mathematicae propositiones semper a priori enuntientur, utpote quae necessitatem, quam experientia non largitur, inhaerentem sibi habeant, ex omni scientiae huius ambitu exempla repetere liceret. Attamen, vt iis satisfiat, qui iis omnibus communem hanc qualitatem a priori esse mihi fortasse non concederent, ad istas Matheseos partes quarum ipsa definitio iam non empiricas eas sed a priori cogitatas esse indicat, Arithmeticam et Geometricam puram me referam.

Vt igitur exemplo vtar ex Arithmetica pura repetito, illam propositionem, qua 7 additis 5, duodecim efficere enuntiatur, ad primum omnino adspectum ex ipso de summa e duabus partibus, 7 et 5 conflata conceptu secundum principium contradictionis *profluere* atque idcirco analyticam esse iudicare liceret. Verum accuratius rem contemplantibus aperte patebit, si positis septem, quinque addere iubemur, in hoc conceptu minime numerum duodecim comprehendi, sed tantum possibilem vtriusque quantitatum conciliationem in vna summa cogitari. Cogitantur enim 7 et 5 in vno, praetereaque nihil; hoc autem duodecim efficere minime in hac cogitatione per se ipsam considerata comprehenditur; sed ad hanc quantitatis 12 notionem efficiendam intuitioni

pe

per ſenſus auxilio indigemus. Formandus enim erit typus aliquis ſenſibilis alterius quanti e. g. 5, punctis quinque v. c. expreſſus, . . : . ., tuncque primum ſi ita reſoluto conceptu huiusce quanti ſingula puncta ſimplicem vnitatem quodque ſignificantia, vnum poſt alterum alteri quanto ſeptem vnitates in vno conceptu exhibenti addimus, tum primum numerum duodecim oriri intuemur, qui in conceptu iſto 7 + 5 nondum inuolutus erat. Apertius hoc, ſi quantis maioribus vtamur, patebit; inſuper autem adhuc confirmabitur, ſi conſideramus pueros Arithmetices elementa diſcentes ſine intuitionis adiumento ex ipſo conceptu duarum quantitatum addendarum ne minimam quidem ſummam efficere. Semper enim aut digitos aut aliud quoddam intuitionis adminiculum adhibebunt, per quod ſyntheſin non ſine labore quodam efficient, qui omnino nullus foret, ſi analytice ſtatim ſumma ex ipſo duorum quantorum conceptu proflueret.

Pari modo principia *geometrica* omnia ſynthetica ſunt. Sic v. c. axioma illud, lineam rectam breuiſſimam inter duo puncta eſſe, minime ex ipſo de *recta* linea conceptu elici poteſt. Hic enim conceptus vnice ad qualitatem non ad extenſionis magnitudinem ſpectat; ad hanc efficiendam intuitione opus eſt; per quam ſyntheſis ſummae breuitatis ad rectitudinem fit. Breuitatis igitur conceptus ad recti notionem additur, haud vero ex ea elicitur. Sic etiam axiomata illa „ſuperficiei duas tantum, ſpatii autem tres eſſe dimenſiones, nec plures eſſe poſſe,„ non e conceptibus datis eliciuntur ſed ſynthetice a priori conſtituuntur.

Haud inficias iri poteſt, dari omnino poſtulata quaedam Geometrarum, quae analytice ſecundum principium contradictionis ex conceptibus deducuntur, v. c. quoduis quantum ſibi ipſi eſſe aequale, (a = a) et, totum parte maius eſſe (a + b) > a); haec autem

poſtu-

postulata propositiones esse identicas; vsumque eorum ad methodum rite instituendam tantum, haud vero ad principia scientiae constituenda spectare, nemo est qui non intelligat.

2) *Physicae quoque scientiae principia ex iudiciis syntheticis* efficiuntur. Vt hoc quoque euidentissimi exemplis illustremus, vnicuique statim pro certo erit, ea Physicae principia synthetica esse, secundum quae in omnibus mundi corporei commutationibus quantum materiae idem esse et manere, et in communicatione motus actionem et reactionem sibi inuicem aequales esse oportere, statuitur. Nec enim concepui materiae incommutabilitas quantitatis, nec notiori motus aequalitas actionis cum reactione inhaeret indeque haec duo praedicata non analytice eruta, se synthetice subiectis addita esse, apparet. Haec quoque iudicia a priori constituta esse ab vniuersalitate e necessitate, qua valent, colligitur.

3) *Metaphysicae quoque scientiae* quae de proprietatibus obiectorum, quae a priori et solo rationis vsi cognosci possunt, agit, ex ipsius instituto principi synthetica inesse oportet. Licet enim hanc scientiam hucusque tantum pro tentata, haud vero pro vere constituta, considerare debeamus, tamen notio de ipsa v per rationis naturam necessaria, et aliquando cert constituenda, requirit, vt syntheticis nitatur princpiis. Haud enim in ea condenda id agimus, vt analytice eas, quas a priori de entibus habemus, notione explicemus et excolamus, sed augere cognitionum nostrarum a priori ambitum, vsque adeo vltra experientiae possibilis terminos cupimus. Huc pertinen propositiones tales: Mundi primum aliquod exordium cogitandum est: Omne compositum ex partibu simplicibus consistit etc.

N

Ne igitur in examinandis eis, quae hucusque pro Metaphysica scientia valuerunt, doctrinarum compendiis aut in noui systematis principiis condendis hallucinemur, ante omnia generalis ea quaestio soluenda erit, quam §. sequenti indicabimus.

VII.

Summa atque vniuersalis quaestio, ad quam ratio pura omnia sibi proposita problemata reducit, haec est:

Quomodo fit, ut mens humana iudicia synthetica a priori constituat? a cuius problematis solutione omnis pendet circa ambitum cognitionis humanae determinatio, realitasque cognitionum, quas ratio humana affectat, vnice potest diiudicari. Iudicia synthetica a priori *esse possibilia*, siue conceptus synthetice a priori coniungi posse, nemo est, qui in dubium vocare audeat, quum eorum existentia in scientiis theoreticis supra demonstrata sit. Superest igitur haec tantum, quaestio: quaenam sit ea mentis humanae operatio, per quam illa efficiantur? Quando enim duo inter se conceptus coniunguntur ad vnum idque necessarium et vniversale iudicium efficiendum — vti fit in iudiciis syntheticis — tertium aliquod inesse menti humanae oportet, per quod id, quod praedicatum vocamus, necessario quodam modo ad subiectum referatur, (συντιθεται; vnde operatio illa, per quam mens nostra conceptum conceptui addit, συνθεσις, quasi coniunctio vel additio, appellatur,) et in vnam quasi cogitationem cum ipso redigatur. Hoc quid sit et quomodo fiat, de eo omnis in posterum tractatio nostra versabitur.

Nunc autem, quam late problema illud supra expositum pateat, paucis ostendendum est.

In

In tres quidem potiſſimum partes quaeſtio noſtra diſpeſci poteſt, ſecundum theoreticarum doctrinarum, quibus iudicia ſynthetica inſunt, numerum.

1) Matheſis pura (i. e. principiis ſyntheticis a priori innitens,) quomodo poſſibilis?

2) Phyſica pura

3) Methaphyſica ſcientia quomodo poſſibilis?

Verum ad hanc diſtributionem illuſtrandam haec in genere obſeruanda ſunt: primum; breuius ita duobus tantum quaeſtionibus confici res poteſt. 1) Iudicia ſynthetica a priori, quae ad obiecta experientiae ſpectant, qualia Matheſis et Phyſica pura offerunt, quomodo poſſibilia ſunt? 2) Iudicia a priori ſynthetica, quae ad res ſupraſenſibiles ſpectant, qualia Metaphyſica continere reputatur, quomodo poſſibilia? — Deinde, quod ad Matheſin et Phyſicam puram attinet, rite quaeritur, *quonam modo* iſtae doctrinae a mente noſtra condi conficique potuerint, et per continuam eiusdem operationem amplificentur; datae enim iam ſunt et inconcuſſis ſuis fundamentis nituntur. Hae ſunt, quarum propoſitiones ſyntheticas a priori ad experientiam ſpectare in eius obiectis applicari exhiberique poſſe diximus. Dantur autem aliae adhuc propoſitiones ſyntheticae a priori circa obiecta plane intelligibilia et omnem experientiam ſuperantia. Harum circa realitatem non eadem certitudine gaudemus, quam iſtae e Matheſi et Phyſica pura petitae propoſitiones offerebant.

Quoad Metaphyſicam igitur ſcientiam praematura adhuc ea, quam ſupra poſuimus (ſub No. 3.), quaeſtio videri poterit. Quaerendum potius fuiſſet: an ipſa metaphyſica ſcientia poſſibilis ſit? nam tentata quidem ſaepiſſime, verum hucusque nusquam perfecta fuit. Quod autem ne haec quidem quaeſtio „an me„taphyſica ſcientia per vires mentis noſtrae confici

„poſ-

„possit, hucusque nondum soluta fuerit, ea in primis caussa in promtu est, quod nemo philosophorum antea quaestionem de origine iudiciorum syntheticorum a priori vniuersaliter proposuerit, imo ne distinctio quidem inter iudicia analytica et synthetica satis lucide perspecta fuerit.

Humius ipse, omnium acutissimus in hoc genere, in quaestione sola de origine notionis de caussa et effectu substitit, quam notionem, vt ab experientia abstractam considerans, necessitatem ipsi inhaerentem e consuetudine deriuauit, simul omnem Metaphysicam penitus abiciens et experientiam solam pro fonte cognitionis assumens. In quem certe errorem delapsus non fuisset, si quaestionem nostram tam vniuersalem, qualem nos proposuimus, ante oculos habuisset. Tunc enim, intelligens Mathesi purae inesse propositiones syntheticas, possibilitatem earum in Metaphysicis certe haud abnegauisset.

Possibilitatem vero Metaphysicae scientiae, quamquam hucusque scientifice nondum demonstrata sit, iam inde colligere licet, quoniam ratio per ipsius naturam ad quaestiones Metaphysicas sibi proponendas impellitur, easque quonam tandem more optime potest soluere potius quam irresolutas relinquere audeat; ita vt potius stolidissima hasce circa quaestiones philosophorum commenta adoptare quam indicta caussa abire voluerit. *Metaphysica* igitur quaedam *naturalis* semper exstitit exsititque in omni ente intelligente; at quoniam huiusce effata hucusque semper maximis et ante decisam nostram quaestionem ineuitabilibus discordiis laborauerunt, hac metaphysica naturali non contenti ad scientificam nos conferre cogimur, certam eam spem fouentes, aliquo tandem more ea, quae a natura nobis proposita sunt, problemata solui posse, ita vt, ex certis demum principiis aut quidnam ratio hac

in

in re efficere possit, aut quare quibusue de caussis nihil haec circa diiudicare valeat, efficiatur.

Ita aut rite i. e. ex iustis principiis rationis purae dominium amplificabitur aut inualidi nulloque veri fundamento nisi eiusdem conatus coërcebuntur. In vtroque autem euentu per talem criticam ad *scientiam* perueniemus. Dogmatica vero methodus ad *scepticismum* per antidogmata ducit, quae non satis firmatis dogmatum principiis euitari non possunt.

Hoc tandem more quaestio nostra tertia lectori vt probe satis defensa nec praemature instituta apparebit.

VIII.

Quaestionem istam uniuersalem resoluens critica rationis purae scientia est introductoria siue propädeutica ad philosophiam transcendentalem, versaturque in explorandis cognitionis purae a priori fontibus, limitibus, vsu.

Fundamentale principium, quo haec ita definita scientia nititur sic potest enuntiari: inest menti humanae ratio *pura*, i. e. ab omni experientia, suppeditatione et sensuum influxu libera; quod quidem doctrinae nostrae fundamentum ex superioribus satis firmum et extra dubitationis aleam positum apparebit.

Ratio autem, quippe quam eam facultatem dicimus mentis humanae, quae principia continet, per quorum vsum de obiectis a priori aliquid statuitur, *pura* appellabitur, quatenus principia continet cognitionis absolutae a priori, quae ab omni omnino experientiae adminiculo remota de obiectis statuit.

Com

Complexum autem principiorum eorum, per quae cognitiones omnes a priori comparari atque perfici possunt, *organon rationis purae* appellare licet; per cuius quidem organi vsum atque applicationem perfectum systema rationis purae siue absoluta et in se finita omnium cognitionis purae principiorum expositio condi atque componi posset.

Tale autem rationis purae systema *Philosophiam transcendentalem* ideo Kantius apellauit, quoniam non de obiectis proprie, sed de more cognoscendi obiecta agit, quatenus talis obiectorum cognitio vt possibilis a priori praesumitur. Omnis enim cognitio, quae versatur non in obiectis ipsis directe cognoscendis, sed in exploranda mentis nostrae dispositione, per quam obiectorum cognitio a priori fit possibilis, *transcendentalis* vocatur, quoniam nullo modo ab experientia repeti potest, sed eam transcendens ad intimos facultatum intellectiuarum recessus sese refert, inde argumentum materiemque repetens. Ea igitur, quam superiori paragrapho (VII) proposuimus, quaestio ad philosophiam transcendentalem pertinet; haec enim in exponendis, vt vidimus, possibilitatis cognitionis purae principiis occupatur.

Ad hanc autem transcendentalem philosophiam critica, rationis purae, siue eiusdem quasi censura et aestimatio introductoria est et quasi propädeutica, nec ab ea nisi amplitudine differt. Quemadmodum enim antequam aedem aliquam perficiamus, fundamentis positis trabium compages erigi solent, ex quibus totius aedificii et ambitus et distributio perspici potest, ita noster per hanc praecessoriam quasi et σκιαγραφον scientiam, omnes mentis et repraesentationes et iudicia a priori e rationis natura deriuare, quantum valeant et quisnam eorum sit vsus deducere, normamque praescribere voluit, secundum quam aliquando per-

 fec-

fectum philosophiae rationis purae siue transcendentalis systema perfici possit. Exhibet igitur critica rationis purae ideam completam philosophiae transcendentalis, ex qua quantum ad cognitiones syntheticas a priori comparandas ratio valeat, perspicitur, cuique ad perfectionem systematis nil nisi amplior euolutio deest.

Eiusmodi autem philosophiae purae systema, idque haud adeo vasti ambitus, aliquando confici posse inde colligere licet, quoniam hic non rerum natura, quae quidem inexhausta est, sed intellectus tantum, quatenus a priori de rerum natura cognoscit et iudicat, explorari atque diiudicari debet. Quaenam autem huiusce sint principia ad cognitionem syntheticam efficiendam nos omnino latere non potest, cum non extra nos sed in nobis contineantur. Quantum autem augurari licet haec conceptuum purorum copia non ita magna erit, quin eam totam et integram inueniri, aestimari et applicari posse consentaneum sit.

IX.

Partes criticae rationis purae sunt duae. Tractatus elementaris, et Methodologia rationis purae.

Ante omnia autem in resoluenda in suas parte hac scientia videndum erit, ne partes extraneae assumantur, i. e. ne conceptus immisceantur, qui aliqui ab experientia petitum contineant; cognitio omnis priori, de qua hic agitur, absolute pura esse debet Inde fit, vt ethices et summa principia et notiones fun damentales, quamquam a priori constituantur tame ab hac disquisitione excludi oporteat; quoniam in con dendo Ethicae purae systemate ad conceptus *empiric* de voluptate et dolore, de affectibus, cupidine et

resp

respicitur, quatenus isti aut impedimentum virtuti obiiciunt, quod vinci, aut illecebras porrigunt, quae sperni debent atque postponi.

Philosophia transcendentalis autem non nisi de ratione pura mere speculatiua agit.

Quoniam autem critica rationis purae, vt antea indicauimus, in constituendis elementis philosophiae purae et demonstranda methodo, secundum quam perfectum rationis purae systema confici possit, versatur, sequitur inde duas esse debere eiusdem principales partes, tractatum elementarem, et methodologiam rationis purae. Quod ad subordinatas partes attinet hic tantum obseruabimus, duas esse cognitionis humanae partes, sensualitatem, per quam obiecta dantur siue menti suppeditantur (ʼαισθησιν) et *intellectum*, per quem cogitantur. Haud enim satis est, vt dentur obiectorum impressiones, sed ad efficiendam cognitionem intellectus praebitas sibi comprehendere et ad obiecta, a quibus proficiscuntur, referre debet. Quatenus igitur sensualitati inesse possunt conditiones a priori, sub quarum forma sola repraesentationes porriguntur, haec examini prima subiicienda erit, idque in tractatus elementaris parte prima, quam aestheticam transscendentalem appellabimus, efficietur. Excipiet hanc Logica transscendentalis, quae, quantum intellectus ad cognitionem puram comparandam valeat, docebit.

Quaenam vero sint partes Methodologiae rationis purae, in fronte ipsius subtus explicabimus.

I.

TRACTATUS ELEMENTARIS SIUE DE ELEMENTIS COGNITIONIS PURAE.

PARS PRIOR. AESTHETICA TRANSSCENDENTALIS.

A) *Prooemium. Aesthetices transscendentalis necessitas deducitur, et argumentum indicatur.*

§. 1.

Obiecta exhibentur in mente per sensualitatem, quae intuitiones praebet, *) cogitantur per intellectum, ex quo conceptus oriuntur.

Omnis circa obiecta cognitio non efficit (producit) obiecta, sed ad ea, quippe extra facultatem cognoscentem posita, refertur. Cognitio autem ad obiecta referri potest, vel directe vel indirecte. Directe autem cognitio vno tantum modo ad obiectum refertur per viam scilicet *intuitionis*; intuitionem igitur eam dicimus repraesentationem, cuius directa est ad obiectum relatio. Intuitio nulla est, vbi non obiectum animo praebetur: hoc autem (in hominibus sal-

*) Intuitionem ab intuitu, sicut actionem ab actu distingui debere, lector paullo attentior, etiam haud admonitus, intellexerit.

ſaltem) fieri nequit, niſi mens quodammodo ab obiecto afficiciatur. Ineſt igitur ſubiecto noſtro diſpoſitio aliqua naturalis ſeu *receptiuitas ad excipiendas repraeſentationes, per obiectorum aliquem nos afficiendi modum.* Hunc autem mentis receptiuitatem *ſenſualitatem* dicimus. Haec igitur intuitiones nobis praebet obiectorum; intellectus autem non intuetur obiecta, ſed per intuitionem data *cogitat*, (quare etiam accuratius facultas cogitatiua appellari poteſt) et ex eo conceptus rerum oriuntur. Conceptus igitur mediatam ad obiecta relationem habent, et ſunt repraeſentationes, quae mediate tantum i. e. per intermedium aliarum repraeſentationum immediatarum ad obiecta referuntur. Cogitationem vero omnem, ſeu directa ſit per praeſentem intuitionem, ſeu *indirecta* per notiones animo inhaerentes, poſtremum ad intuitiones et ſenſualitatem referri, exinde patet; nulla enim alia eſt ratio, qua obiecta menti exhiberi poſſint.

§. 2.

Diſtinguendum eſt inter intuitionem empiricam et puram, illi correſpondet phaenomenon; haec formam continet ſenſualitatis, animo a priori inhaerentem, ſub qua ſola intuitiones empiricae in mente humana exhiberi poſſunt.

Affici animum ab obiectis debere, vt repraeſentatio naſcatur, vidimus. Obiectum autem, dum receptiuitatem afficit, effectum prodit, qui *ſenſatio* dicitur. Ad hanc *ſenſationis* definitionem attendentes, intelligemus, aliud eſſe genus *intuitionum empiricarum*, aliud *purarum*: empiricae enim per ſenſationem ad obiectum referuntur, earumque indefinitum obiectum *Phaenomenon* appellamus; *purae ſunt eae*, quibus nihil ineſt, quod ad ſenſationem pertineat. Hae igitur per

obiecta non efficiuntur, sed occasione per intuitiones empiricas data esse exserunt. Ad illustrandam hanc distinctionem maximi est momenti, vt rite quaenam *inter materiam et formam phaenomeni* sit differentia intelligamus. In quouis intuitionis empiricae obiecto seu Phaenomeno primum inest aliquid, quod sensationi correspondet i. e. effectum obiecti, quo receptiuitas afficitur, producit; hoc autem *materiam* Phaenomeni appellare liceat. Deinde autem aptitudo aliqua cernitur in Phaenomeno, quae, vt varia intuitionis ab ipso deriuatae elementa secundum certas relationes in apprehensione componi possint, efficit. Eam autem repraesentationem, in qua eiusmodi compositionis coordinationisque continetur possibilitas, *formam phaenomeni* deinceps vocabimus. Sequitur inde, materiam quidem phaenomeni a posteriori nobis praeberi, formam vero eiusdem a priori in mente vt praeiacentem et omni sensatione anteriorem existere debere. Illud enim, quod efficit vt sensationes ordine quodam et ad certas relationes in mente nostra componantur, ipsum nec esse sensatio, nec ab ea deriuari potest; quod autem non a sensatione deriuatur, non extra nos, sed in nobis — id est in originaria mentis nostrae dispositione — existit; propterea que a priori datum est.

Haec autem pura phaenomenorum forma quoniam repraesentationem exhibet directe ad obiectum relatam, inde *intuitio* quoque, et ob originis nobilitatem *intuitio pura* vocari debet. Sic exempli gratia separatis a repraesentatione corporis omnibus, quae aut intellectus de eo cogitat, substantia videlicet, vi diuisibilitate; quaeque ad sensationem pertinent, duritie, colore etc. supererit ex hac intuitione empirica residuum aliquod quod nec per intellectum cogitatur nec in sensatione percipitur, extensionem puta et figuram. Hae igitur ad intuitionem puram pertinent

quae

quae et iam nullis ſenſationum obiectis datis animo inhaereret, at exſerendi ſeſe occaſionem ab hisce nanciſcitur.

§. 3.

Ab intuitionis purae exiſtentia a priori poſſibilitas interna et neceſſitas Aeſtheticae transſcendentalis euincitur.

Cognitionem per ſenſus legibus ſubſumtionis a priori *ſub formam transſcendentalem* ſenſualitatis adſtrictam eſſe vidimus. Inde efficitur ſcientiam condi poſſe, quae harum legum ſiue principiorum ſenſualitatis completam expoſitionem exhibeat. Hanc autem ſcientiam Aeſtheticam transſcendentalem vocabulo graeco denominamus, graecorum philoſophorum notiſſimam illam ſequuti diſtinctionem, qua omne ſcibile ſecundum cognitionis fontes in Αἰσθητὰ et Νοητὰ ſiue ſenſibilia et intelligibilia diſtribuebant. Sin autem, quemadmodum in fronte poſuimus, tractatus noſter elementaris completam omnium cognitionis humanae elementorum expoſitionem amplecti debet, ſequitur inde, Aeſtheticam transſcendentalem in priori ipſius parte collocari debere; — omnis enim, vti diximus, cognitio a ſenſibus incipit — quam deinde Logica transſcendentalis excipiet, quippe quae in principiis cogitationis purae exponendis verſatur.

§. 4.

Aeſthetices transſcendentalis duae ſunt partes praecipuae, quarum prima de ſpatio, altera de tempore agit.

Ab conſtituendam hanc Aeſtheticam transſcendentalem, et cognoſcenda ſenſualitatis principia a priori ſeparanda erunt primum omnia, quae intellectus cogitando ad cognitiones ſenſitiuas affert, deinde a ſimplici intuitione empirica etiam ea erunt ſeiungenda,

quae ad ſenſationem pertinent, et per eam data ſunt, ita vt nil niſi pura phaenomenorum forma remaneat, quae ſola per ſe conſideranda erit. Ex hac disquiſitione patebit, duas eſſe intuitionis ſenſualis formas puras et primitiuas, ſpatium videlicet et tempus, quas igitur duabus ſectionibus iam nunc perſequemur.

B) *Tranſitus; de ſpatio et tempore in genere. Ennoëmata de ſpatio et tempore *) exponi debent primum methaphyſice, quatenus a priori data ſunt, deinde reſpectu transſcendentali, quatenus principia continent cognitionis a priori.*

Duplex ineſt menti hominis percipiendi per ſenſus facultas. Namque aut de rebus extra ſe poſitis per ſenſum externum, aut de ſe ipſa per internum ſenſum aliquid percipit. Per ſenſum igitur externum obiecta vt extra nos et quidem omnia in ſpatio poſita repraeſentamus, in quo ſpatio eorum figurae, magnitudines et relationes mutuae determinatae ſunt, aut poſſunt de-

*) Liceat nobis inſuetum hoc vocabulum a Graecis philoſophis repetere, vt eo repraeſentationes purae formales, ſenſualitatem a priori determinantes, tam a conceptibus intellectus, quam ab ideis rationis purae diſtinguantur. Haud inepte hoc quidem vocabulum a nobis adduci, ex eiusdem etymo patet, quod inhaerentem menti formam a priori deſignare videtur. (μορφην τινα 'αισθησεως 'εν νοῳ κατακειμενην) In anteriori quidem critica ſua, diſſertatione de mundi ſenſibilis atque intelligibilis forma et principiis, Kantius ipſe p. ipſius XVII. temporis repraeſentationem *ideam* appellauit; verum longe alio in criticis huic vocabulo ſignificatu poſito, ipſo hoc loco nobis vtendum non erat.

determinari. Sensus internus, per quem mens se ipsam seu rectius conditionem suam internam eiusque commutationes percipit, de anima quidem ipsa, vt obiectum cogitata, intuitionem nullam praebet, sed inest tamen ipsi forma quaedam certa temporis, sub qua sola conditionis eius internae intuitio cogitari potest. Quae igitur ad interna spectant modificationes, eas omnes vt ad tempus inuicem relatas intuemur, nec tempus, vt extra nos, nec spatium in nobis repraesentari potest. Hoc quodnam sit spatium aut tempus, diu multumque inter philosophos disputatum fuit.

Modo enim ea, entia per se et realia dixerunt esse; modo rerum relationes mutuas, quae tamen ipsis rebus per se, nec animo tantum contemplanti inhaerent; modo entis infiniti numeros aut modos, et quae plura huius generis sunt. Vt igitur ex hac nos labyrincho expediamus, duplicem instituemus horum ennoematum expositionem; *methaphysicam* primam, quae ea in ipsis momenta illustrabit, quibus prioritas eorum in mente humana demonstratur, deinde *transscendentalem*, qua contineri in ipsis principia possibilitatis syntheticarum cognitionum a priori explicandae probabimus.

C) *Sectio prior. De spatio.*

Iam igitur transeamus ad spatii expositionem methaphysicam, quam duobus potissimum momentis, quodque negatiuam vnam, alteram positiuam et e contrario oppositam determinationem exhibentibus, efficiemus.

§. 1.

Expositio methaphysica.

a) *Spatium methaphysice consideratum negatiue non est repraesentatio empirica, sed positiue necessaria*

 re-

repraesentatio a priori, quae omnibus intuitionibus externis vt earum conditio subest.

Spatii repraesentationem non ab externa experientia deduci, ideoque non conceptum esse empiricum aperte patet. Nam vt sensationes, quas percipimus a mente nostra ad aliquid extra nos (i. e. in alio loco spatii positum obiectum) referantur, et vt sensationum obiecta phaenomena vt extra et iuxta se i. e. in diuersis spatii locis posita ab ea considerari possint, ad hanc, inquam, mentis operationem efficiendam repraesentatione spatii praeuia et quasi praeiacente iam opus est. Haec igitur spatii intuitio non ex relationibus phaenomeni in experientia externa apperceptis deducta potest esse, sed per eam omnis experientia externa primum fit possibilis.

Experientiae, ex qua notionem spatii deduci non posse vidimus, e contrario opposita est necessitas a priori, et haec quidem de spatio iure praedicari potest. Numquam enim mente nobis fingere possumus, nullum existere spatium; quamquam enim obiecta omnia e spatio cogitatione remouere possimus, tamen ipsius semper remanebit repraesentatio. Consideratur itaque spatium vt conditio possibilitatis phaenomenorum, nec vero vt determinatio a phaenomenorum existentia dependens. Indeque, esse spatium repraesentationem a priori, per quam omnis phaenomenorum intuitio empirica fit possibilis, deducitur.

b) *Spatium methaphysice consideratum non est conceptus discursiuus seu vniuersalis, sed intuitio pura, singularis.*

Per conceptum vniuersalem, siue vt aptiori, quo iam Baco Verulamius vsus fuit, (N. Org. I Aph. 55.) nos quoque vocabulo vtamur, *discursiuum* intelligimus talem conceptum, qui quid in conceptuum de singulis ob-

obiectis multitudine commune omnibus inueniatur, vna quasi notione per abſtractionem comprehendit. Ad hoc autem genus conceptuum ſpatium omnino non poſſe pertinere duplici ratione euincitur: primum enim ſpatium ſemper vt abſolute *vnum* cogitari debet; ſin autem de pluribus vno ſpatiis ſermone vulgari mentio fit, haec ſemper vt partes vnius eiusdemque ſpatii conſiderantur. Sequitur inde conceptum ſpatii abſtractione facta a pluribus formari non potuiſſe. Nec ſpatia iſta particularia vt ſpatii vniuerſalis partes conſtitutiuae, ex quarum compoſitione illud quaſi oriri potuerit, conſiderari poſſunt; praecedit enim repraeſentatio ſpatii, vt abſolute vnius et omnia complectentis, repraeſentationem ſpatiorum particularium, quae non niſi *per limitationem* vniuerſalis iſtius efficitur. Sequitur inde fundamentum omnium de ſpatio conceptuum in ſpatii vnius vniuerſalis repraeſentatione pura a priori quaerendum eſſe, quod quidem per ſcientiam geometricam, quae in limitibus ſpatiorum per circumſcriptionem definiendis verſatur, mire confirmatum videmus. Omnia enim principia geometrica non ex conceptibus vniuerſalibus de linea et triangulo, ſed ex intuitione (ſiue eorum repraeſentatione intuitiua, quae vt data a priori certitudinem apodicticam affert,) deriuantur. Deinde autem hoc quoque obſeruandum eſt, intuitionis eam eſſe naturam, vt cogitari poſſit velut infinitam repraeſentationum multitudinem in ſe comprehendens. Conceptus autem omnis in infinita quidem repraeſentationum poſſibilium multitudine vt communis earum nota contineri poteſt, ipſe autem omnino vt infinitam repraeſentationum poſſibilium ſeriem in ſe complectens conſiderari nequit. Quum vero ſpatium neceſſarie vt infinitum et infinitam repraeſentationum multitudinem continens (ſiue vt quantum infinitum et infinitae limitationis capax, omnes enim ſpatii partes in infinitum ſimul exiſtunt,) cogitemus,

in-

inde efficitur ſpatii repraeſentationem non eſſe conceptum *ſed intuitionem, et quidem puram ſiue animo a priori inhaerentem.*

§. 2.

Expoſitio transſcendentalis.

Ennoema ſpatii quoad vim transſcendentalem principia continet, ex quibus poſſibilitas cognitionum ſyntheticarum et quidem geometricarum a priori intelligi poteſt. (Conf. Introduct. VIII.)

Vt repraeſentationem aliquam transſcendentalem hoc ſignificatu iudicemus, duo nobis momenta erunt demonſtranda:

1) Re vera eſſe cognitiones ſyntheticas, quae datae repraeſentationi vt fundamento cognitionis innitantur.

2) Harum cognitionum poſſibilitatem, niſi per talem expoſitionem conceptus dati, qualem §. 1. exhibuimus, comprehendi non poſſe.

Ambo autem haec momenta in ſpatium cadunt. Habemus enim 1) geometricam ſcientiam, quae attributa ſpatii ſynthetica et a priori conſtituit. Hoc autem vt effici poſſit, quale eſſe ſpatium oporteat nunc disquirendum eſt.

Ex conceptibus meris, nullas propoſitiones ſyntheticas, ſiue tales, quae ſubiecto in conceptu cogitato praedicatum extra eiusdem notionem aliunde petitum adiungant deduci poſſe, ex introductionis §. IV. patet. Hoc autem cum in ſcientia ſpatii ſiue Geometria fieri ſupra (introduct. VI. b) demonſtratum ſit, inde ſpatii ἔννοημα non conceptum ſed repraeſentationem directam ſeu *intuitionem eſſe* oportere, efficitur. Haec autem, intuitio a priori, ſiue ante omnem obiecti cuiusdam

dam apperceptionem menti inhaerens, brevi *non empirica* sed *pura* esse debet; geometrarum enim propositiones omnes apodicticae sunt seu necessarie cogitantur, cognitiones autem necessarias nec esse iudicia empirica, nec ex talibus deriuari posse, supra §. introductionis secunda probatum est.

Eiusmodi autem externa intuitio, quae sola conceptum empiricum obiectorum, sub eandem vt praeuiam repraesentationi empiricae a priori subsumtorum possibilem reddit, nulla alia ratione menti inesse potest, quam vt subiecto inhaerens, et formalis eiusdem dispositio, per quam subiectum, vt afficiatur ab obiectis, indeque repraesentationes directas de eis seu intuitiones recipiat, idoneum redditur. Quam quidem originariam mentis dispositionem, qua hoc in phaenomeno efficitur, quod eius ad subiectum pertinet, (conf. Aesthetices transscend. Prooemium §. 2.) *formam sensus externi* appellabimus.

Hac tandem explicatione spatii assumta, 2) quomodo Geometria synthetica scientia esse possit a priori, comprehendi potest; indeque expositionem nostram iure transscendentalem vocari patet.

§. 9.

Consectaria ex praecedentibus.

1) In spatio nihil repraesentatur, quod obiectis ipsis inhaereat, nec attributum aliquod, nec relatio ab obiectis ipsis abstracta. Mentem enim nec absolutas nec relatiuas rerum determinationes ante rerum ipsarum in animo exhibitionem, i. e. a priori intueri posse, per se patet.

2) Spatium nihil est aliud nisi forma sensus externi, siue omnium phaenomenorum externis sensibus obuersantium. Formae autem vocabulum condi-

tio-

tionem ſubiectiuam, per quam ſolam intuitiones exter-
nas mente recipere licet, exprimere ſupra iam dictum
eſt. Inde autem per ſe patet, receptiuitatem ſenſatio-
nis in ſubiecto, formam igitur eiusdem intuitione ipſa
praeuiam a priori menti ineſſe debere. - Quatenus au-
tem in ea obiecta primum conſtituuntur, ineſſe huic
formae intuitionis purae principia relationis obiecto-
rum, elucet.

3) Subiectiue tantum, et quatenus homines hu-
mano more cognoſcimus, de ſpatio, de extenſis, de
poſitione rerum extra ſe, de diſtantiis et quae ſunt
eiusmodi loqui licet. Haec enim omnia de rebus eo
tantum reſpectu praedicari poſſunt, quatenus Phaeno-
mena i. e. obiecta ſenſualitatis ſunt.

Spatium enim forma eſt et conditio neceſſaria re-
ceptiuitatis ſenſitiuae. Hanc autem ſenſualis cognitio-
nis phaenomenornm conditionem ne pro conditione
poſſibilitatis rerum ipſarum habeamus, cauendum eſt;
modi enim cognitionis rerum in aliis entibus cogitan-
tibus plane a noſtris diuerſi eſſe poſſunt, et nulla eſt ra-
tio, cur omnia intelligentia eiusdem intuitionis ſecun-
dum ſpatium legibus adſtricta eſſe, reputemus. Om-
nes igitur eae leges, quae ad cognitionem rerum pe
intuitionem ſecundum ſpatium conſtituuntur, vniuer
ſaliter de rebus non valent, niſi formula hac reſtricti
ua ſemper adiecta: quatenus ſub rebus obiecta intui
tionis ſenſualis i. e. phaenomena intelligimus. Ne
aliud in rebus niſi phaenomenon percipi poteſt et i
ſemper determinationibus ſpatii vt formae intuitioni
purae circumſcriptum. Haudquaquam tamen, ren
ipſam ita affectam eſſe, quale Phaenomenon in ment
ſiſtitur, vt figuratum, extenſum, tribus tantum d
menſionibus comprehendendum, et quae plura ſun
eiusmodi, exinde concludere licet; res enim ipſa ir
dependens ab intuitionis forma exiſtit, et per eam ne

eſt

efficitur nec commutatur. Id autem, quod per ſenſus percipitur, non aliter niſi ſub forma intuitionis ſenſualis a priori percipi poteſt; eſt igitur omne ſenſualis cognitionis obiectum, Phaenomenon, non res per ſe, quae, vt verum Phaenomeni correlatum non cognoſcitur, nec per cognitionis humanae conditionem cognoſci poteſt.

4) Docetur igitur per expoſitiones noſtras ſupra exhibitas realitas quaedam ſpatii *empirica*, quatenus ad cognoſcenda obiecta experientiae externae (Phaenomena) valet; imo eorum cognoſcendorum conditio eſt neceſſaria; at idealitas quoque transſcendentalis, ſiue defectus realis cum obiecto correſpondentiae de eodem praedicatur. Si enim reſtrictione iſta omiſſa ſpatium pro attributo rerum ipſarum aut conditione poſſibilitatis earum accipimus, nullum omnino et inane eſt, hocque quidquid ſibi velit, ex ſuperioribus denter ſatis, vt equidem opinor, illuſtrabitur.

D) *Sectio alterna. De tempore.*

Eodem, quo in ſpatio exponendo vſi ſumus, more etiam hic dupliciter conceptus temporis, methaphyſice primum, deinde reſpectu transſcendentali conſiderandus erit, cui duplici expoſitioni, paragrapho tertia ſubiunctis corrollariis, breuis illuſtratio accedet.

§. 1.

Expoſitio metaphyſica.

a) Tempus methaphyſice conſideratum negatiue non eſt conceptus empiricus, ſed poſitiue neceſſaria repraeſentatio, a priori, quae omni omnino intuitioni vt conditio poſſibilitatis eius ſubeſt.

Non ab experientia petitum de tempore conceptum eſſe, quis eſt qui non intelligat, quum omnia

nia quae per experientiam cognoſcantur aut ſimultanea ſint aut conſecutiua? vt autem vel ſimultaneum illud, (ſiue coexiſtentia in eodem tempore) vel conſecutiuum (ſiue exiſtentia diuerſis temporibus) appercipiatur in rebus; temporis formalis repraeſentatio in mente vt a priori praeexiſtat requiritur, eademque neceſſaria reputanda eſt, et omnium intuitionum conditio indispenſabilis. Nam, etſi omnia phaenomena cogitando e tempore ſubmouere liceat, temporis tamen originaria repraeſentatio, in qua ſola obiecta vt in mente noſtra repraeſentabilia i. e. phaenomena cogitari poſſunt, tolli omnino nequit. Data igitur eſt a priori et conditionem poſſibilitatis phaenomenorum continet.

b) *Tempus metaphyſice conſideratum non eſt conceptus diſcurſiuus ſed forma pura intuitionis ſenſitiuae.*

Temporis non eſſe abſtractum aliquem a diuerſis veluti temporum particularium repraeſentationibus conceptum, exinde patet, quod tempora diuerſa nil niſi partes temporis eiusdem ſint, quod vt abſolute vnum a priori cogitatur. In hoc autem abſolute vno tempore tempora diuerſa per limitationem efficiuntur. Inde quoque infiniti notionem tempori adhaerentem videmus, qua quidem nihil aliud innuitur, niſi certa et ſecundum protenſionem definita tempora non niſi per vnius eiusdemque temporis limitationem et circumſcriptionem conſtitui poſſe, quod itaque vt *illimitatem* in mente noſtra exhibitum eſſe debet. Ea autem repraeſentatio, cui *vnicum* tantum correſpondet obiectum, cuius partes poſt circumſcriptionem totius primum cogitari poſſunt, per intuitionem fit, non per conceptum. In conceptu enim diſcurſiuo partes complures cogitantur vt conſtitutiuae ante vniuerſum; hocque primum per menti opera

operationem, qua partium congruentiam in vna cogitatione comprehendimus, efficitur.

Repraesentatio igitur originaria temporis, intuitio est a priori, quam, quatenus conditionem relationis consecutiuae continet, per quam solam obiecta in mente exhiberi possunt (siue fiunt repraesentabilia,) formam puram intuitionis sensitiuae appellauimus.

§. 2.

Expositio transscendentalis.

Temporis ennoëma continet principia ex quibus possibilitas cognitionum syntheticarum a priori e. g. omnis circa motum doctrinae intelligitur.

Necessariam inhaerere menti nostrae formam temporis intuitiuam supra expositum est. Ex hac autem demum necessitate comprehenditur, quonam modo theoremata apodictica de tempore, siue axiomata temporis formari possint, qualia haec sunt; temporis nonnisi vnam esse dimensionem, diuersa tempora non simul sed consecutiue cogitari posse, quemadmodum spatia diuersa non vt se excipientia sed vt simultanea debent cogitari; et quae plura sunt eiusmodi: quae quidem axiomata ob eam, qua cogitantur, strictam necessitatem et vniuersalitatem non ab experientia deriuata esse possunt. Etiam possibilitas conceptus generalis de commutatione alteriusque ab hoc deriuandi, de motu, (qui quidem in *commutatione loci* cernitur) non nisi ex nostra de tempore definitione deduci potest. Nisi enim temporis intuitionem internam a priori in mente datam haberemus, ex nullo vnquam conceptu coniunctio duorum praedicatorum contrarie sibi inuicem oppositorum, qualia in conceptu motus occurrunt, in quo existentia in vno loco et non — existentia in eodem cogitatur, in vno obiecto, deduci posset. In tempore tantum, i. e. consecutiue haec oppositae sibi

 deter-

determinationes in vna eademque re conciliari possunt. Nostra igitur de tempore doctrina omnium syntheticarum a priori cognitionum possibilitatem explicat, quae ad doctrinam motus vniuersalem spectans, indeque iure suo pro *transscendentali* habetur.

§. 3.

Consectaria ex praecedentibus.

1) *In tempore nihil cogitatur, quod per se constet, nec rerum obiectiua quaedam determinatio, quae remotis omnibus intuitionis subiectiuae conditionibus superesset.*

Si enim constans aliquod per se in tempore esset, tunc sane tempus sine obiecto reali tamen realiter existeret, quod in se contradictorium est. Si autem rebus ipsis vt attributum aliquod aut dispositio originaria a mente intuenti diuersa inesset, certe nec *ante* rerum repraesentationem, vt eiusdem conditio, per quam sit possibilis, menti inhaerere, nec eiusdem vlla principia synthetica a priori formari possent, qualia superiori §. diximus.

2) *Tempus est conditio formalis omnium phaenomenorum, et quidem directa internorum, indirecta externorum, quatenus repraesentationes externae ad statum internum vt eiusdem modificationes pertinent.* Quemadmodum *spatium* diximus *formam esse sensus externi* ita *tempus formam interni sensus*, siue quae principia contineat possibilitatis nosmet ipsos et statum internum intuendi, licet appellare. Non enim ad externorum phaenomenorum repraesentationem formandam quemadmodum spatium, pertinet; quippe in qu nihil, quod ad figuram, positionem aut dimension spectet, inveniatur. Quem quidem omnis externae gurae defectum imaigne lineae in infinitum porrect compensare voluerunt, cuius elementa in vna se posita conspiciuntur vnius tantum dimensionis;.

vi

mice obliti, lineae elementa coexistere, temporis autem semper esse consecutiua.

Nosmet autem ipsos et omnia, quae ad statum internum relata sunt, non nisi in tempore et per temporis formam originariam possumus intelligere; indeque efficitur, quoniam omnes repraesentationes, etiam eae, quarum externa sunt obiecta, tamen vt in mente exhibitae, et eiusdem modificationes ad statum internum pertinent, stare id, quod supra posuimus tempus esse conditionem phaneomenorum omnium omnino, directe quidem internorum atque per easdem rationes etiam indirecte externorum.

Vti igitur omnia phaenomena externa in spatio et ad relationes spatii, ita omnia omnino Phaenomena i. e. omnia obiecta sensualitatis in tempore et ad relationes temporis disposita intuemur. Internorum igitur vna tantum est forma, quoniam consecutiua tantum sunt nec iuxta se posita; externornm duplex: iuxta se enim posita et consecutiua in iis cernuntur.

3) *Praedicatur de tempore realitas, respectu empirico, at idealitas, respectu transscendentali.*

Quum tempus sit conditio omnium repraesentationum per sensus, at nulla sine sensibus nobis experientiae obiecta dari possint, sequitur inde, rebus, quatenus per sensus cernuntur, semper inhaerere temporis praedicatum, et nihil nisi in temporis relationibus percipi, imo ne cogitari quidem posse; omnis enim cogitatio quoad obiecta ad sensus demum refertur. (Conf. Aesthetices transscendentalis Prooemium §. 1.) Eandem vero ab caussam respectu transscendentali *idealitas* de tempore praedicatur, i. e. in temporis repraesentatione abstractione facta a forma iutuitionis subiecto repraesentanti inhaerente nulla est significatio: non enim res ipsae, sed res, quatenus et sub quibus le-

 gibus

gibus per sensualitatem percipi possunt i. e. rerum phae-nomena repraesentantur; de suis autem quod valet, ad res ipsas, quarum per se cognoscendarum nulla nobis inest facultas, omnino transferri nequit. Haud igitur dicendum est, omnes res existere in tempore; at omnes res, quatenus obiecta sunt intuitionis empiricae, in tempore comprehendi debere, rectius contenditur.

§. 4.

Ab obiectione vindicatur theoria nostra de tempore.

Contra hanc de idealitate temporis transscendentali assertionem nostram a multis iisque philosophis viris ita disputatum est: Si mutationes reales sunt, etiam id, per quod solum mutatio fit possibilis, (tempus videlicet) reale esse debet.

Atqui mutationes sunt reales siue vere existunt id quod, etiam si omnem externorum realitatem ab negare velis, ex ipsa repraesentationum nostrarum alternatione euidenter patet.

Tempus igitur etiam reale vt sit siue aliquid vere existens, inde euincitur. Quod quidem argumentum in totum concedimus, nullo theoriae nostrae detrimento.

Tempus enim vere reale est, eodem sensu, quo mutationes istae, de quibus supra dictum est, reales sunt. Realiter enim nobis inest repraesentatio temporis, vt formae subiectiuae intuitionis sensualis quod autem interni mentis nostrae status modificationes, a nobis vt *mutationes* in tempore appercipiantur: hoc etiam subiectiuum est in nobis. Si enim homines semet ipsos, aut aliae altioris indaginis naturae, quales cogitatione fingere licet, hominem, sine illa naturae humanae inhaerente temporis forma intueri possent, tunc illae, quae nunc vt mutationes apparent, internae mentis nostrae modificationes a-

ce

certe et tali ratione cognoscerentur, in qua nihil ad tempus relatum cerneretur.

Nunc autem, temporis conditioni per naturae nostrae indolem adstricti, nihil nisi successiuum i. e. sub temporis relationes comprehensum mente percipere nobis licet, et omnis inde experientia in successiua et continuis mutationibus obnoxia serie debet consistere, vnde quoque efficitur, ea, quae per se constantia sint, siue res a se, omnino non cognosci posse: cognoscitur enim id tantum, quod in sensus cadit et quidem *quatenus per originarias intuitionis formas menti praebetur.* Hoc autem est phaenomenon; huius vero substratum, forma ista subiectiua liberum, non cognoscitur: mens enim nisi sub ista forma omnino apprehendere nequit. Manet igitur temporis subiectiua, quam diximus, realitas, quoad experientiam; realitas autem transscendentalis, quae constans aliquod per se et extra mentem humanam positum in tempore videt, omnino per rationes supra expositas de ipso praedicari nequit.

E) *Epilogus, continens*

Obseruationes quinque generales ad Aesthеticam transscendentalem.

Ad clarius illustrandam tam nouam et hactenus inusitatam de spatio et tempore theoriam adiicere visum est quinque obseruationes generales, quarum prima opinionem nostram circa cognitionis sensualis indolem vlterius explicatam cum theoria Leibnitii comparabit; secunda res ipsas ex relationibus, quae solae per cognitiones intuitiuas exhibentur, cognosci non posse, demonstrabitur; tertia de eo, quid intersit inter phaenomenon et vanam speciem, aget; quarta deinceps supra alias circa tempus et spatium theorias sibi inuicem e contrario oppositas, quinta denique supra quae-

 stio-

ſionem, cur non plura a nobis allata ſint Aestheticae transſcendentalis elementa, commentabitur.

Obſeruatio 1) Vt ſummam omnis noſtrae circa cognitionis ſenſualis indolem commentationis lectori ante oculos ſiſtamus, haec in genere noſtra eſt opinio: Omnes noſtrae intuitiones nihil menti praebent praeter phaenomenorum repraeſentationes, obiecta autem intuitionis, ſiue res, quas intuemur, non tales ſunt quales eas percipimus; ſi enim hoc nobis aliquando concederetur, vt exuti his vinclis omnem ſenſuum ſubiectiuam conditionem remoueremus, tunc omnes eae diſpoſitiones, figurae, ſeries, breui omnes, quae e ſpatio et tempore naſcuntur rerum relationes plane ceſſarent, et nullae eſſe inuenirentur. Phaenomena igitur *in nobis*, *non extra nos* exſiſtunt; obiecta autem per ſe, phaenomenis ſubſtrata, per humanae perceptionis limites a nobis cognoſci omnino nequeunt.

Noſter enim percipiendi modus ad ſpatium et tempus reſtrictus eſt, quae ambo formam, ſub qua ſenſationes ab obiectis excitatas recipimus, conſtituunt. Senſatio autem materiam praebet cognitionis ſenſiti uae. Illa a priori vt pura cognoſcitur, et praeexiſti in mente ante experientiam, quamquam primum poſ ſenſationes menti praebitas et ſub hac forma compre henſas eius conſcii ſiamus; haec autem, ſenſatio ſc licet, a poſteriori ſiue ab experientia repetitur.

Forma eadem manet in omnibus intuitionibu ſenſationes valde diuerſae ſunt. Phaenomenorum et am accuratiſſima cognitio nihil omnino de re per luminis affert; ſed tantum completiorem de mod ſecundum quem nos ſenſualiter eam repraeſentamu explicationem ſiſtit. Conditiones enim ſpatii et te poris, quas in rem tamen ipſam non cadere liqu interiorem ipſius obiecti cognitionem vsque redde impoſſibilem.

Le

Leibnitius et theorematum Leibnitianorum ordinator *Wolfius*, plane diuersam a nostra viam ingressi, gradu tantum perspicuitatis diuersam ab intellectu sensualitatem esse docuerunt, logicam earum constituentes differentiam, quae tamen transscendentalis est, et in ipsa amborum et origine et natura versatur. Confusam enim atque obscuram rerum notionem, quae quidem attributa rebus ipsis per se inhaerentia, at indistincte comprehensa contineret, per sensualitatem dari aiebant; hanc vero ad clariorem lucem per intellectum euolui atque explicari. Hoc si ita se haberet, etiam confusa atque per analysin speculatiuam nondum satis explicata de iure notio ad sensualitatem pertinere cernitur, et quae corporis apparitioni insunt, extensionis et dimensionum praedicata ad obiectum per se referri deberent, quod tamen omnino, sicut antea demonstrauimus, nec percipi sensibus, nec ab intellectu cogitari potest.

Ne autem vt mera hypothesis appareat Aesthetica nostra transscendentalis, sed eiusdem certitudo, vt quae organi partem constituere debeat, extra dubitationis aleam ponatur, age exemplo probemus euidentiam theoriae nostrae, simul contrariarum assertionum inconstantiam demonstrantes.

Si quis igitur contra theoriam nostram, spatium et tempus in se obiectiua esse, et continere non phaenomenorum, sed rerum ipsarum per se conditiones necessarias, asserere vult, ille tamen esse circa vnum et alterum multas apodicticas et syntheticas propositiones, in primis circa spatium, non poterit negare. Cum igitur theoremata geometrica synthetica sint, et vt necessaria et vniuersalia cum certitudine apodictiça cognoscantur, inde quaestio oritur, vnde eiusmodi veritates petantur siue quidnam sit intermedium, per quod intellectus, in subiecto cogitato non subsistens, ad praedicatum synthetice additum peruenerit?

Duplex autem huiusce tantum ratio cernitur, aut per conceptus aut per intuitiones; et cognitio quidem per alterutrum comparata vel a posteriori vel a priori data est. Constat autem a) nec ex conceptibus nec ex intuitionibus empiricis, istorum elementis, aliam syntheticam cognitionem elici posse, quam quae ipsa quoque originis notam ferat et empirica sit. Hanc autem tam vniuersalitatis quam necessitatis absolutae characteribus omnino destitutam esse vidimus. b) A priori igitur constituta, et quidem iterum per conceptus, aut intuitiones a priori, synthetica talis cognitio, qualem descripsimus, comparata esse debet. Rursus autem ex conceptibus meris non syntheticam sed vnice analyticam cognitionem deriuari posse et ex eis, quae supra dicta sunt, patet, et exemplis probari potest. Geometrae enim v. c. duabus lineis rectis nullum includi spatium dicunt, indeque ex iis figuram confici non posse; ex tribus autem posse figuram constitui. Hasce propositiones ex conceptu subiecti per explicationem elici omnino non posse, quisque fatebitur. Nihil enim inest in conceptu vel duarum vel trium linearum, nec in conceptu de recto quod in iis inuenitur, ex quo id, quod synthetice additum est, aptitudinem scilicet ad spatium includendum siue figurae possibilitatem vel asserere vel negare possis. Ad hoc igitur praedicatum constituendum intuitione opus est et quidem ea, quae data sit a priori. Empiricam enim ad hoc nil valere intuitionem supra dictum est. Constituendum igitur est obiectum in intuitione a priori, vt super hanc cognitio synthetica construatur.

Assumenda est forma spatii, vt conditio cognitionum syntheticarum a priori et in eo constructa tres lineae circumscriptum figura triangulari spatium efficient, duae non efficient. Hoc tantum modo de duabus lineis rectis syntheticum praedicatum possibilitatis figurae negari, de tribus autem asseri potest.

Ind

Inde per intuitionem istam vt formam vniuersalem, per quam id, quod intuemur, externum fit possibile, obiectum huius intuitionis externae triangulum scilicet efficitur. Nihil igitur per se est triangulum. Quodsi triangulum res esset per se (nulla subiectiuae nostrae conditionis ratione habita) tunc sane nullo modo euincere possemus, ea praedicata, quae in subiectiuis conditionibus, secundum quas triangulum construimus, necessarie illi attribuuntur, etiam triangulo per se adhaerere. Conceptui enim de tribus lineis noui aliquod figuram scilicet addere non liceret, ex qua spatii triangularis inclusio cognoscatur, quum illud ante cognitionem, nec per eam datum sit. Cognitio igitur nostra synthetica de tribus lineis triangulum efficientibus non est possibilis, si triangulare spatium aliquid est per se constitutum.

Nec omnino cognitio aliqua de obiectis externis; a priori synthetica, possibilis est, si ea, quae vt externa obiecta intuemur, vt per se exiltentia cogitantur. Sin autem res externae primum per formam subiectiuam tam spatii quam temporis fiunt obiecta cognitionis externae, tunc de eo, quod ipsi ad rerum cognitionem ex propria mentis et subiectiua conditione attuleritis, vere licebit iudicare.

Obseruatio 2.) Ad confirmandam hanc nostram doctrinam, secundum quam omnia externae cognitionis obiecta non qualia per se, sed qualia secundum phaenomenon sint, possumus intueri, hoc quoque notandum est. Omnes quae intuitionem externam nobis praebentur, cognitiones nihil nobis indicant nisi aut relationes locorum in intuitione (siue extensionem). aut commutationem locorum (seu motum, aut denique leges, secundum quas haec commutatio instituitur, (vires motrices.) Quod autem in loco praesens sit, aut quod in rebus ipsis, citra locorum commutationem efficiatur, hoc omnino in in-

 tuiti-

tuitione non apparet. Per simplices autem relationes rem ipsam qualis sit non cognosci, euidenter patet. Quum autem nobis nullae nisi relationum repraesentationes datae sint per sensum externum, inde sequitur, per sensum externum nihil aliud nisi id quod in obiecto relatiuum est ad subiectum, i. e. Phaenomenon, repraesentari, haud vero id quod ad internum subiecti siue substantiam spectat.

Similis est sensus interni conditio. Forma enim originaria intuitionis internae, quam quidem tempus esse diximus, nihil aliud nisi relationes exprimit aut simultaneitatis, aut consecutionis, aut simultaneitatis consecutiuae, quam quidem persistentiam liceat appellare, secundum quas relationes animus repraesentationes sensus externi percipit atque disponit. Mentem autem nostram non nisi secundum modificationes suas internas ex repraesentationum per sensus externos praebitorum positione oriundas intueri atque cognoscere possumus. Est igitur illa intuitionis internae forma nihil aliud nisi *modus*, *secundum quem animus per suam ipsius operationem*, *in disponendo repraesentationes suas secundum relationes*, *quas supra indicauimus*, *conspicuam*, *afficitur:* Vere igitur est sensus internus. Quod autem per sensum aliquem repraesentatur, semper, et ob hunc ipsum repraesentationis modum Phaenomenon est. Aut igitur prorsus abnuere sensus interni existentiam et cum ea mentis nostrae *intuibilitatem* (siue possibilitatem, sensualiter repraesentari vt possit), aut fateri debebimus, nostrum ipsorum subiectum et substratum cogitans non aliter nisi vt phaenomenon, i. e. in relatione ad formam subiectiuam, non per se a nobis comprehendi posse.

Difficultas tantum aliqua in eo latet, quo mod[o] mens se ipsam possit intueri. Hanc autem, qua[m]

com

communis est omni theoriae circa nostrarum de interna mentis statu cognitionum originem et possibilitatem, paucis adhuc illustrare conabimur. Primum omnium per se patet inesse homini apperceptionem sui ipsius, (conscientiam sui quam vocant) quae quidem nihil nisi facultatem de propria persona repraesentationem recipiendi significat. Haec autem proprii nostrûm subiecti apperceptio si iam immediate per se ex spontanea mentis operatione omnia nobis praeberet, quae varia et multiplicia menti nostrae insunt, tunc intuitionem haberemus intellectualem. Quum vero haec in homine apperceptio sui nihil eum de se ipso immediate possit docere, necesse est, ut quae sibi insint, mens *apprehendat*. Haec autem internae conditionis apprehensio non potest cogitari, nisi mens afficiatur interne, dum repraesentationes sibi datas, vti diximus, in se ipsa disponit. Quatenus igitur facultas ista apperceptionis sui mentem afficit, hoc solam modo intuitionem internam potest producere, cuius forma tempus est; in tempore enim et ad relationes temporis omnes repraesentationes in mente ponuntur. Intuitio igitur mentis de se ipsa, ea quoque ad tempus relata erit, i. e. modus, secundum quem variae mentis determinationes existunt, non nisi per tempus cogitari potest. Quatenus igitur mens, vt se ipsam intueatur, affici debet, intuitio interna sensualis est, et mens se ipsam non per spontaneitatem immediatam sed secundum modum, quo interne afficitur, i. e. secundum phaenomenon intueri potest. Vlteriorem haec expositio illustrationem accipiet in deductione praedicamentorum. (Conf. Logic. transscendental. Pars I. Lib. 1. cap. 3. Sect. 2. §. 9.)

Obseruatio 3.) De eo quid intersit inter phaenomenon et speciem siue phantasma. Cautione adhuc opus est, quamquam implicite iam in iis, quae supra diximus, expressa, ne haec nostra circa spatium et tempus theoria cum idealismo

alismo Berkleii confundatur. *) Dicendo enim intuitionem tam obiectorum externam, quam mentis internam, nullam nobis nisi de phaenomenis repraesentationem posse praebere, haud quaquam, obiecta ista ad vanas et omni plane realitate destitutas species reducimus. Sic v. c. fatendo nos nihil nisi corporis phaenomenon cognoscere, haud asserimus, corpus nihil esse nisi meram speciem; nec mentis, quatenus se intuetur, ad φαινομενα referendae substratum apparitionem tantum aut phantasma aliquod imaginationis esse dixerimus. Sed manet obiectis integra et intacta ipsorum realitas; quoniam autem obiecta tantum per attributa cognoscimus, horum autem cognitio a modo et forma subiecti intuentis pendet, obiectum phaenomenon ab obiecto per se seiungimus, realitatem ambobus, subiectiuam priori, obiectiuam posteriori tribuentes; sed modeste simul, et ad terminum infinitarum disputationum ponendum vtiliter, statuentes, circa obiectum per se per nostrae intuitionis habitum nihil omnino a nobis definiri posse.

Obseru. 4.) De *aliarum quarundam theoriarum nodis*. Quo magis autem distinctionis huiusce grauitas eluceat, age videamus, in quanam labyrintho sese impediant ii, qui de spatio et tempore realitatem obiectiuam praedicant. Hi enim esse spatium et tempus attributa necessaria *rerum per se* contendentes, duo infinita statuunt, quae nec substantiae sunt nec substantiis singulis inhaerentia, attamen realia, imo omnis existentiae conditiones necessariae, et omnibus omnino rebus sublatis, semper permanentia. Quae talia cogitandi absurditas quanta sit, nemo est qui non perspiciat; et facile intelligitur, quomodo Berkleius

*) Conf. Analytic. transscendental. Lib. II. Cap. II. Sect. IV. §. 1.

ius ad idealismum proponendum perductus esse potuerit, quum scilicet ipsa corpora species esse maluerit, quam realium existentiam ex incomprehensibili isto temporis et spatii conceptu, tanquam in se realibus, deriuare.

Quod autem sane mirandum foret, nisi quotidiana doceret experientia, homines vt in vita communi sic et in Philosophicis perraro sibi constantes esse — iidem qui tempus vt formam rerum per se, et existentiae earundem necessariam conditionem considerauerunt, in theologicis tamen quaestionibus de obiecto disquirunt quod nec a nobis sub vlla intuitione percipi, nec ipsum sibi intuitionis sensualis obiectum praebere potest. Ab hoc autem obiecto, quod vt infinitum omni respectu cogitatur, conditiones temporis et spatii quam longissime tentant remouere, sibi ipsis contradicentes; nam si spatium et tempus omnis existentiae necessariae sunt conditiones a priori, etiam infinita substantia sine his non poterit existere et aut non existit aut limitibus spatii et temporis adstricta esse debet.

Obseruatio 5.) Hanc autem *Aestheticam transscendentalem* non nisi ambabus hisce partibus constitutam esse posse, inde patet, quod omnes reliqui conceptus, ad sensualitatem pertinentes, imo ipse de motu conceptus, in quo et temporis et spatii relationes inueniuntur, ab experientia tenent, et propterea inter empiricos referendi sunt. Spatium enim per se consideratum nihil mobile continet; mobile igitur est aliquid, quod per experientiam in spatio inuenitur. Pari modo conceptus de commutatione huc non potest pertinere; tempus enim ipsum non commutatur, sed id quod est in tempore. Igitur ad constituendum conceptum de motu, existentiae cuiusdam et modificationum ipsius apperceptio, i. e. experientia requiritur.

F) Conclusio.

Iam igitur habes, lector beneuole, vnum elementorum, ex quibus summa et generalis quaestio, quam in introductionis §. 7. posueramus, resoluitur; constitutae enim sunt temporis et spatii intuitiones a priori, in quibus, si vltra conceptum datum egredimur, id quod cum ipso ad efficiendum iudicium syntheticum a priori coniungi potest praedicatum, (per intuitionem scilicet conceptui correspondentem) inuenitur. Quoniam autem omnis intuitio sensitiua est, haec synthetica iudicia non vltra sensuum obiecta extendi, nec nisi ad obiecta experientiae possibilis referri possunt.

TRAC-

II.
TRACTATUS ELEMENTARIS
PARS ALTERA.
LOGICA TRANSSCENDENTALIS.

PROOEMIUM.
Quod Logices transſcendentalis et definitionem et partes ſiſtit.

I.
Praemiſſa de Logica proprie ſic dicta, ſiue de Logica communi.

§. 1.
Logica in genere ſpectata eſt ſcientia legum intellectus, ſiue conditionum cogitationis formalium.

Duos ineſſe menti noſtrae cognitionis fontes, ſenſualitatem ſcilicet, ſiue facultatem recipiendi repraeſentationes, atque intellectum, quem facultatem dixeris, per hasce repraeſentationes in mente duntaxat exhibitas obiecta cognoſcendi, ſiue intuitiones datas *ad obiecta* referendi, — in hoc enim omnis cogitatio vertitur, — ſupra iam indicatum eſt. (Conf. Aeſthet. transſcend. Prooem. §. 1.) Senſualitas nobis *obiecta praebet*, i. e. materiam cognitionis obiectiuae, repraeſentationes ſcilicet empiricas, in mentem traducit; intellectus obiecta cogitat, i. e. quae *multiplicia* intuitionis empiricae data ſunt, vt *coniuncta in obiecto* repraeſentat. Correlatum igitur repraeſentationi ſenſitiuae ob-

obiectum constituit. Hanc autem repraesentationem indirectam seu mediatam *conceptum* appellamus. Sicuti igitur sensualitatem receptiuitatem impressionum diximus, sic et intellectum seu facultatem obiecta repraesentationis sensualis cogitandi, spontaneitatem (seu potestatem ex se producendi) conceptuum appellare licet. Intuitio igitur et conceptus elementa sunt omnis nostrae cognitionis, et quamuis plane diuersae sint vtriusque vices; tamen in vnaquaque cognitione concurrunt, nec nisi per earum coniunctionem cognitio efficitur. Cognitio igitur ita potissimum definienda est, vt sit *perceptio obiectiua;* perceptionem enim repraesentationem vocamus in conscientia nostra exhibitam, siue cuius ipsi nobis conscii sumus. Quae si vnice in relatione ad subiectum consideratur, quatenus statum ipsius internum afficit, *sensatio*, (conf. Aesthetic. transsc. Prooem. §. 2.) dicitur; sin autem ad obiectum respicimus, quod continetur in repraesentatione, *cognitio*, appellanda est. In qua quidem cognitione efficienda concurrentem facultatis intuitiuae cum cogitatiua operationem haud dubie intelligimus; absque intuitione enim obiectum nullum haberemus cogitationis, absque intellectu vero repraesentationes ad obiectum referre non possemus; cogitatio igitur absque intuitione vacua, et intuitio sine intellectu vana coecaque foret. Vtraque autem aut empiricae est aut purae originis. Empiricae, quando sensatio, ad cuius possibilitatem realis obiecti praesentia requiritur, (quare sensatio quoque materia cognitionis sensualis potest vocari, cf. Aesth. transsc. Prooem. §. 2.) ipsis admixta est, purae, si nulla repraesentationi sensatio subest. Quemadmodum igitur intuitionem puram nil nisi formam a priori, sub qua omnis intuitio possibilis est, dixeramus, ita et conceptus purus formam cogitationis circa obiecta in genere designabit.

In

Inprimis autem cauendum eſt, ne intuitio cum conceptu conceptus cum intuitione permutetur, id quod per amborum in vna cognitione concurſum et facillime potuit fieri et non ſine magno philoſophiae detrimento quam ſaepiſſime factum eſt. Nos autem ne in ſimile incurramus vitium Aeſtheticam, quae de principiis ſenſualitatis agebat, a Logica, *vt ſcientia formarum legumque intellectus*, ſecreuimus.

§. 2.

Logica communis quoad ambitum diſpeſci poteſt in partes 2: Logicam puta vniuerſalem et Logicam particularem.

Reſpicit haec diuiſio ad diuerſam eam cogitandi rationem, ſecundum quam aut de obiectis omnino, aut de quodam obiectorum genere ſpeciatim cogitamus. Continet igitur *Logica vniuerſalis* neceſſarias cogitandi leges atque conditiones, ſine quibus nullus omnino facultatis cogitatiuae vſus eſſe poteſt, nulla diuerſitatis obiectorum, quae circa cogitatur, ratione habita, quare et elementaris Logica denominatur. Cognitiones igitur in hac non quoad argumentum, ſed quoad relationem inter ſe ſecundum intellectus principia conſiderantur. *Logica* autem *particularis*, quae principia continet rite de quodam obiectorum genere determinato cogitandi, organon eſt ſcientiarum particularium, et regulas conſtituit, ſecundum quas cognitiones certi cuiusdam generis ad ſyſtematicum ſcientiae aedificium condi atque componi debeant. Haec autem Logica particularis, quamquam ſecundum rationis progreſſus vltima ſit, — iam enim obiecta cognita nobis atque interius perſpecta eſſe debent, antequam leges, ſecundum quas ſcientia eorum componi debeat, poſſunt conſtitui — per ſingularem me-

 the-

thodi euersionem in scholis vt propaedeutica praemissa fuit.

§. 3.

Logica vniuersalis, quoad principium cognoscendi, duplex est; vel pura, vel applicata.

Intellectum humanum conditionibus empiricis, siue ab experientia petitis, subiectum esse, nemo est qui non nobiscum fateatur. Attamen esse quoque principia intellectus a priori, quae ad eiusdem vsum edocendum pertineant, pari modo quisque, modice tantum in hisce versatus, intelliget.

Pura igitur appellatur Logica vniuersalis, quando haec tantum principia a priori, abstractione facta ab omnibus empiricis conditionibus, sub quibus intellectus exercetur in homine, siue quouis subiecto determinato, proponit, ita vt eam *canonem* dicere possimus intellectus et rationis, siue complexum omnium cognitionis principiorum a priori, sine quibus nullus facultatum cognoscitiuarum vsus, nulla omnino cognitio datur. In hanc igitur Logicam puram nihil prorsus ingreditur, quod ad sensuum influxum, ad vim imaginationis, ad leges memoriae, ad consuetudinis, quam super intellectum exercet, potestatem, etc. spectat; haec enim omnia ab intellectu ipso eiusque legibus aliena sunt, eorumque influxus non nisi per experientiam cognoscitur. *Applicata* autem *Logica* haec omnia comprehendit; exhibet enim leges, pe quas intellectus, quatenus empiricis istis et subiectiui in nobis conditionibus obnoxius cernitur, regendu est. Vniuersalis autem nihilominus eodem, quo pu ista, iure habenda est: nullam enim obiectorum ratio nem habet, nec ad cognitionum nostrarum argumen tum, sed ad vsum intellectus spectat, quatenus in ad subiectiuas mentis nostrae conditiones respiciendu

e

est; quare etiam autor noster non Canonem intellectus, nec scientiarum organon, sed καθαρτικον intellectus communis seu purgatoriam aliquam disciplinam eam appellat, quoniam per ipsam, ne intellectus extraneis atque alienis sibi partibus impediatur, cauemus. Probe igitur in Logica vniuersali pura ista doctrina ab hac applicata secerni debet. Prioris autem haec praecipue sunt attributa:

1) Vt *uniuersalis*, ab omni cognitionis materia et obiectorum, quae cogitari possunt, diuersitate abstrahit, et tantum formam cognitionum siue conuenientiam cum legibus intellectus necessariis respicit;

2) Vt *purae*, nulla ipsi insunt principia empirica, nec, vt quidam voluerunt, ex Psychologiae fontibus hauritur, sed suo ipsa stat fundamento omniaque in ea a priori certa sunt.

Quam vero *applicatam* diximus partem, non proprie doctrina est demonstrabilis, sed Psychologiam recognoscit matrem, et leges exponit intellectus adhibendi in concreto, i. e. quatenus a conditionibus in subiecto contingentibus pendet, quae quidem hunc intellectus vsum aut impedire possunt, aut promouere. In ea de scepticismo, vt statu mentis interno, de origine et augmentis errorum, de attentione, memoria, de idearum associatione, et quae plura sunt generis eiusdem, agitur. Frequentia autem considerantes scientiae Logicae systemata atque expositiones, hanc tam necessariam diuisionem in ipsis plane omissam esse, inueniemus; quare factum est, vt quae a priori certa sunt, cum empiricis, quae contingentia, cum necessariis mixta atque mirum in modum in systematis coalitionem aliquam coadunata sint; qui disputationum et omnis generis errorum vberrimus fons discordiam in eam ipsam scientiam introduxit, ad quam tamen om-

nes reliquae, vt ad communem omnium arbitrum et litium iudicem, debebant confugere.

§. 4.

Logica vniuersalis, quoad contenta, in partes duas solet dispesci; Analyticam nimirum, quatenus principia ad veritatem cognitionis logicae (siue quoad formam) *diiudicandam continet; et Dialecticam, quatenus ipsi quoque principia ad indagandam veritatem obiectiuam, et synthetice augendam cognitionem nostram inesse putatum est.*

Logica, vt supra vidimus, scientia in constituendis ex intellectus natura legibus cogitandi versatur; cogitare autem idem est ac intuitionem datam ad obiectum referre per conceptus. Iure igitur ad hanc scientiam pertinere videtur quaestio de veritate, siue in quo consistat id, quod verum appellamus in cognitionibus nostris. Nec iniuria ista veterum Logicorum explicatio, qua veram esse cognitionem, quae correspondeat cum obiecto suo, definiuerunt, vt insufficiens notata fuit. Nomen enim tantum explicat veritatis non rem. Vlterior igitur aliqua atque generalis quaerebatur veritatis obiectiuae nota, ex qua, quando tandem haec cum obiecto conuenientia in cognitione aliqua adsit, euidenter atque in quouis casu dato dignosci possit.

Eiusmodi autem vniuersalem veritatis notam (κριτηριον Graeci appellant) omnino dari non posse facile euincitur. Si enim vera est ea demum cognitio quae cum obiecto suo congruit, necesse est, vt per eam in tanta obiectorum cognoscibilium diuersitate id quod cogitatur obiectum a ceteris distinguatur. Hoc autem possibilitati criterii vniuersalis omnino repugnat. Vniuersale enim quod quaerimus veritatis criterium

d

de omnibus omnino cognitionibus vt valeat, et notam aliquam generalem, ex qua earum cum obiectis conuenientia diiudicari possit, constituat postulamus. Nullam igitur diuersitatis obiectorum rationem habere poterit, sed ad illud constituendum ab omni cognitionum materia siue argumento abstrahendum foret.

Quum autem veritas obiectiua per naturam suam omnino ad hoc cognitionum argumentum referatur, (quippe quae in cognitionis meae cum obiecto, quod eiusdem argumentum continet, concentu atque conuenientia consistat) inde euidenter patet, nullam vniuersalem veritatis notam constitui posse. Ab omni enim cognitionum argumento abstrahere et de hoc tamen ipso argumento aliquid statuere aperte contradictorium est. Patet igitur in Logica nullum veritatis obiectiuae criterium dari. Attamen negatiuae per ipsam (quatenus leges cogitandi omnino continet) constituuntur veritatis conditiones, sine quibus nihil in cognitionibus verum cogitari potest. Hae autem non materiam, sed formam tantum tangunt cognitionis. Quemadmodum enim in cognitione id, quod eius ad obiectum refertur, materiam diximus, ita forma eius consistit in conuenientia cum legibus facultatis cognoscitiuae necessariis. Si enim in cognitionibus nostris reperiretur aliquid, quod hisce legibus repugnaret, aperte hoc falsum iudicabitur; alioquin enim intellectum sibi ipsi contradicere posse statuendum foret, quod quidem absonum est. Ita si obiectiue statueretur, eandem rem et atram esse et candidam, de hac propositione veritas obiectiua numquam poterit praedicari: esse enim et non esse, siue eiusdem rei et negatio et positio in vno temporis eodemque puncto, principio repugnat contradictionis, quae quidem lex est cogitandi generalis; igitur falsum est. Generale igitur veritatis criterium quoad formam, in conuenientia cognitionis cum legibus intellectus formalibus conspicitur, quae qui-

quidem conditio necessaria est veritatis; at negatiua tantum, nec ad statuendum de veritate obiectiua sufficiens.

Si autem ad veritatem indagandam praeuia disquisitioni obiectiuae requiritur cognitionum diiudicatio formalis, necesse est, vt facultatis cognoscitiuae siue intellectus et rationis functiones per analysin exactam in elementa sua resoluantur, vt inde generales cogitandi leges vti principia diiudicationis logicae completa expositione sistantur. Quatenus igitur Logica vniuersalis in hoc versatur negotio, *Analyticam* eam appellamus.

Vltra hunc vero vsum Logica vniuersalis applicari omnino nequit, nec per ipsius principia aliquid circa obiecta statuendum est.

Quum tamen hucusque in philosophicis errore prope indispensabili rationis humanae euenerit, vt permutatione facta conuenientiae cum legibus cogitandi logicis, cum congruentia cognitionis cum obiecto ipso, logico isto veritatis criterio ad veritatem obiectiuam constituendam abusum sit, inde tractatio altera Analyticae erit adiicienda, in qua de Logica vniuersali, quatenus abusiue pro organo scientiae obiectiuae habita fuit, agatur.

Hoc autem respectu Logicam vniuersalem *Dialecticae* nomine compellere nobis licebit, ex sophistarum veterum fraudulenta illa, at speciosa tamen, quidlibet ex principiis logicis demonstrandi industria, denominationem repetentibus.

II.
De Logica transſcendentali.

§. 5.
De Logica transſcendentali.

Logica transſcendentalis eſt ſcientia de cogitationum formis ſiue de conceptibus et legibus intellectus puris, per quos obiecta cognoſcuntur a priori. *) *Intuitiones eſſe duplicis generis vel puras* vel *empiricas* ſupra iamvidimus. Inde ſupputare licet, poſſe quoque de obiectis dupliciter *cogitari*, vel pure vel empirice.

Ineſſe igitur praeter eos, qui ab experientia oriuntur conceptus, intellectui noſtro quoque conceptus puros, per quos de obiectis aliquid cogitetur a priori, quod nullo modo experientiae via perceptum ſit, hoc vt probabile et conſentaneum hoc loco tantum praeſumitur. Edocti enim per Aeſtheticam transſcendentalem, quae formas exhibet puras, ſine quibus nulla perceptio ſenſitiua poſſibilis eſt, ſimili more formas eſſe quasdam intellectus, a priori conſtitutas, per quas cogitatio obiectorum in genere poſſibilis ſit, col-

*) Facile intelligitur, qua in re differant ea, quae vulgo appellatur Logica, et haec, quam transſcendentalem nos vocamus. Iſta enim quomodo cogitare, iudicare, ratiocinari debeas praecipit; doceri igitur poteſt, et exercitio vſuque nititur, quia multa ſane cautione opus eſt, ne transgrediendo praecepta ipſius in errores incurras, haec autem non praecipit, quod in vſu intellectus obſeruare debeas, ſed explicat eas, quae menti humanae inſunt, cogitationum formas a priori, ſine quibus nullus omnino nec cogitationi nec cognitioni locus eſt, et per quae omnia ſeu recte ſeu ſecius cogitata, cogitationis aſſumunt characterem, ſub quo in mente exhibentur. Rectius igitur fortaſſis *Dianoeologia* ſiue ſcientia cogitationis formalis in genere appellabitur.

ligimus. Ex hac autem ſuppoſitione oritur praeſumtio ſcientiae cuiusdam logicae, quae non, ſicut vniuerſalis iſta, ab omni cognitionum argumento abſtrahit, ſed omnes cognitiones empiricas ab ambitu ſuo ſecludens, leges cogitationis purae a priori conſtituit, ſiue, numquid, et quidnam de obiectis a priori ſtatuatur, diiudicat. Ex hac ſcientia, quam hoc loco vt poſſibilem tantum conſideramus, altera pars problematis iſtius, quomodo iudicia ſynthetica a priori poſſibilia ſint, ſcilicet ea, num intellectus quoque ad efficiendas cognitiones ſyntheticas a priori aliquid valeat? reſoluenda erit. Logicam autem hanc ſcientiam appellamus, quoniam de legibus cogitandi agit, quamquam non in genere de iis, ſed de conditionibus tantum, ſub quibus *a priori* circa obiecta cogitatur, in ea ſermo fiat; transſcendentalem autem propterea, quod de poſſibilitate cognitionis ſyntheticae a priori, per conceptus ſcilicet puros, in ea tractatur. (conf. Introduct. VIII.) Verſatur itaque Logica transſcendentalis in perſcrutando, *primum:* an inſint intellectui (ſicut in ſenſualitate videramus) formae cognoſcendi a priori i. e. conceptus puri, nec ſenſitiuae nec empiricae omnino originis, per quorum vſum atque applicationem iudicia ſynthetica a priori conſtitui poſſint, et quanti ſint, ſiue quam late pateant; *deinde:* an inſit et quomodo ineſſe poſſit hisce cogitationum formis obiectiua realitas ſeu relatio aliqua ad obiecta, a poſteriori ſeu empirice data, ita vt de iis a priori per hosce conceptus aliquid ſecundum certas leges poſſit praedicari, *denique:* quinam ſint limites, vltra quos horum conceptuum a priori vſus atque applicatio extendi nequeat.

§. 6.

Logica transſcendentalis, quatenus elementa cognitionis intellectualis a priori, eorumque relationem ad obiecta docet legesque proponit obiectorum in genere a priori conſiderandorum, Analytica transſcendentalis; quatenus autem temerariam cognitionis purae citra experientiae limites applicationem refellit, Dialectica transſcendentalis appellatur.

In obiectorum cognitione ſemper concurrere ſenſualitatem cum intellectu, ſupra ſatis demonſtratum fuit. Quemadmodum vero in Aeſthetica transſcendentali eam, quae ad ſenſualitatem pertinet, partem ſolam conſiderauimus, ſic et in Logica transſcendentali tantum de ea cognitionis parte ſit ſermo, quae ad intellectum pertinet et in ea ſola originem ſedemque habet. Huius autem cognitionis purae nullum omnino vſum eſſe poſſe, niſi ſub hac neceſſaria conditione, vt obiecta dentur per intuitionem, ad quam purae iſtae intellectus formae referri poſſint, ex ſupra dictis ſatis, vt equidem reor, patebit. Absque enim intuitione cognitio obiectis caret, et ob id ipſum vacua, inanis, imo nulla omnino reputanda eſt. Quatenus igitur Logica transſcendentalis principia exponit omnis cogitationis per intellectum, et conditiones a priori continet, ſine quibus nullum omnino obiectum cogitari poteſt, (ſicut nullam intuitionem absque conditionibus ſpatii et temporis poſſibilem eſſe intelleximus) ob hanc, inquam, analyticam functionem, ſecundum quam intellectum in ſua quaſi elementa reſoluit, Analytica nominatur transſcendentalis. Logicam quoque veritatis Kantius appellauit, nulla enim cognitio de obiectis vera eſſe poteſt, niſi quae conditionibus a priori, ſub quibus ſolis obiecta dari poſſunt, conſentanea ſit. Logica igitur hac veritatis, ſiue Analytica transſcenden-

 tali,

tali, elementaris, quem appellauimus, tractatus absolutus, et fundamentum philosophiae transscendentalis iactum est. At quoniam mens humana semper de suprasensibilibus, de quibus nulla obiecta dantur in intuitione, scire atque pernoscere aliquid cupiens, conceptus istos et principia intellectus puri, (quorum tamen nulla nisi ad statuendum de obiectis experientiae vis est,) vltra limites experientiae applicare gestit; inde factum est, vt istorum principiorum formalium materialis quidam vsus in philosophiam introductus sit, secundum quem, quae ex parte tantum, scilicet quoad obiecta experientiae valebant, ut valida in totum et sine restrictione acciperentur, indeque obiectiua aliqua de obiectis intelligibilibus (πεξινοεμενων) doctrina conficeretur, quae quoniam fundamento vnico cognitionis realis (obiecto scilicet intuibili) carebat, multimodis erroribus atque opinionum certaminibus obnoxia athletis suis sudorem inanem, spectatoribus saepe risum, saepe indignationem excitauit. Eam ob causam igitur tractatio altera Analyticae transscendentali adiungenda est, quae speciem illam falsam in argumentationibus rationis circa intelligibilia detegat, certamen illud apparens rationis cum semet ipsa ex vano rationis conatu, quae ad experientiam tantum relata valeant, ad Noümena, quae dicunt, siue entia cogitationis referendi, deriuet, itaque terminum ipsi imponendo rationem ipsam ad cognoscendos limites suos perducat, et hos intra modeste contineat. Hoc autem negotium in parte altera tractatus circa Logicam transscendentalem, in Dialectica scilicet transscendentali, (quam Logicam speciei, speciem veluti veritatis aliquam exhibentem, appellare licet) perficiemus.

Logices transſcendentalis Pars prior. Analytica transſcendentalis ſeu Dianoeologia.

PROLUSIO.

De Analytices transſcendentalis argumento. Analytices transſcendentalis partes ſunt 2: quarum altera Analyticam conceptuum intellectus puri, altera propoſitionum fundamentalium cognitionis ſyntheticae a priori continet.

Vidimus Logicam transſcendentalem ſimili more cum vniuerſali Analyticam habere ſuam et Dialecticam. Verum Analytica transſcendentalis, ſiue Logica transſc. proprie ſic dicta (quum Dialectica negatiui tantum ſit vſus et ad inhibendos errores apta) non eodem modo, quo Logica vniuerſalis, in partes diſtribuitur. Logicae enim vniuerſalis obiecta tot ſunt, quot facultatis cognoſcitiuae in genere elementa: haec ſcilicet tria: intellectus, iudicium ſeu facultas iudicandi, i. e. ſub leges intellectus ſubſumendi, et ratio. Tribus igitur ſectionibus, ſecundum harum mentis facultatum functiones, agit de conceptibus, de iudiciis, de ratiociniis. In hac enim Logica formali, quum nulla argumenti cognitionum, an empiricae ſint an purae ratio habeatur, etiam canon rationis (§. 3.) comprehendi poteſt. Datur enim canon rationis quoad vſum eiusdem logicum, (ſecundum quem facultas eſt ratiocinandi, i. e. particularia ex generalibus deriuandi.). Uſus autem hicce logicus ſiue formalis rationis, certis quibusdam legibus nititur, quae a priori per analyſin operationum rationis in momenta ſua ſine vlla cognitionum ſecundum originem aut materiam conſideratione intelligi poſſunt. At Logica transſcendentalis hanc di-

diuisionem nequit imitari. Rationis enim respectu transscendentali, secundum quem rationem vt fontem cognitionum per se consideramus, nullus omnino vsus est ad cognitiones obiectiue veras efficiendas; vltra enim experientiae fines nihil de obiectis omnino statui potest. (Conf. Introduct. III.) Usus igitur rationis transscendentalis non ad Analyticam transscendentalem, quam supra (Logices transscendentalis Prooem. §. 6.) Logicam veritatis esse diximus, pertinet, sed in Dialectica transscendentali, vt Logica speciei perpendendus est.

Hac igitur parte detracta, intellectus tantum et facultas restat iudicatiua sensu restrictiori, quorum canon in Analytica transscendentali exhibendus est. Duobus igitur libris hicce tractatus perficietur, quorum primus de formis cogitandi in genere siue conceptibus intellectus puris, eorumque ad obiecta relatione a priori, secundus de legibus ex hisce conceptibus puris a priori deuolutis, secundum quas obiecta sub hosce conceptus puros debent subsumi, (iudicare enim idem est ac in casu dato sub leges intellectus subsumere) tractabit. Illum conceptuum, hunc propositionum fundamentalium intellectus puri Analyticam, seu doctrinam facultatis iudicatiuae transscendentalem, inscripsimus. Docet prior, quaenam sint omnis cogitationis elementa a priori, alter quid secundum hasce cogitationis leges de obiectis in genere sciri cognoscique possit, enucleat.

LI

LIBER PRIMUS.
ANALYTICA CONCEPTUUM.

Prodromus.

Analytica conceptuum in conceptibus intellectus puris indagandis, exhibendis et deducendis, versatur.

Hoc propterea praemonendum esse censuimus, ne quis permutatione quadam vocabulorum deceptus nos in analysi conceptuum siue in resoluendis in elementa sua certis quibusdam conceptibus versari opinetur. Haud enim conceptus quosdam nobis datos hoc loco praesumimus, quos, vt plerumque in philosophorum commentationibus fieri solet, resoluendo ipsos in elementa sua, in clariorem lucem protrahere studeamus; sed ipsam cogitandi facultatem ab omnibus empiricis, i. e. a sensuum influxu deriuatis conditionibus liberatam examini subiicimus, vt per hanc disquisitionem, quaenam insint intellectui purae conceptuum formae et quinam sit eorum vsus a priori pateat. Hac demum ratione sisti poterit, quomodo omnis per conceptus cogitatio possibilis sit, dum scilicet conceptus a priori ex ipsa intellectus natura deriuati exhibentur, quorum vsus et relatio ad obiecta cognoscenda a priori deduci potest. Per hanc autem deductionem negotium perficietur philosophiae transscendentalis, quippe quae, vti diximus, (Introduct. VIII.) in principiis constituendis, ex quibus cognitionis possibilitas a priori demonstrari possit, versatur. Hoc autem negotium vt rite compleatur, ad quatuor inprimis momenta attendendum erit:

1) Vt conceptus, qui vt elementares sistuntur, puri sint, nec qui ab experientia possint deduci.

2) Vt non ad intuitionem et sensualitatis omnino dominium, sed ad intellectum et cogitationem pertineant.

3) Vt sint vere elementares, et a compositis siue deriuatis probe secernantur.

4) Vt complexus eorum totus in se perfectus sit, et omnis intellectus puri campus emensus per eos cernatur.

Haec autem requisita nullo modo adimpleri poterunt, nisi principium aliquod adsit, quo in conceptuum purorum indagatione ducamur. Alioquin enim si casu tantum et sine filo quodam Ariadneo in hac facultatis cognoscitiuae labyrintho passim circumuagamur, aggregata aliqua coaceruabitur conceptuum congeries, de cuius tam absoluta totalitate quam certitudine nihil umquam poterit constare, idemque eueniet, quod olim Aristoteli accidit, qui completam suam decem categoriarum siue praedicamentorum tabulam postmodo quinque aliis, quae postpraedicamenta appellauit, augere debuit, et empiricos conceptus cum puris, deriuatos cum elementaribus in eadem tabula componendo, negotium philosophiae transscendentalis suscepit quidem, at imperfectum et rude potiori longam post saeculorum seriem philosopho tradidit. (Conf. Aristotelis Οργανον ἡ περι λογικης παιδειας: κατηγοριαι.) Kantius igitur, ne in idem cum Aristotele vitium incurreret, intellectum purum vt fontem cognitionis per se ab omnibus empiricis conditionibus liberauit, atque principium constituit, secundum quod omnia eiusdem elementa a priori deducerentur; ita vnitate systematis constituta ex interno partium nexu et absoluta earum enumeratio, et iusta singularum positio diiudicari possint.

A.

Analytica igitur transſcendentalis, quemadmodum in indagandis, ſiſtendis et deducendis conceptibus puris verſatur, tribus capitibus abſoluetur, quorum primum de principio indagandi conceptus puros aget, ſecundum ipſorum praedicamentorum tabulam exhibebit, tertium in eorumdem deductione, ſiue in explicanda relationis conceptuum a priori ad obiecta poſſibilitate verſabitur.

ANALYTICES CONCEPTUUM

CAPUT PRIMUM.

De gnomone ſiue principio hodegetico ad indagandos conceptus puros.

Sectio prior.

De vſu intellectus logico in genere.

§. 1.

Cognitio per intellectum non intuitiua eſt, ſed diſcurſiua; nec per affectionem mentis paſſiuam ſed per functionem eiusdem ſpontaneam efficitur.

Intellectum eſſe facultatem cognoſcendi, non a ſenſibus pendentem, ſupra iam datis demonſtratum eſt. Sine ſenſuum autem operatione nullas nobis intuitiones dari poſſe, hoc quoque ex ſuperioribus lectoris animo inhaerebit. Intellectus igitur non cognoſcit per intuitionem. Praeter intuitionem vero nullus datur cognoſcendi modus niſi per conceptus, ſiue repraeſentationes mediatas, quae non niſi per alias (intuitiuas) re-

repraeſentationes ad obiecta referuntur: quare cognitio per intellectum non intuitiua ſed *diſcurſiua* appellatur. Intuitiones non poſſe praeberi, niſi mens ſenſualiter afficiatur, compertum eſt; intellectus autem non afficitur, ſed ſpontaneam (i. e. a ſenſuum impreſſionibus liberam) exercet operationem, dum varias intuitionis repraeſentationes ſub vna generaliori indirecta comprehendit.

Hanc autem ſpontaneam intellectus operationem, ſecundum quam diuerſae repraeſentationes ſub vna omnium communi comprehenduntur, functionem intellectus logicam appellabimus. Quemadmodum igitur intuitus affectionibus paſſiuis, ita conceptus actiua hac ſeu ſpontanea intellectus functione nituntur.

§. 2.

Vſus intellectus logicus verſatur omnis in iudicando, ita vt intellectum in genere per facultatem iudicandi definire liceat.

Nullus omnino conceptuum cogitari poteſt vſus niſi vt intellectus per eosdem iudicare, i. e. ſpecialia v ſub vniuerſalibus comprehenſa cogitare, atque ſub legem generaliorem ſubſumere poſſit. (cf. Logices tranſcendent. Proluſio.) Quum autem, vti vidimus, conceptus non directam ad obiectum relationem habeat ſed ad alias de obiecto repraeſentationes referatur, inde colligimus, iudicium, per conceptus, indirectam tantum de obiecto cognitionem et ſecundariam, et repraeſentationem quaſi offerre repraeſentationis. In quouis iudicio conceptus ſiſtitur generalior, qui communem multorum cogitabilium notam continet, at in ſpecie ad datam aliquam repraeſentationem refertur, cuius relatio ad obiectum correſpondens cognita eſt.

Exer

Exemplo hoc intellectus iudicium esse potest: „Omnia corpora sunt diuisibilia„ In hoc indicio notio generalior sistitur diuisibilitatis, quae quidem complures conceptus comprehendit; hic autem in specie ad conceptum corporis refertur, cuius relationem ad phaenomena per intuitionem data, vt cognitam praesumimus. Omnia igitur obiecta, quae conceptui corporis correspondent, indirecte per notionem diuisibilitatis repraesentantur. Iudicia igitur formantur per functionem vnitatis repraesentationum, quum scilicet ad cognoscendum obiectum loco directioris repraesentationis altior aliqua atque remotior adhibetur; per quam multae cognitiones in vnam coniungi atque per praedicatum commune inter se vniri possunt. Omnes autem intellectus operationes ad iudiciorum formationem possunt referri. Intellectus enim, vti vidimus, facultas est cogitandi; cogitare autem idem plane est ac cognoscere per conceptus. Conceptus autem semper praedicata sunt iudiciorum possibilium et repraesentationes multorum obiectorum comprehendunt, ad quas in casu dato referri possunt. Sic e. g. conceptus corporis repraesentationes metallorum, ligni, lapidum, et omnium in genere obiectorum, quae per eum cognosci atque definiri possunt, sub se comprehendit, et ad haec in casu dato potest referri; ita vt v. c. iudicium hoc efficiatur: Omne metallum corpus est, vel omnes lapides sunt corpora. Est igitur conceptus corporis praedicatum indefinitae multitudinis iudiciorum cogitabilium. Conceptus autem inferior metalli rursus est praedicatum omnium iudiciorum possibilium, in quibus aliquid datur, quod per hunc conceptum definiri potest: e. g. ferrum, argentum, aurum, et sic porro. Natura igitur conceptus ea est, vt semper ad repraesentationes sub eo comprehensas referri possit, quasi eorum praedicatum commune. Cogitando igitur, mediatae ali-

E cuius

cuius repraesentationis relationem ad complures im-
mediatas vel propiores obiectorum repraesentatione
sistimus i. e. particularia vt sub generalibus compre-
hensa repraesentamus, breui, iudicamus. Valet ig
tur id, quod in paragraphi inscriptione positum era
omne intellectus negotium versari in iudicando,
posse intellectum definiri per facultatem iudicandi.

§. 3.

*Principium hodegeticum siue gnomon ad indagandos conc-
ptus puros continetur in functione intellectus iudic
constituentis.*

Si iudicare, vti vidimus, idem est ac repraesent
re per conceptus, omnis autem conceptus praedic
tum est iudicii possibilis, inde efficitur, quod sint m
di comprehensionis repraesentationum compluriu
sub vna generali a priori, siue functiones intellect
in iudicando, totidem etiam esse debere concept
puros, qui hisce functionibus, vt iudiciorum prae
cata, a priori correspondeant. Inquirendum igitur
in functiones intellectus circa iudicia, quae si rite
uentae et dispositae fuerint, aditus ad intellectus p
recessus nobis patebit et veluti ex sanctis penetralit
originariae conceptuum formae depromi poterunt.

SECTIO ALTERA.

De logica intellectus in iudicando functione.

§. 1.

*Functio logica in iudiciis constituendis quadruplex
quoad quantitatem, qualitatem, relationem et mo
litatem.*

Nulla materiae iudiciorum possibilis ratione
ita ad to rmalem tantum intellectus in eis constitu

lis operationem attendentes, omnia iudicia sub hisce quatuor titulis comprehendi posse intelligemus, ita vt perfecta eorum expositio in conspectu subsequenti exhibeatur. Iudicia sunt

1) *quoad quantitatem*
Vniuersalia
Particularia
Singularia

2) *quoad qualitatem*
Affirmatiua
Negatiua
Infinita

3) *quoad relationem*
Categorica
Hypothetica
Disiunctiua

4) *quoad modalitatem*
Problematica
Assertoria
Apodictica

Quantitas autem iudiciorum respicit ad ambitum eorum et repraesentationum, quae sub iisdem comprehendantur, multitudinem; *qualitas* ad praedicati aut positionem aut remotionem; in *relatione* consideramus aut quomodo subiectum se habeat ad praedicatum in vno iudicio (categorico), aut duorum iudiciorum (hypotheticorum) nexum aliquem caussalem constituimus, aut denique omnibus circa obiectum aliquod cogitabilibus collectis vnam alteri cognitionem opponimus (in disiunctiuis). Per modalitatem vero in iudiciis, copulae tantum valor, siue gradus realitatis, quo praedicatum circa subiectum pollet, definitur. Haec ad vocabulorum explicationem sufficiant, quae autem ad singulas iudiciorum species adhuc obseruatu digna videbuntur, sequentibus §. §. adiiciemus.

§. 2.

Iudicia singularia quoad ambitum ab vniuersalibus seu communibus iudiciis secerni debent.

Cur singulare iudicium in hac tabula secretum ab vniuersalibus posuerimus, Logicis reddenda ratio est.

eſt. Rite enim monetur, eundem eſſe quoad vſum logicum in ratiociniis iudicii ſingularis habitum ac ſi vniuerſale eſſet. Quoniam enim ſubiecti iudiciis ſingularibus nullus omnino ambitus eſt, propterea quoque praedicatum non ad particularia quaedam ſubiecti referri poteſt, ſed eodem, quo in vniuerſalibus, modo de omni omnino ſubiecto valet. At alio adhuc reſpectu, quoad ambitum ſcilicet, ſingularia iudicia cum vniuerſalibus poſſunt conferri, et hic magna amborum patet diuerſitas. Quantum enim in Arithmeticis vnum differt ab infinito, tantum ſingulare a communi iudicio diſtare conſpicitur; quum illud de vna tantum, hoc vero de infinitis cognitionibus valeat quae ſub eodem ſubiecti conceptu poſſunt comprehendi. Ex quo colligere licet, quare ita, vt fecimus, diſtinguendum eſſe putauerimus.

§. 3.

Iudicia infinita quoad vſum logicum ad aſſertoria pertinent, quoad cognitionis autem modificationem ſeparatim conſideranda ſunt.

Iudicium infinitum tale eſt, in quo de ſubiecto aliquid per praedicatum negatiuum aſſeritur, vt quum dicas animam hominis eſſe immortalem aut ſpiritum eſſe ſubſtantiam inuiſibilem etc. Logica vniuerſalis, quae ad formam tantum aſſerendi in qualitate iudiciorum reſpicit, neglecto praedicati, an affirmat ſit, an negationem contineat, argumento, iure infinita iudicia inter affirmatiua comprehendit: at in transſcendentali, quae quid ad cognitionem ipſam per praedicati appoſitionem in quouis iudicio afferatur dignoſcit, infinita iudicia ab affirmatiuis propter negationem praedicato inhaerentem ſeparanda ſunt. Limitatur enim in hoc iudiciorum genere infinitus omnium cognoſcibilium campus per ſubtractionem omnium obiectorum, quae ſub praedicato contine-

tu

ır, et subiectum in eum possibilium complexum po-
ıtur, qui hac deductione facta restat. Exemplo op-
me res illustrabitur. Animam igitur si inuisibilem
sse iudicamus, praedicatum visibilitatis ipsi tribui
on posse asseritur. Sic autem statuentes ab omni-
us obiectis cognoscibilibus ea subtrahimus, quae
ıb praedicato visibilitatis cogitantur, et subiectum,
nimam scilicet, in immensum eorum campum poni-
ıus, quae separatis visibilibus vt possibilia in cogita-
ione supersunt. Assignatur itaque per tale iudicium
ıus subiecto inter cognoscibilia locus, per circum-
riptionem, quare forsan iudicia huius generis non
ıfinita, sed per negationem limitantia appellare con-
ntaneum foret. Functio autem logica in eiusmodi
ıdiciis omnino omittenda non erat, quoniam eius in
gibus cogitationis purae constituendis magnus for-
ıssis usus cerni poterit.

§. 4.

*orum, quae in iudicio comprehenduntur, triplicem tan-
tum cogitare possumus relationem: 1) praedicati ad
subiectum. 2) causae ad consequentiam. 3) mem-
brorum cognitionis diuersae inter se: ex quo tres ori-
untur iudiciorum quoad relationem species.*

Si praedicatum quoad relationem ad subiectum
ınsideratur, *categorica* exsistit propositio, in qua duo
ntum conceptus inter se comparantur; sin autem
ıter causam et consequentiam relatio sistitur, hypo-
ıetica est, nec duos conceptus sed duo diuersa iudi-
ı inter se coniungit, vti si dicas: si terra lumen ac-
pit a sole, necesse est, vt circa axem suam rotetur;
qua propositione duo haec iudicia continentur:

1) Terra accipit lumen a sole, et

2) Terra rotatur circa axem suum.

 Circa

Circa veritatem vtriusque in iudicio nostro hy-
pothetico nihil omnino statuitur, sed ea tantum am-
barum sistitur relatio, vt si primam ponas, necessari
inde et altera fluat.

In tertia iudiciorum quoad relationem speci
(disiunctiua) indefinita iudiciorum multitudo inter
comparatur, quae tamen omnia nexu interno diuisi
nis vt membra diuidentia vniuersae circa obiectum al
quod cognitionis cohaerere debent. V. c. circa mu
di originem statuentes sic iudicare debebimus: Mu
dus exsistit aut per necessitatem internam, aut per c
sum fortuitum, aut per caussam aliquam externa
ita vt per haecce tria iudicia omnem dimetiamur co
nitionis possibilis campum circa mundi existentia
Quaelibet igitur harum propositionum partem aliqua
continet cognitionis circa mundi origines; omnes a
tem collectiue vniuersam et absolutam efficiunt cog
tionem. Cernitur igitur harum propositionum re
tio et communicatio quaedam interna, quatenus
partes ad efficiendam totalitatem cognitionis possi
lis cohaerent, quamuis sese inuicem excludant,
vt posita vna ceterae per id ipsum negentur. Si
tur pono: Mundus exsistit per caussam extern
per id ipsum iam renuo, mundi origines in alia q
dam cognitionis possibilis parte quaerendas esse.

§. 5.

Quoad modalitatem (siue vim copulae conf. §. 1.) p
dicatum de obiecto valet aut vi possibilitatis aut
tatis logicae, aut denique necessitatis.

Modalitas in iudicio nihil facit ad argument
quod tribus superioribus momentis quantitate, q
tate et relatione absoluitur, sed quonam realitatis
du praedicatum de subiecto valeat, i. e. pondus c
lae, definit. Tres autem constitui possunt gr
h

huiusce ponderis. Cogitatur enim affirmatio vel negatio in praedicato expressa aut vt possibilis tantum, aut vt vera, siue realis, aut denique vt necessaria siue per ipsius intellectus leges imperata. Si possibilis, inde iudicia oriuntur problematica, qualia in propositione hypothetica cernuntur, si realis, assertorium est iudicium, qualis propositio minor in ratiociniis hypotheticis, sin necessaria, apodicticum efficitur iudicium, quale hoc: Nihil potest esse simul et non esse, aut: „Substantiae nulla possunt esse praedicata contradictoria."

CAPUT SECUNDUM.

De conceptibus intellectus puris siue praedicamentis.

SECTIO PRIOR.

Praemonita de synthesi.

§. 1.

Synthesis repraesentationum, quid sit? Synthesis significatione vniuersalissima ea est mentis operatio, secundum quam unam alteri repraesentationem adponit, (συντιθεται; vnde et συνθεσεως vocabulum originem trahit) earumque multiplicitatem sub vna eademque apperceptione comprehendit.

Logicam vniuersalem a transscendentali eo potissimum differre diximus, vt in *illa* ab omni cognitionum argumento omnino abstrahatur, conceptusque ex repraesentationibus alicunde datis analytice tantum efficiantur: *haec* autem ab Aesthetica transscendentali ip-

ſi praebitas, temporis et ſpatii intuitiones puras reci
piat, itaque materiam conceptibus intellectus puri
ſuppeditet, ſine qua inanes et omni omnino ſignifica
tu deſtituti forent. Quum enim in ſpatio ac tempor
multiplicitas contineatur intuitionis a priori, qua
omnium de obiectis repraeſentationum recipiendaru
forma eſt atque conditio indiſpenſabilis, inde effic
tur, omnem conceptum, qui de obiectis ſtatuitur
priori, ad tempus et ſpatium relatum eſſe debere.

Haec autem, quae tempori et ſpatio inſunt, d
uerſa intuitionis a priori, per ſpontaneitatem intell
ctus apprehendi et ſecundum certas leges coniungi d
bent, vt inde cognitio efficiatur. Eam autem, p
quam hoc fit, mentis operationem συνθεσιν appellamu
ſeu repraeſentationum quaſi appoſitionem aliquam
variorum comprehenſionem in vno. Haec ita defin
ta repraeſentationum ſyntheſis omni analyſi cogniti
num anterior eſt. Antequam enim in elementa ſ
cognitionem aliquam reſoluere poſſis, neceſſe eſt,
ipſa exiſtat anterior; per ſyntheſin autem repraeſe
tationes vt elementa cognitionum colligantur, ſicq
per vnitionem primum efficitur cognitio. In orig
nem cognitionum noſtrarum igitur inquirentes p
mum ad ſyntheſin hanc vt matrem cognitionis atte
dendum eſt.

Syntheſis in genere, ſecundum geneſin, effect
eſt *imaginationis*, quae continuam et neceſſariam
animo noſtro functionem exercens tamen ſaepiſſim
latet, et raro tantum nos ſui nobis conſcios eſſe ſin
Verum hanc ſyntheſin ad altiorem per conceptus v
tatem efferre, hoc non imaginationis ſed intellect
eſt. Puram appellamus ſyntheſin eam, cuius mul
plicia, quae vniuntur, non per experientiam ſed
priori data ſunt, et in qua vnitatis ſyntheticae fund
mentum adeſt a priori. Sic e. g. calculus arithme

cus in numerando ſyntheſis eſt pura per conceptum; ſit enim ſecundum commune omnibus numerandis fundamentum, e. g. decados.

Haec autem ſyntheſis pura vniuerſaliter conſiderata conceptum intellectus purum ſiue praedicamentum exhibet.

§. 2.

Tria ſunt, quae ad efficiendam circa obiecta cognitionem concurrere debent, momenta a priori: primum multiplicitas in intuitione pura a priori; exhibita deinde multiplicium ſyntheſis per imaginationem; poſtremum conceptus, per quem ſyntheſi huic purae vnitas tribuitur, eiusque quaſi conſiſtentia, et certa quaedam atque indiuidualiter determinata cognitio conſtituitur.

Probe iterum hoc loco inter functiones logices vniuerſalis et transſcendentalis diſtinguendum eſt. Logica enim vniuerſalis, quomodo variae repraeſentationes ſubſumantur ſub vnum conceptum, ſiue quomodo analytice ex communi variorum repraeſentationis nota conceptus efficiantur, demonſtrat; transſcendentalis autem, repraeſentationum ſyntheſin puram ad conceptus reducere docet. Hi autem conceptus per quos vnitas ſyntheſi purae datur, nihil continent, quam generalem neceſſariae huiusce vnitatis ſyntheticae notionem, quae quidem ab intellectu proficiſcitur.

§. 3.

Vnitas ſynthetica repraeſentationum in intuitione a priori per eandem intellectus functionem efficitur, per quam variae repraeſentationes in iudicio vniuntur. (Conf. Cap. I. §. 2.)

Per functiones logicas, quas capite primo expoſuimus, omnis intellectus poteſtas emenſa erat, nec alia eius ſeſe exſerendi facultas supereſt. Pari modo

igitur, et per eandem functionem, per quam vnit
tem logicam conceptuum in iudicio analytice eum ef
cere vidimus, etiam syntheticam variorum in intu
tione pura apperceptorum vnionem intellectus cons
tuit. Hoc autem modo argumentum siue materia
transscendentalem repraesentationibus suis compara
quas propterea conceptus puros appellauimus, qu
nihil a sensualitate petitum continent, sed a priori
obiecta intuitionis referuntur.

Inde totidem intellectus puri oriuntur concept
quot in tabula supra (Cap. I. Sect. 2. §. 1.) expos
cernebantur functiones iudiciorum. Kantius hos
conceptus puros categorias appellauit, Aristotelem sequ
tus, cuius exstat περι κατηγοριων liber et quidem O
gani primus; nos autem eiusdem interpretum vel
gia legentes, vocabulo eos latino praedicamenta a
pellabimus.

Sectio Altera.

Tabula praedicamentorum cum obseruationibus.

§. 1.

A) *Tabula.*

Praedicamenta sunt:

1) Quoad *quantitatem:*	2) Quoad *qualitatem:*
Vnitas	Realitas
Pluralitas	Negatio
Totalitas seu Omnitudo.	Limitatio.
3) Quoad *relationem*	4) Quoad *modalitatem*
Substantia et Accidens	Possibilitas et Imposs litas

C

Caufalitas et Dependentia
(Caufa et effectus)
Influxus feu Concurrentia (fiue operatio alternatiua agentium et paffiuorum.)

Exfiftentia et Non — exfiftentia
Neceffitas — Contingentia.

§. 2.

Praedicamentum quid fit?

Vidimus iam in fuperioribus, conceptum femper effe praedicatum iudicii poffibilis; igitur quot fint functiones feu modi iudicandi a priori, totidem effe debere conceptus puros, feu praedicata, per quae omnia *iudicabilia*, *) ad vnam alteramue harum functionum referantur. (Conf. Logic. transfc. Pars 1. Lib. 1. c. 1. §. 3.) Vidimus quoque (c. 2. Sect. 1.) praedicamentum nihil aliud exprimere, quam notionem generalem vnitatis fyntheticae repraefentationum, quatenus haec neceffarie fecundum aliquam functionem intellectus debet conftitui: facilius igitur nunc fubfequens de praedicamentis in genere definitio comprehendi poterit.

Sunt igitur *praedicamenta*, *conceptus de obiecto in genere, per quos obiecti intuitio vt ad vnam alteramue functionum iudicandi logicarum pertinens declaratur.* Sic e. g. fi iudicium hoc: „Omnia corpora funt diuifibilia„ ad logicam iudiciorum tabulam (vid. fupra Cap. 1. Sect. altera) referimus, categoricum illud effe inueniemus. Functio enim in eo cernitur logica relationis praedicati ad fubiectum. Verum in hoc intellectus vfu mere logico nihil adhuc definitum erat circa horum

*) (Sit venia vocabulo etiam apud Verulamium et Scholafticos paffim obuio, quibus indicabile vfu venit pro obiecto iudicii poffibilis.)

horum conceptuum naturam, nec constabat adhuc, cui-nam eorum functionem subiecti, cui alteram praedicat velimus tribuere! Locus enim, quo quisque conceptuum positus est, hic nihil omnino ad rem facit. Inuerte-re enim licet sic quoque: „Quoddam diuisibile cor-pus est„. Sin autem vtrumque conceptum ad corre-spondentia iudiciis categoricis praedicamenta substan-tiae et accidentis referimus, necessariam repraesenta-tionum synthesin in intuitione inuestigantes; corpus in nulla obiecti cogitati modificatione (quamuis in me-ro conceptu liceat) aliter quam per subiectum, diui-sibilitatem non aliter quam per praedicatum cogitar posse, intelligemus. Subsumendum igitur erit cor-pus sub categoriam substantiae; diuisibilitas sub acci-dentis; et sic conceptus fiunt de hisce obiectis a prio-ri. Declaratur enim per haec substantiae et acciden-tis praedicamenta, obiectum in intuitione empiric semper vt subiectum, numquam vt praedicatum me-rum considerari debere; diuisibilitatem autem ipsi v praedicatum inhaerere.

§. 3.

A praedicamentis utpote conceptibus intellectus puris ele-mentaribus conceptus puri deriuantur secundi ordinis siue praedicabilia.

Praedicabilia ortum originemque ex eodem, qu praedicamenta, intellectu repetunt, at non immedi ate sed per praedicamentorum aut inter se aut cum modis sensualitatis purae coniunctionem generantur Sunt autem *modi sensualitatis purae* determinatione relatiuae, secundum quas tempus et spatium possun cogitari, quemadmodum si sermo fit de loco, *ubi* (aut situ) vel de tempore *quando*, an prius, simul etc.! Ex ista, quam diximus, coniunctione, magna ori tur conceptuum deriuatorum siue praedicabilium mul titud

titudo, quae si rite deriuata praedicamentis suis quodque loco debito subiungas perfecta intellectus puri quasi genealogia exhiberi, indeque quid intellectus per se ad cognoscendum polleat, intelligi poterit.

Haec autem omnium tam elementarium quam deriuatorum intellectus puri conceptuum tabula eo facilius perfici potest, quo iam in ontologicis plerumque disquisitionibus praedicabilia adnotata inueniuntur. Sic e. g. de vi agitur, de actione, de passione, quae quidem sunt praedicabilia caussalitatis; de praesentia et resistentia, quae a praedicamento communionis; de ortu, interitu et commutatione, quae a categoriis modalibus deriuantur. Haec pauca loco exempli sint praedicabilium; quamquam enim opera haud difficili omnem intellectus puri tabulam perfecta expositione possemus sistere, hunc tamen laborem, vt non ad criticam nostram transactionem pertinentem absoluto philosophiae transscendentalis systemati reseruamus. Transcundum igitur iam erit ad aliam obseruationem circa diuisionem praedicamentorum in *mathematica* et *dynamica*.

§. 4.

Praedicamenta sunt vel mathematica vel dynamica.

Fundamentum huiusce diuisionis facile perspicitur. Videmus enim, quatuor istas praedicamentorum classes, quas huiusce sectionis §. 1. exposuimus, commode in duo distribui posse genera, quorum primum, quod continet praedicamenta quantitatis et qualitatis, ad obiecta ipsa intuitionis tam purae quam empiricae a priori secundum numerum et naturam eorum definienda pertinet. Hoc genus *mathematicum* est, ex eo enim omnia matheseos principia repetuntur. Alterum *dynamicum* seu *virtuale* appellauimus, in quo quidem non ad obiecta ipsa, sed ad eorum exsistentiam respicitur,

citur, quatenus haec vel quoad mutuam obiectorum inter se relationem, (vt in praedicamentis *relationis* vel quoad modum, quo intellectus hanc eorum exsistentiam ponit, (vt in praedicamentis *modalitatis* considerari potest. Graecorum autem δυναμις, quae quidem vis est siue gradus aliquis virtualis exsistentiae quo obiectum quodque potest pollerque, huic denominationi originem dedit.

Haecce duo genera eo potissimum differre pate quod in primo nulla sint praedicamentorum correlat in altero autem cuique suum correspondeat corr latum.

Haec ita disposita praedicamentorum tabula, hoc quoque in transitu (ὡς ἐν παρεδῳ) obseruemu magno poterit vsui esse in constituenda omnis cogn tionis purae forma.

Quum enim non solum omnes intellectus pu conceptus elementares complete exhibeat, sed fo mam quoque systematis in distributione classium et g rum sistat, necesse est, vt ad schema aliquod dispone dae scientiae, quae conceptibus a priori innititur, d lineandum egregie comparata sit. Omnia enim, qu a priori de obiectis dici possunt, sub vnam alteram huiusce tabulae classem referri posse debent. Exe plo hoc Autor noster demonstrauit in libro eo, q metaphysicae scientiae naturalis, inprimis eius, qu de corporea agit natura, principia exhibet. Materi enim conceptum in hoc libro secundum quatuor pr dicamentorum classes autor noster considerat et secu dum hoc schema Metaphysicam naturalem in par IV. distribuit.

§. 1.

Tertium cuiusuis classis praedicamentum ex coniuncti duorum antecedentium oritur, nec tamen deriuat est, vel praedicabile.

F

Facile vnusquisque lector paullulum attentior iam ipsam praedicamentorum tabulam perlustrando animaduerterit, tertium semper praedicatum e coniunctione antecedentium duorum effici. *Totalitas* enim, quae quidem quantitatis tertia est categoria, pluralitas est ad vnitatem redacta, siue vnitas pluralitatem aliquam comprehendens; *limitatio* realitatem exprimit per negationem circumscriptam; *communio* caussalitas est substantiae vnius in determinatione reliquarum conspicua; *necessitas* denique ab existentia per possibilitatem ipsam data efficitur. Haud tamen propterea pro deriuatis tertia ista praedicamenta habenda sunt. In ipsa enim duorum conceptuum *coniunctione* cernitur functio intellectus plane diuersa ab illa, quae in prioribus exercebatur. Haud enim ex coniunctione conceptuum caussalitatis et substantiae statim comprehenditur, quomodo vna substantia caussa modificationis cuiusdam in altera eiusdem obiecti intuitiui esse possit, nec semper vbi pluralitatem sub vnitate comprehenderis, conceptus *numeri*, qui ad omnitudinem pertinet, efficietur. In repraesentatione enim infiniti, quae ex pluralitate absoluta sub vnitatem comprehensa efficitur, numeri conceptus non adest. Vnde ad tertiam istam categoriam efficiendam particulari intellectus operatione, et quidem functionibus logicis tertio loco in iudiciorum classibus positis correspondenti, opus esse patet, et aequo, quo cetera praedicamenta, iure haec tertia quoque pro elementaribus habenda sunt, quum non, vt praedicabilia supra definita, ex sola antecedentium compositione necessarie prodeant, sed ad ea producenda particularis intellectus operatio secundum functiones logicas requiratur. (Conf. Aesth. transsc.)

B)

B) *Transitus.*

§. 6.

Deductio praedicamentorum methophysica. Praedic- menta omnia accurate correspondent functionib logicis.

In prioribus duabus classibus praedicamentoru haec cum functionibus logicis circa quantitatem qualitatem correspondentia euidenter satis appare Ad iudicia enim vniuersalia, particularia aut singular constituenda, conceptus totalitatis, pluritatis et vnit tis necessarie requiruntur, nec sine his eiusmodi iud cium foret possibile. Pari modo vt aliquid aut affi mes, i. e. realiter ponas, aut non ponas vel poti remoueas, (i. e. neges,) ad hoc, inquam, conceptus realitate et negatione, per quos ista aut positio aut r motio fit possibilis, praesupponuntur. Et si omne alicuius cognitionis ambitum per praedicatum aliqu separatiuum in partes dispescis, ita vt praedicatur quod ad alteram partium pertinere negatur, ob id i sum in oppositam collocetur, quod fit in iudiciis in nitis; (conf. Cap. I. Sectio altera §. 3.) sane hu functioni logicae correspondere praedicamentum lin tationis patet. Nec difficilior intellectu priorum du rum relationis praedicamentorum cum functionibus l gicis est correspondentia. Vt enim, quod fit in p positione categorica, de obiecto aliquo vt per se co stanti per praedicati appositionem iudicare possim, hoc certe substantiae siue substrati realium, in q omnia, quae ad existentiam pertinent, posita atq determinata cogitantur, conceptus elementaris c iunctim cum accidenti, quod exhibetur in praedica requiritur. Pari modo nec obiectum aliquod vt

cu

cundum existentiam ab alio pendens considerari possis nisi caussalitatis et dependentiae in intellectu praecederet praedicamentum, per quod talis repraesentationum coniunctio seu vnitas synthetica fit possibilis. Tertiae tantum categoriae quam influxum, siue actiuorum et passiuorum operationem alternatiuam diximus, cum functione iudicii disiunctiui correspondentia aliquid negotii exhibet. Paucis tamen, vti speramus, illustrabitur, si quidem quid in disiunctiuo fiat iudicio in memoriam reuocauerimus. In disiunctiuis enim iudiciis, totalitas conceptus cuiusdam de obiecto, siue omnis circa obiectum cognitio possibilis, in cuncta sua momenta resoluitur, quae vt membra per se, nec nexu caussali dependentia, sibi inuicem coordinantur non subiunguntur. Iam sane elucet cum hac functione congruere praedicamentum influxus siue communionis, quum in hoc nihil aliud sistatur, nisi partium omnium, quae in totalitate vnius eiusdemque obiecti intuitiui cogitari possunt, talis inter se nexus, per quem nulla quidem quoad existentiam vt effectus ab altera vt causa pendeat, at omnes vt simultaneae et coordinatae se inuicem quoad determinationem internam afficiant, itaque in vno toto cohaereant, quemadmodum partes corporis, in quibus relatio mutua attractionis et resistentiae cernitur.

Talis autem relatio plane ab ista diuersa est, quae in causa et effectu cernitur; in hac enim causa quidem effectum, verum non effectus causam influit, nec propterea, (vti mundus cum creatore,) sub vna totalitate comprehendi aut ad idem et numerice vnum obiectum referri potest. Haec ad praedicamentum functionis disiunctiuae; cetera, quae ad congruentiam praedicamentorum modalitatis cum functionibus logicis pertinent, in promptu sunt. Synthesin enim considerantes quae fit in iudiciis problematicis assertoriis et apodicticis facile ex eiusdem vnitate in conceptu ex-

 pres-

pressa praedicamenta possibilitatis, existentiae et n
ecessitatis oriri intelligemus.

APPENDIX.

De axiomate scholasticorum: quodlibet ens est unum, ve rum, bonum.

Transscendentalis veterum philosophia in laud do hoc axiomate mirifice versatur, et vim ipsi singu rem ad efficiendam de obiectis cognitionem a pr tribuit. Verum si res ita se haberet, tunc concep isti, qui in hoc axiomate continentur, praedicam torum tabulae inserendae foret, quum tamen haec, pote quae secundum principium confecta et in se t atque integra sit, augmentum non recipiat. Augu ri igitur licet, hucusque hanc formulam non recte tellectam esse, et quidquid ipsi conceptuum a pr insit, ad ea quae nos supra exposuimus praedicame referri posse. Aut enim nulla omnino huic axiom significatio inest, aut de logicis tantum ad cognition rerum in genere pertinentibus postulatis et crite agitur, quae tribus, vnitatis, veritatis et perfecti tionibus exprimuntur; quas cunctas ad tria quantit praedicamenta reducere licet.

In vna quaque enim cognitione obiecti cuiusl adesse debet primum vnitas conceptus, siue comp hensio variorum cognitionis in vno, quam quid *vnitatem qualitatiuam* licet appellare. Veritas quo adesse debet, quoad corollaria. Quanto enim p ex conceptu dato vera corollaria elici possunt, eo tius realitatem eiusdem obiectiuam, siue vt ipsi iectum aliquod reale correspondeat, colligere l Haec autem veritas nihil est aliud, nisi *pluralitas q tatiua* momentorum, quae ex conceptu dato vt e dice communi proueniunt. Quae autem de cogn

ie semper praedicatur perfectio, in hac id tantum exprimitur de cognitione postulatum, vt quae in pluralitate corollariorum a priori ex conceptu euoluta erant momenta, nunc a posteriori ad ipsum rursus sistendum conueniant, et sub vnitate comprehensa conceptum plenum integrumque restituant, ita vt nulla momenta desint, nec aliunde petita inueniantur.

Haec autem perfectio *totalitas* est *qualitatiua* cognitionis. Ita videmus in hac formula praedicamentis quantitatis, quae proprie materialiter vt possibilitatis obiectorum conditiones a priori accipi debent, formaliter ad constituenda omnis omnino cognitionis criteria vsum esse.

Rursus autem, quae mere logica erant cognitionis in genere attributa, per vitium subreptionis ad entia ipsa vt eorum praedicata translata sunt. Vnde effectum est, vt id axioma, quod nihil aliud sibi vult, nisi in quauis cognitione esse debere vnitatem conceptus, veritatem corollariorum, et absolutam eorum ad restituendum analytice conceptum totalitatem ita exprimeretur, omne ens esse et vnum et verum et bonum: et quod axioma ad Logicam pertineret vniuersalem, transscendentali vti pars eiusdem constitutiua insereretur.

CAPUT TERTIUM.

Deductio praedicamentorum, siue tractatus [...] praedicamentorum ad obiecta relatione a priori possibili.

SECTIO PRIOR.

De principiis deductionis transscendentalis in genere.

§. 1.

Deductio transscendentalis est demonstratio modi, q[...] conceptus a priori ad obiecta referri possint, siue q[...] nam ratione de obiectis aliquid sciri possit a priori.

In actionibus iure consultorum circa rerum vsur[...] tiones ac vindicationes duplex semper est quaest[...] Quaeritur enim primum, quid *facti* sit, siue quaen[...] sit materia litis; deinde, quid *iuris?* quae quid[...] quaestio ad arrogationis titulum spectat. Eam aut[...] tractationem, in qua iustum hunc, et ob id possess[...] nem legitimam esse, probatur, *deductionem* solent [...] pellare. Liceat nobis hunc diuisionis modum in [...] cussione nostra circa conceptuum nostrorum vsum [...] que ad obiecta relationem sequi. Hac in re igi[...] quid facti sit considerantes, videbimus, multitud[...] nos conceptuum empiricorum vti, de quorum sign[...] catione et vsu nullam nec damus nec petimus deduct[...] nem; quoniam semper experientia praesto est, [...] iectiuam eorum realitatem probans. Sunt tamen [...] conceptus, quos ad obiectorum cognitionem adh[...]

ius, quorum, vti vidimus, purus est vsus a priori; i. e. ab omni experientia penitus independens,) et in iis rite, quid iuris sit, quaeritur, siue demonstratio postulatur modi, quo hi conceptus puri, quum non int ab experientia petiti, tamen ad obiecta possint referri. Haec autem demonstratio ea est, quam nos deductionem transscendentalem supra vocauimus.

§. 2.

Conceptuum a priori nulla dari potest nisi transscendentalis deductio, quae tam ab empirica, quam a physiologica conceptuum deriuatione probe est distinguenda.

Deriuatio empirica conceptus cuiusdam ad quaestionem facti pertinet, non iuris; indicat enim, quomodo conceptus aliquis per experientiam mentisque supra eandem meditationem in nobis ipsis formatus sit: haud vero an eiusdem legitimus sit vsus et iusta significatio. Conceptuum autem purorum duo hucusque cognouimus genera, formas scilicet sensualitatis purae, quae spectantur in spatio et tempore, et formas intellectus puri siue praedicamenta.

Haec autem omnino nullam patiuntur deductionem empiricam, quoniam ea propria est hisce conceptibus natura, vt nihil ab experientia petitum contineant. Alio autem adhuc more circa horum conceptuum et omnis in genere cognitionis originem potest inquiri, ita vt caufae investigentur occasionales, per quas hi conceptus ex mentis, vt ita dicam, adytis eliciuntur, et in experientia primum sistuntur. Sic indagando, primam ad efficiendam cognitionem per sensus praeberi occasionem inueniemus, per quos excitata facultas cognoscitiua legitimam constituit experientiam, cuius duo diuersa cernuntur elementa: *primum* materia cognitionis a sensibus praebita, *deinde*

autem ex mente ipſa petita forma aliqua pura intuen
et cogitandi, quae occaſione per ſenſus praebita ſe
exſerit, et quae per ſenſus data ſunt, ſub leges ſu
ſubſumit. Hanc in conceptuum ſiue rectius adhib
tionis eorum origines inquiſitionem *phyſiologicam*,
qua Lockius, vir in philoſophicis extra laudis et vit
perii aleam poſitus, praecipue verſatus fuit, *deriu*
tionem conceptuum Kantius appellauit, quae quantu
a deductione, qualem nos poſtulamus, diſtet, obuiu
eſt. Non enim, quo iure conceptibus quibusda
realitatem tribuamus obiectiuam aut quaenam ſit e
rum neceſſaria et a priori demonſtrabilis relatio, p
eam cognoſcitur; ſed definitur quonam modo coru
nos ipſi conſcii compotesque fiamus, quod quide
ad quaeſtionem facti pertinet. Non autem h
quaeſtio, verum illa eſt, quae debet reſolui, circa i
ſiue legitimum conceptuum vſum, qualem modo
poſuimus. Hoc autem niſi per deductionem tra
ſcendentalem omnino nequit fieri. (Conf. Int
duct. VIII.)

§. 3.

Praedicamentorum deductio transſcendentalis abſolutae
neceſſitatis, quippe ſine qua nullus eorum ad obiecta
perientiae cognoſcenda vſus intelligi poteſt.

Cognitionem puram nulla alia niſi transſcend
tali via deduci poſſe, qui nobiscum conuenit, tan
dubitare adhuc poterit, an talis deductio, antequam
ſcientiam aliquam puram condendam progrediaris, ad
neceſſaria ſit. Poſſet inprimis geometrica ſcientia
hanc dubitationem inducere, quippe quae per c
ceptus a priori continuo incedens progreſſu, cert
dine gaudet inconcuſſa, licet a philoſophia concep
ſui elementaris de ſpatio deductionem puram non
petat. Et recte quidem ſic, quoad geometriam;
l

hac enim ſcientia conceptus de ſpatio non niſi ad mundum externum atque ſenſibilem refertur, quem animus per formam puram ſpatii intuetur, in quo igitur cognoſcendo geometria euidentia gaudere debet immediata, quippe quae huic intuitioni a priori ſuperſtructa ſit, obiectaque in ipſa per conſtructionem exhibeat. Verum ſi ad praedicamenta intellectus attendimus, tunc ſane haec neceſſitas deductionis transſcendentalis non modo ipſorum, verum etiam ſpatii patebit. Praedicamenta enim de obiectis nihil aſſerunt per praedicata, quae in intuitione ſenſuum poſſent exhiberi, ſed de ipſis agunt in genere, nec conditionibus ſenſualitatis adſtricta ſunt. Hisce autem praedicatis, quum non experientiae ſuperſtructa ſint, nec obiectum aliquod correſpondere poteſt in intuitione a priori, quod ſyntheſin eorum cum notione obiecti in genere, ante experientiam, iuſtificare poſſit; quare non ſolum realitas obiectiua praedicamentorum, et applicationis eorumdem limites fiunt dubitabiles, ſed conceptus ipſe de ſpatio, de quo extra limites intuitionis ſenſualis, qualem Geometria affert, applicatio ad obiecta in genere intenditur, ambiguitatis et confuſae incertitudinis nonnihil contraxit. Quare etiam huiusce deductio transſcendentalis, qualem de ſpatio ſupra (in Aeſthetic. transſcendentali) exhibuimus, qualisque circa praedicamenta in ſubſequentibus praeſtabitur, abſolutae erat neceſſitatis.

§. 4.

Deductio transſcendentalis praedicamentorum, multo plus negotii exhibet in expoſitione, quam ſpatii et temporis, quoniam nulla cernitur obiectorum ad functiones logicas neceſſaria relatio.

Haud difficili opera ſupra oſtendimus ſpatii et temporis repraeſentationes, quamquam menti inſint a prio-

priori, tamen necessariam ad obiecta relationem habere, per quam cognitio eorum aliqua synthetica a priori fieret possibilis. Quum enim obiectum menti non nisi per hasce formas sensualitatis puras possit praeberi, (i. e. obiectum fieri intuitionis empiricae siue phaenomenon,) necessarie inde elucet, tale obiectum cum subiectiuis sensualitatis conditionibus congruere et per easdem affectum determinatumque esse debere: alias enim menti nostrae omnino non dari, i. e. obiectum humanae cognitioni perceptibile fieri non potuisset. Verum haud ita expedita praedicamentorum esse potest deductio. Haud facile enim perspicitur, cur obiecta iis quoque conditionibus, quibus intellectus ad vnitatem cogitationis syntheticam indiget, consentanea esse debeant. Haec enim praedicamenta, non intuitionis aliquas conditiones exhibent, sub quibus obiecta dari debeant, ideoque nullum cernitur necessarium inter obiecta et hasce formas intellectus vinculum: verum potius phaenomena nobis dari posse in intuitione consentaneum posset videri, quae nullae cogitationum functioni logicae correspondeant. Illud igitur, in quo hic difficultas versatur, momentum in constituenda realitate obiectiua conditionum cogitandi subiectiuarum versatur, et resoluendum illud erit problema, quomodo hisce subiectiuis cogitandi conditionibus vis inesse possit, ad constituendam omnis obiectorum cognitionis possibilitatem, ita vt omne cognoscibile necessarie sub eas subsumi debeat. Quod quidem adeo in aprico positum non est. Si enim praedicamentum consideramus causae, quod certum aliquod syntheseos genus involuit, in quo post rem aliquam A altera B *secundum necessariam nexus regulam* ponitur; haud a priori statim patet, quare in phaenomenis aliquod huic regulae analogon reperiri debeat, quum experientia hic omnino audienda non sit. Experientia enim successiuorum quidem seriem aliquam continuam, at non ne-

necessitatem nexus et absolutam regulae vniuersalitatem constituere valet; ita vt quae saepissime fieri soleant, non, quae necessarie debeant et semper, ab ista colligere possimus; cogitare igitur omnino liceret, in serie phaenomenorum nihil inueniri, quod regulam syntheseos secundum causalitatem permittat; et huncce conceptum omni significatu vacuum atque inanem omnino esse, ortumque a saltu quodam rationis humanae, secundum quem ex consuetudine necessitatem, ex frequenti casus dati obseruatione vniuersalitatem effinxerit. Alia igitur nobis via tentanda erit, qua eam, quam quaerimus praedicamentorum realitatem, (i. e. ad obiecta relationem a priori) stabilire possimus. Ab huius enim negotii exitu omnis pendebit conatuum rationis purae quoad obiectorum cognitionem successus, vsusque rationis purae, qualis demum et quam late patens fieri possit, ab hac disquisitione spectandus erit.

§. 5.

Principium deductionis praedicamentorum transscendentalis a priori in eo versatur, vt cognoscamus, esse praedicamenta conditiones a priori possibilitatis experientiae; sine hac enim originaria relatione ad experientiam possibilem, in qua omnia cognitionis obiecta exhibentur, omnino comprehendi non potest, quomodo praedicamentum aliquod ad obiectum referri possit; hac autem concessa praedicamenta fiunt necessaria, (siue necessarie de obiectis praedicantur) quatenus obiectiuam possibilitatis experientiae causam continent.

Duplici tantum more repraesentationis syntheticae cum obiectis conuenientia, et necessaria amborum relatio comprehendi potest; quum scilicet aut repraesentatio per obiectum, aut obiectum per repraesentationem fit possibile. Si repraesentatio primum per ob-

 iectum

iectum efficitur, aut possibilis fit, tunc relatio cerni-
tur mere empirica, nec repraesentatio talis a prior
possibilis est. Sic quod in phaenomenis cernitur a
sensationem pertinens, mere empiricum est, nec um
quam cognoscibile a priori. Quod autem attinet a
id, quod altero loco posuimus, posse scilicet necessa
riam inter repraesentationem et obiectum relationem
tunc quoque cogitari, quum obiectum demum per re
praesentationem fiat possibile, hoc, quoniam reprae
sentatio per se obiectum suum *quoad existentiam* pro
creare non valet, ita intelligendum est, vt repraesen
tationi inesse cogitetur a priori necessaria obiecti deter
minatio, per quam solam cognitio obiecti vt talis fi
possibilis. Cognitio autem obiecti vt talis sub dupli
solum conditione potest effici; quarum prima est, in
tuitio, per quam obiectum qua phaenomenon datur
altera conceptus, per quem obiecta hisce intuition
bus correspondentia cogitantur. Supra iam vidimu
intuitionem puram, vt conditionem formalem phae
nomenorum per intuitionem empiricam exhibendo
rum, menti inesse a priori, omniaque cum hac sen
sualitatis forma phaenomena necessarie congruer
quoniam in hac tantum menti exhiberi et ab ipsa em
pirice percipi atque componi possunt. Quaestio ig
tur nunc superest ista, quae nostrae deductionis arg
mentum constituit, an scilicet, quemadmodum fo
mae sensualitatis, sic et formae quaedam intellectus
ue conceptus puri in mente praecedant, per quos s
los mens nostra obiecta cognitionis non intueri quiden
at vt talia tamen cogitari possit? Hoc enim si demon
stratum foret, tunc a priori aliquid de obiectis sci
posse pateret; obiectorum enim cognitio empirica cu
hisce conceptibus necessarie deberet congruere, quo
niam sine istis nullum experientiae obiectum foret c
gitabile. Constat autem, inesse omni quod per exp
rientiam compertum habemus, praeter id, quod

i

intuitione menti porrigitur, conceptum aliquem de obiecto, quod in intuitione apparet; inde autem elucet omni cognitioni experimentali ſubeſſe debere conceptus puros de obiectis in genere, vt cognitionis experimentalis conditiones a priori; praedicamentorum igitur obiectiua realitas ſiue neceſſaria ad obiecta relatio, ſecundum quam nos de obiectis a priori aliquid docere valent, in eo innititur, vt demonſtrari poſſit, experientiam quoad formam cogitationis tantum per ea poſſibilem eſſe, nec vllum ſine ipſis experientiae obiectum cogitari poſſe.

Lockius*) et Humius**), plane diuerſam a noſtra viam ſequuti, in eo conuenere, vt conceptus intellectus puros ab experientia deriuarent; at quoad vſum eorum magna inter ipſos discrepantia cernitur. Lockius enim, quamquam conceptus puros ab experientia deriuaret, tamen in eorum vſu atque ad cognitionem comparandam applicatione, longe vltra experientiae terminos egreditur, in mundi intelligibilis regionibus cognitionem quaerens per conceptus empiricos; quod quidem tanti viri exemplum noxiam veritatisque deſtructorem rationi licentiam peperit, quum ſine vllo firmo cognitionis fundamento — quid enim experientia circa intelligibilia valet? — cum ſpecie tamen aliqua acuminis atque ſollertiae in ſupraſenſibilibus circumuagaretur.

Alter Humius nobiscum quidem intelligebat, nos conceptibus puris omnino ad cognitionis vltra experientiae fines poſitae comparationem vti non poſſe, niſi hi conceptus a priori ex ipſa intellectus natura originem traherent; at quoniam explicare ſibi non poterat,

*) Eſſay on human Underſtanding.

**) A Treatiſe of human Nature. Book. I. of the Underſtanding.

rat, cur intellectus ea, quae vt distincta et separata cogitantur, vti causa et effectus, in obiectis vt nexu cohaerentia necessario cogitare deberet, mediusque ipsi, vt ita dicam, terminus deerat, per quem hos conceptus ad obiecta referre potuisset, necessitate quadam coactus et quasi inuitus eos ab experientia et consuetudine aliqua saepe repetitae impressionis idearum associatarum deriuandos esse censuit, et propositi tenax postea nec vltra experientiae fines vllum eorum vsum fieri posse statuit.

Hac autem ratione, quum per se ipsum intellectum decipi putaret, de omni omnino veri cognitione possibili desperans, *scepticismum* induxit, in quo, omni certitudine abiecta, probabilitatem tantum relinquens, omnem cognitionem humanam perpetuis e dubiis et disceptationibus exposuit. Nos autem, mediam inter ambos viam tenentes, secundum id, quod statuimus, principium nunc obiectiuam praedicamentorum realitatem et simul vsum eorum eiusque limites deducere conabimur.

Sectio Secunda.

Deductio praedicamentorum transscendentalis.

Argumentum deductionis in genere. Ostenduntur

a) *Conditiones generales, sub quibus, quae in ment exhibentur, cogitari, i. e vt coniuncta in obiecto in apperceptione repraesentari possunt.*

b) Demonstratur, *praedicamenta esse condition necessarias coniunctionis multiplicium ad efficiendam unitatem syntheticam in apperceptione;*

c) *Nullum eorum nisi experimentalem vsum (ad obiecta per experientiam dabilia cognoscenda) statui posse;*

d

d) Postremum autem, *intellectum per praedicamenta naturae materialiter spectatae legem imponere.*

a) *De conditionibus cognitionis generalibus.*

§. 1.

De possibilitate coniunctionis in genere. Conceptus coniunctionis fit per repraesentationem vnitatis syntheticae multiplicium.

Multiplicia repraesentationum possunt exhiberi in intuitione, quae mere sensitiua est, et in dispositione impressionum recipiendarum (receptiuitate) consistit; formaeque purae intuitionis a priori in mente nostra exsistentes nihil aliud nisi modi sunt necessarii, sub quibus solis mens afficitur. Verum multiplicium *coniunctio* numquam per sensus menti porrigi potest, quasi ab externorum obiectorum impressionibus penderet, nec inter intuitionis conditiones subiectiuas quaerenda est.

Coniunctio enim omnis efficitur per intellectum, siue facultatem repraesentationum spontanearum; (cfr. Tractatus elementaris Pars altera. Prooemium. §. 1.) et siue ea, quae in cogitatione coniunguntur, multiplicia sint intuitionis eiusque aut empiricae, aut purae, siue sint conceptus; semper tamen eorum coniunctio actus est intellectus; vt facultatis *operatiuae*, (spontaneae) *non receptiuae*, qualem sensualitatem cognouimus. Hunc autem actum, vti supra indicatum est, (cf. Cap. II. Sectio. I. §. 1.) *synthesin* appellamus simul innuentes, nihil vt coniunctum in obiecto a nobis cogitari posse, *nisi quod ipsi antea in intellectu coniunxerimus.* Quare omnium repraesentationum coniunctio vnica est, quae non per obiecta dari, sed vt actus spontaneitatis tantum per intellectum effici possit. In conceptu autem coniunctionis, praeter con-

conceptum multiplicium, conceptus adhuc continetur vnitatis appositionis, seu vnitatis syntheticae ipsorum, quae vt multiplicia in repraesentatione data sunt. Coniunctio igitur est repraesentatio vnitatis syntheticae multiplicium, et tunc quidem coniungo, quando multiplicia intuitionis per synthesin sub vna cogitatione comprehendo. Vnde apparet, huiusce vnitatis repraesentationem non ex coniunctione oriri, sed per ipsam, quando ad multiplicium repraesentationem accedit, hanc coniunctionem primum possibilem fieri. Nec haec quidem vnitas, de qua hic sermo est, quaeque conceptum omnem coniunctionis praecedit, cum praedicamento vnitatis, (cf. Caput II. Sectio II.) de quo supra agitur, confundi debet. Omnia enim praedicamenta, vt quae functionibus iudiciorum logicis superstructa sunt, iam coniunctionem aliquam inuoluunt, quoniam in logicis functionibus vnitas aliqua conceptuum datorum i. e. coniunctio exprimitur. Nostra igitur haec vnitas, vt qualitatiua (conf. Capitis II. Appendicem.) altius et ex eo mentis cognoscentis penetrali repetenda est, ex quo vltimae vnitatis conceptuum in iudiciis causae, a quibus omnis facultatis cognoscitiuae et possibilitas et vsus pendet, deriuandae sunt.

§. 2.

Vnitas apperceptionis synthetica consistit in necessaria intuitionum relatione ad identitatem subiecti, per inhaerentem omni repraesentationi notionem τῦ: „Cogito:„ ex qua conscientia sui efficitur.

Eam repraesentationem, quae omni cogitationi anterior menti data esse potest, intuitionem appellamus. Haec autem, sicut omnis repraesentatio, semper cum conceptu mei ipsius vt repraesentantis ea quae menti praebita sunt, coniungi posse debet; alia

eum

enim statuendum foret, posse aliquid repraesentari quod idem cogitari nequeat. Talis autem repraesentatio omnino nulla et inanis in mente humana foret, quae vnice per cogitationem cognoscit.

Multiplicium igitur intuitionis necessaria est relatio ad eam subiecti, in quo data sunt, determinationem, secundum quam se ipsum vt cogitans repraesentat. Haec autem repraesentatio, quoniam non a sensualitate deriuari potest, actus est *spontaneitatis*, (conf. Logic. transscend. Prooem. §. 1.) quem et *puram* et *originariam apperceptionem* appellabimus; *puram*, quatenus ab empirica obiectorum intuitionis externae apperceptione in intellectu distinguenda est, *originariam*, quatenus inest ipsi ea subiecti de se ipso conscientia, quae omnes quidem repraesentationes necessarie concomitatur, et in omni repraesentationum conscientia relatiua siue empirica vna est eademque, (siue identica,) ipsa autem a nulla altiori conditione mentis pendet. Haec vero conscientiae vnitas, quae in omni repraesentationum multiplicitate conspicitur, secundum id quod Introduct. §. VIII. explicatum est; *vnitas conscientiae* (συνειδησεως) *transscendentalis* appellanda est, qua quidem denominatione significatur, esse eam principium, ex quo possibilitas cognitionum a priori intelligi possit.

Nullo enim iure varias eas repraesentationes, quae in intuitione aliqua inueniuntur, meas possem appellare, nisi omnes sub eadem conscientia mei comprehenderentur. Hoc autem vt efficiatur, necessarie cum istis conditionibus in subiecto congruere debent, sine quibus sub vna mei conscientia comprehendi nequeunt, i. e. omnes ad identicam subiecti de se ipso vt cogitantis repraesentationem relatae esse debent.

Distinguenda autem est haec vnitas transscendentalis conscientiae ab *vnitate conscientiae analytica*, *secundum*

dum quam identitatis apperceptionis empiricae in repraesentationibus meis mihi ipsi conscius sum. In hac enim immediate nulla cernitur ad identitatem subiecti relatio, quae quidem transscendentali inest, et per synthesin repraesentationum efficitur; at analytica illa non nisi sub conditione praeuiae illius vnitatis repraesentationum syntheticae cogitari potest. Quae vt accuratius intelligantur, reuocanda sunt in mentem, quae supra (Log. transscend. Lib. I. Cap. II. Sectio prior) de synthesi repraesentationum praemonuimus.

Si repraesentationum tantum singularium per apperceptionem analyticam conscii nobis fieri possemus, in hoc nulla adhuc cerneretur repraesentationum ad identitatem subiecti relatio. Varium enim atque adeo diuersum subiectum cogitans esse posset, quam diuersae ipsius cogitationi repraesentationes exhiberentur. Sic, quando repraesentationes aliquas *meas* siue ad subiectum mei pertinentes appello, per hoc significatur, me eas sub vna eademque conscientia mei comprehendere, aut saltem comprehendere atque vnire posse. Hoc autem, nisi per syntheticam earum coniunctionem, effici nequit. Absque igitur praeuia repraesentationum synthesi haec vnitas transscendentalis conscientiae haud cogitari potest. Cogitando enim: Hae in intuitione exhibitae repraesentationes omnes *meae* sunt, idem ago, ac si dicerem:

„Has omnes repraesentationes in vnitate conscientiae mei comprehendo, aut saltem in ea possum „comprehendere.„

Haec igitur synthesis, in cogitando repraesentationes aliquas vt meas, nisi vere facta tamen semper vt possibilis praesupponi debet; per id ipsum enim, quod multiplicia repraesentationum in vna conscientia comprehendere *possum*, *meae* sunt repraesentationes siue ad identicum mei subiectum referuntur. Synthetica igi-

igitur vnitas multiplicium in intuitione, quatenus a priori data eſt, fundamentum conſtituit identitatis apperceptionis mei ipſius vt cogitantis, quae quidem apperceptio, vti monuimus, omni repraeſentationum cogitatione anterior eſt a priori. Analytica vero illa, quam diximus, vnitas conſcientiae, ſiue identitatis apperceptionis in variis repraeſentationibus animaduerſio, niſi praeuia apperceptionis vnitate ſynthetica ſuppoſita, cogitari nequit. Inhaeret enim analytica conſcientiae vnitas conceptibus communibus, in quibus vt communem multis repraeſentationibus notam cogitare poſſim, neceſſe eſt, vniuerſaliorem hanc notam cum multis repraeſentationibus in apperceptione ſynthetica coniunctam fuiſſe. Conceptus enim communis a multitudine repraeſentationum, quibus aeque inhaerebat, abſtractus eſt. In vnitate igitur cum aliis ſynthetica cogitari debebat, antequam cum detractum et ſingulum per vnitatem analyticam licebat comprehendere, indeque repraeſentationibus per vnitatem analyticam comprehenſis ſemper inhaeret conditio poſſibilitatis eas ſynthetice cum aliis coniungendi. Sic e. g. colorem rubrum in genere cogitando praedicatum aliquod deſignatur, quod in obiectorum intuitione deprehendi et cum aliis repraeſentationibus coniunctum eſſe poteſt.

§. 3.

Summum cognitionis humanae principium hoc eſt: Multiplicia intuitionis ſub conditionibus vnitatis ſyntheticae apperceptionis comprehenduntur.

Quaenam ſit conditio poſſibilitatis intuitionum, quoad ſenſualitatem, multiplicia ſcilicet vt ſub ſpatii et temporis conditiones formales ſubſumantur, in Aeſthetica transſcendentali ſupra explicatum eſt. Quomodo autem intellectus ex hiſce repraeſentationibus intuitiuis cognitionem efficiat, ex hoc quod poſuimus

 intu-

intuitionum ad vnitatem apperceptionis syntheti
redigendarum principio elucet. Intellectus enim
operatio est, quoniam haec quae postulatur multi
cium coniunctio non ab experientia deriuari, sed
intellectum effici debet. (Conf. Sect. 2. §. 1.) Per
tellectum autem eam designamus mentis facultate
secundum quam a priori *coniungere*, i. e. multipli
intuitionum sub vnitatem apperceptionis redigere p
sumus. (Conf. Logices transscendental s Prooem.
1.) Quoniam autem per hanc intellectus operation
cognitio efficitur, inde et intellectum facultatem li
denominare cognitionum. Cognitio autem om
consistit in certa et definita repraesentationum da
rum ad obiectum aliquod relatione. Scimus aute
obiectum appellari id, in cuius conceptu multipl
intuitionis datae coniuncta sunt. Quoniam vero
omnem repraesentationum coniunctionem vnitas
perceptionis per conscientiam mei vt cogitantis (c
§. 2.) necessarie requiritur; inde efficitur in hac
tate apperceptionis synthetica sola principium cern
lationis repraesentationum ad obiectum, i. e. obie
uam repraesentationum realitatem per ipsam consti
nec nimii aliquid nos facere, si quidem hoc princ
um pro fundamento omnis per intellectum possib
cognitionis habemus. Cognitio enim sine hoc n
est. Quod vt exemplo illustretur, age spatium co
deremus, intuitionum externarum formam sim
cem. Huius repraesentatio pura non ipsa cogn
est, sed multiplicia tantum intuitionis ad cognition
a priori constituendam porrigit. Vt autem aliqui
spatio cognoscatur, formanda est aut linea quaed
aut figura, et sic synthetice coniunctio multiplici
efficienda est. Tunc cum ipso hoc vno actu si
vnitas exsistet apperceptionis in conprehensione n
tiplicium intuitionis, quae nunc sub linea aut fig
vt certum aliquod obiectum spatii circumscripti *cog*

scu

untur. Haec igitur apperceptionis vnitas synthetica bieċtiua est omnis cognitionis conditio, i. e. non som intellectus ad cognoscendum obiectum hac forma get, sed omnes intuitiones non nisi per eam obiecta ognitionis fieri possunt: absque enim hac synthesi uae multiplicia sunt in intuitione non in vnam subiei conscientiam coniungi possent.

§. 4.

Vnitas apperceptionis obiectiua probe a subiectiua distinguenda, quae empirica est, et a caussis occasionalibus pendens.

Vnitas ista transscendentalis (cf. §. 2.) conscieniae sui in apperceptione, suapte natura, quoniam per eam multiplicia intuitionis ad vnum de obiecto conceptum coniunguntur, obiectiua vocari debet; et distinguenda est ab vnitate subiectiua conscientiae, per quam multiplicia ista vel hoc vel alio potissimum modo *empirice* coniunguntur. Haec enim, quae empirice efficitur vnitas, non constans sibi, nec necessaria, nec eadem in omnibus est: pendet enim et ab externo rerum fluxu et ab internis animi dispositionibus. Multum enim in hoc genere refert, an e. g. cum iisdem verbis ego easdem, quas alius, notiones coniungam, aut quae alius vt simultanea percipit mihi vt consecutiua, quae consecutiua alii, mihi vt simultanea appareant. Tempus vero ipsum vt intuitio pura per se, quae multiplicia continet, a priori sub vnitate synthetica obiectiua comprehenditur per necessariam variorum in intuitione ad vnum illud: „Cogito„ relationem, per quam primum ex multiplicibus intuitionis obiecta cognitionum efficiuntur. Haec igitur synthesis pura per intellectum obiectiua est et vniuersalis: empirica ista, quae sub certis quibusdam conditioni-

bus in concreto ab hac pura deriuatur, pro conditi-
onum variabilitate, subiectiua tantum appellari potest

§. 5.

*Forma logica iudiciorum consistit in coniunctione concept-
um iudicium constituentium per unitatem apperce-
tionis obiectiuam.*

Communi omnium fere logicorum consensu hu-
usque iudicium ita definitum fuit, vt sit repraese-
tatio relationis inter duos conceptus. (Conf. Lo-
ces transsc. Pars prior. Lib. I. Cap. 1. Sectio 1. §. 4
Praeterea autem, quod huic definitioni vitium ine-
cernitur radicale insufficientiae, (nam hypothetica
disiunctiua iudicia sub ea non comprehenduntu
id quoque in ea desideratur, quod praecipu
est definitionis; illud enim, in quo haec rela
consistat, non sistit. Propius autem considerau
relationem internam cognitionum in iudicio aliq
exhibitarum, inueniemus, *iudicium*, quatenus ad
tellectum pertinet, (abstractione facta ab ea relatio
quae secundum leges imaginationis reproductiu
constituitur, et mere subiectiua est) *nihil esse ali
nisi modum, secundum quem datae cognitiones ad ob
ctiuam apperceptionis vnitatem reducuntur.*

Quae quidem obiectiua et necessaria apperception
nis vnitas per vocabulum illud „est„, quod copul
facit in iudicio, exprimitur. Hoc enim vocabulo v
tas obiectiua repraesentationum datarum a subiecti
quam supra diximus, distinguitur. Quicumque en
v. c. sic iudicat: Omnia corpora *sunt* grauia, non
sibi vult, hosce duos conceptus corporis et grauit
in intuitione empirica *necessarie* coniunctos esse; (
perientia enim necessarium omnino sistere non val
Verum hoc demum pronunciat: hosce conceptus
cundum principia syntheseos repraesentationum ob
ctiu

ctiuae, per quam varia intuitionis ad efficiendas cognitiones apta fiunt, ad necessariam apperceptionis vnitatem componi; ita vt semper in obiecto nulla diuersitatis in subiectis cogitantibus ratione habita cohaereant. Sic demum ex hisce repraesentationibus iudicium efficitur, siue relatio constituitur obiectiue valens, quaeque a subiectiua repraesentationum relatione secundum leges associationis satis distinguitur. Si enim relatio ista inter corpus et grauitatem subiectiua esset, et secundum leges associationis comparata, tunc non corpus esse graue, sed corpus portando impressionem aliquam grauitatis me sentire dicendum esset. Corpus autem graue *esse* dicendo hasce repraesentationes vt in obiecto ipso, non in sola perceptione coniunctas mihi se offerre, significo.

§. 6.

b) *Praedicamenta sunt conditiones necessariae, per quas multiplicia intuitionum per sensus ad efficiendam vnitatem syntheticam apperceptionis coniunguntur.*

Cognitionem obiectiuam nullam posse cogitari, i. e. ea, quae sensitiue intuemur, haud posse vt in obiecto coniuncta repraesentari, nisi intuitione sub praedicamenta subsumta, breui iam nunc ex supra dictis deduci poterit.

Multiplicia intuitionis per sensus sub vnitatem syntheticam apperceptionis comprehendi debere, ex huiusce sectionis §. 3. patet; per hanc enim intellectus operationem vnitas intuitionis, quae requiritur ad cognitionem, primum fit possibilis. Ea autem intellectus operatio, per quam multiplicia repraesentationum datarum (siue conceptus sint, siue intuitiones) ad apperceptionis vnitatem reducuntur, functio est iudiciorum logica. (Cf. huiusce sect. §. 5.) Omnia igitur multiplicia, quatenus in intuitione empi-

 rica

rica data sunt, ad vnam vel alteram functionem logica
in iudiciis pertinent, per quam primum ad mentis
se ipsa conscientiam referuntur. Praedicamenta a
tem, quemadmodum Cap. II. Sect. 2. §. 2. dictu
est, nihil sunt nisi: conceptus de obiecto in gene
per quos obiecti intuitio vt ad vnam alteramue fu
ctionum iudicandi logicarum pertinens declaran
Inde autem multiplicia intuitionis sub praedicame
subsumi debere ad cognitionem efficiendam, lu
clarius apparet.

Breuis obseruatio.

Iam igitur initium fecimus deductionis praedi
mentorum. Quum autem praedicamentum, a s
sitiua quippe naturae nostrae parte plane independe
ab intellectu mero originem trahat, propterea huc
que adhuc nullam habuimus rationem modi ist
secundum quem multiplicia dantur in intuitione en
rica, sed ad vnitatem tantum eam respeximus, quae
intuitionem per praedicamentum ab intellectu adh
tum accedit. Infra autem (§. 9.) modum istum
plicantes, quo intuitiones empiricae dantur in sen
litate, ostendemus vnitatem in ipsis conspicuam
dem esse, ad quam secundum §. 6. multiplicia in
tionis in genere per praedicamentum reducun
Ita declarata praedicamentorum realitate a priori
ue necessitate eorum vt principiorum subsumtioni
efficiendam de obiectis sensualibus cognitionem,
pum huiusce deductionis attingere licebit.

Antequam autem vlterius progrediamur,
adhuc praemonendum nobis esse videtur, nos de
mano tantum intellectu et modo cognitionis hum
differere, de ceteris, quae supra captum humanum
nihil omnino definientes. Quare multiplicia
mens intuetur praeuia ante synthesin intellectus in

exhiberi debere, hoc femper pro certo et ftatuto habuimus, quamquam non nifi ab humano intellectu cum certitudine aliqua praedicari poffit. Si enim intellectum aliquem altioris indaginis mente fingimus, qualem v. c. diuinum, qui fponte fua obiecta intueretur, i. e. qui non obiecta, vt *data* fibi fiue intuitioni praebita, repraefentaret, fed per cuius repraefentationem obiecta fimul darentur, aut producerentur: huic nullam per praedicamenta, quae tantum ad eorum, quae alicunde, per fenfus fcilicet, data funt, in mente compofitionem et vnitionem pertinent, cognitionem tribuere liceret. Praedicamenta enim regulae funt intellectus, cuius omnis poteftas verfatur in cogitando, i. e. in reductione multiplicium intuitionis per fynthefin compofitorum ad vnitatem apperceptionis, quique ob id ipfum per fe nihil cognofcit, fed totus in coniungenda atque componenda ea, quae per intuitum praebita eft, cognitionis materia cernitur.

§. 7.

c) *Nullus praedicamentorum vfus eft, nifi experimentalis, h. e. praedicamenta tantum ad cognofcenda obiecta per experientiam dabilia adhiberi poffunt.*

Huiusce paragraphi argumentum iam in praecedentibus, vbi praedicamenta effe principia fubfumtionis intuitionum ad efficiendam cognitionem explicatum eft, fatis demonftratum arbitramur. Quaedam tamen, quae tam ad vlteriorem illuftrationem, quam ad corollaria ex hoc argumento deriuanda pertinent, adiicienda videntur. Primum omnium fatis apparet, non eandem plane mentis operationem effe, per quam obiecta vel cogitamus vel cognofcimus. Ad cognitionem enim quae requiruntur, duo funt: primum conceptus, per quem obiectum cogitatur in genere, praedicamentum; (cf. Logices

 transfe.

transsc. Part. I. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 2. §. 2.) deinde intuitio, per quam obiectum *datur*, conceptui correspondens. Si enim conceptus aliquis omni intuitione correspondenti plane careret, cogitatio quidem foret in ipso formalis; at inanis tamen, nec ad cognitionem de re aliqua idonea, quatenus nihil haberem ad quod cognoscendum eiusmodi conceptum possem adhibere. Quum vero, quemadmodum in Aesthetic transscendentali probauimus, omnis, quam natura humana recipit, intuitio sensitiua sit, inde efficitur, cogitationem meram obiecti per praedicamentum tum demum ad consummatam cognitionem perduci poss quando ad obiecta sensibus oblata refertur. Inde ho quoque elucet, conceptus mathematicos, qui ve santur in determinanda et construenda temporis spatii intuitione pura non per se efficere cognitione proprie sic dictam, sed tantum quatenus correspo dens ipsis intuitio empirica accipitur, i. e. quaten supponimus, esse res siue obiecta, quae sub ista se sualitatis purae forma necessarie in intuitione sistantu Res autem siue obiecta dantur in spatio et tempor quando per repraesentationem cum sensatione coniu ctam — (conf. Aesthet. transscend. Prooem. §. 2 i. e. empirice — in mente percipiuntur. Concept igitur intellectus puri, adeo in applicatione ipsoru ad intuitiones a *priori*, quae quidem fit in Mathem ticis, nullam comparare nobis *cognitionem* valent, si intuitio pura accedat, et per ipsius intermediu (conf. Tractat. de schematismo) conceptus ad i tuitionem empiricam applicetur. Ex quo efficit nullam dari praedicamentorum applicationem, nisi per ea *cognitio* obiectorum per intuitionem empi cam praebitorum conficiatur, i. e. ad possibilitate cognitionis empiricae constituendam. Cognitione autem empiricam experientiam dicimus; praedic menta igitur de rebus nihil omnino docent, nisi qu

ten

tenus hae res vt obiecta experientiae possibilis, i. e. vt in repraesentatione empirica dabilia, considerantur. Maximi momenti esse huiusce paragraphi argumentum, iam exinde patebit, quod sicut in Aesthetica transscendentali vsus atque applicatio formae purae intuitionis sensitiuae certis finibus includebatur, sic et in hoc termini ponuntur, vltra quos nullus praedicamentorum vsus datur. Spatium enim et tempus, quae conditiones sunt, sub quibus solis obiecta intuitionis praeberi possunt, nullam nisi ad obiecta sensuum i. e. experientiae possibilis applicationem patiuntur; sunt enim in sensibus, et abstractione facta a nostro intuendi modo nulla sunt. At praedicamenta maiorem quidem applicationis suae ambitum habere videntur; pertinent enim ad obiecta intuitionis in genere, siue ea intuitio nostrae similis sit, siue aliis formis et conditionibus adstricta, dummodo per sensus fiat, nec vero ab intellectus operatione spontanea proficiscatur. (Conf. §. 6. fin.) Verum latior hic praedicamentorum ambitus ad promouendam trans fines experientiae, per nostram sensualitatis formam possibilis, cognitionis humanae ditionem nil valet; conceptus enim formantur inanes, et realitate obiectiua plane destituti, nisi intuitio per sensus nostros accedat empirica, quae obiectum conceptui praebeat, ad quod applicari possit.

Ponatur enim, vt exemplo quae dicta sunt illustremus, cogitari nobis obiectum aliquod intuitionis non nostro modo sensitiuae; tunc de eo quidem omnia praedicare licebit *negatiue*, quae intuitioni nostrae positiue vt eiusdem conditiones adhaerent. Licebit igitur dicere, tale obiectum non esse extensum i. e. in spatio porrectum, eiusdem durationem non per tempus definiri posse, non esse in eo mutationem (siue seriem determinationum consecutiuarum in tempore) et quae plura eiusmodi. Verum negatiuam hanc determinatio-

nem, (quid in intuitione obiecti non sit) per quam nihil de eo, quod realiter in obiecto contineatur, constituimus, cognitionem proprie appellare non possumus; nihil enim amplius definitum est, quam nostrum intuendi modum ad tale obiectum applicari non posse; nec ad tale aliquod cogitatum vllum praedicamentum ne substantiae quidem (i. e. eius, quod semper subiectum numquam autem merum praedicatum esse potest) referre licet. Quomodo enim de cogitato aliquo substantiam praedicarem, de quo an ipsi obiectum aliquod extra me correspondeat, inscius sim? obiectum autem correspondens non nisi per intuitionem empiricam praeberi potest; ex quo rursus efficitur, nullum praedicamentorum ad cognitionem vsum esse nisi in relatione eorum ad obiecta experientiae.

§. 8.

Praedicamenta referuntur ad obiecta sensuum in genere per synthesin transscendentalem imaginationis, quae facultas est determinatiua sensualitatis, a priori, secundum leges vnitatis apperceptionis.

Obiecta intuitionis possibilis in genere per praedicamenta intellectui exhibentur ad cogitationem, nullo adhuc discrimine posito, an ex *humanae* naturae legibus seu secundum alias forsan conditiones et formas intuitio facta sit; modo, vti supra monitum est, sensitiua esse debet. Eatenus autem praedicamenta nullam certae cognitionis vim habent; sed formae tantum sunt cogitationum possibilium, per quas nullum certum atque statutum obiectum cognoscitur. In synthesi enim siue coniunctione multiplicium, quae per praedicamenta exprimitur, non ad materiam quasi syntheseos in intuitione praebitam, an sensibus *nostris* correspondeat nec ne, sed solum ad vnitatem apperceptionis, quae per praedicamentum efficitur in

obiecto

obiecto cogitabili, respicimus; haec itaque synthesis fundamentum constituit possibilitatis cognitionis a priori, quatenus ab intellectu pendet, et propterea non solum pro transscendentali, sed etiam pro mere intellectuali habenda est. Quoniam autem inest nobis certa intuitionis sensitiuae forma a priori, siue qua nullae omnino obiectorum repraesentationes a nobis recipi possunt, tempus scilicet, in quo formam posuimus sensus interni, per quam omnes, etiam spatii externae intuitiones exhiberi debent; inde efficitur, conditionem necessariam, sub qua omnia *nostrae* i.e. humanae intuitionis obiecta comprehendi debent, esse vnitatem apperceptionis multiplicium in intuitione sensitiua a priori, qualem temporis repraesentationem formalem diximus. Quumque omnes nostrae intuitiones ad hanc formam necessarie adstrictae sint, inde colligimus, nullam posse multiplicium intuitionis coniunctionem, nec apperceptionis vnitatem obiectiuam cogitari, *nisi per temporis determinationem a priori*, secundum quam intellectus multiplicitatem puram temporis ad vnitatem per praedicamenta reducit. Hoc demum modo praedicamentis, quae hactenus merae fuerant cogitationum formae, accedit obiectiua realitas, siue applicatio eorum ad obiecta, quatenus nobis in intuitione praeberi possunt, (i. e. phaenomena) sistitur. Non enim alio modo quam per phaenomena de obiectis aliquid aut intueri nos aut cognoscere posse Aesthetica transscendentali expositum est. (conf. infra §. 13. de schematismo.) Hanc autem multiplicium intuitionis purae in sensu interno synthesin a priori, vt ab intellectuali illa dignoscatur, secundum quam multiplicium intuitionis in genere comprehensio in simplici praedicamento cogitatur, synthesin *speciosam* liceat vocare. Vtramque autem synthesin, quatenus a priori fit et fundamentum possibilitatis cognitionum constituit, iure transscendentalem nuncupamus. Aptiori

ta-

tamen, propter genesin syntheseos istius, quam speciosam diximus, expressione eam synthesin transscendentalem imaginationis appellabimus. *Est enim imaginatio facultas, obiectum aliquod, quamquam non praesens sit in sensibus, tamen in intuitione repraesentandi.* Haec vero facultas, quatenus subiectiuis conditionibus adstricta est, sub quibus solis correspondens conceptibus intellectus intuitio praeberi potest, ad sensualitatem pertinet; quatenus autem synthesis eiusdem operatio est intellectus spontanei, (conf. Logic. transscendental. Prooem. §. 1.) sensualitatem quoad formam eius a priori sub lege vnitatis apperceptionis comprehendentis, hoc, inquam, respectu imaginatio, vti in argumento paragraphi posuimus, per facultatem determinatiuam sensualitatis (siue quae sensualitatem a priori ad leges vnitatis apperaeptionis componit,) definiri potest; et synthesis, quae per eam *secundum praedicamenta* instituitur (conf. argumentatio breuis §. 6.) synthesis imaginationis transscendentalis appellanda est. In hac igitur operatio cernitur intellectus, sensualitatem in sua quasi iura vocantis, et regimine suo comprehendentis, per quam spontaneam operationem leges intellectus ad obiecta intuitionis, qualem mens humana capit, applicantur. Vt speciosa haec synthesis ab intellectuali differt, quae simpliciter per intellectum, non adhibita imaginatione, fieri solet; quatenus autem in imaginatione spontaneitas adest operationis, eam interdum etiam imaginationem productiuam, vocabulo satis consueto et quod etiam apud Baconem inualuit, appellauimus; distinguenda autem est ab imaginatione reproductiua, de qua, vt empirica et a legibus idearum associandarum pendenti, in psychologia haud vero in philosophia transscendentali tractanuum est.

§. 9.

Applicatio supradictorum ad illustrandam doctrinam de substrato cogitante, sui ipsius tantum vt phaenomeni sibi conscio.

(Conf. Aestheticae transscendentalis Section. alter. §. 3. et epilogum obseruat. 2.)

Admotis eis, quae in paragraphis superioribus demonstrata sunt, optime si qua in expositione formae sensus interni difficultas superest, explanabitur. Diximus enim locis citatis, sensum internum nosmet ipsos, (siue subiectum nostrum cogitans) non quales sumus, sed quales nobis ipsis apparemus, conscientiae nostrae repraesentare; siue nullam esse menti nostrae de nobis ipsis cognitionem nisi quatenus vt phaenomenon in mente ipsa exhibetur.

Cardo omnis huiusce argumenti in eo vertitur, ne sensum internum cum facultate apperceptionis permutemus. Tantum autem abest, vt per sensum internum et apperceptionem vna eademque facultas designetur, vt potius sensus internus siue mera intuitionum receptiuitas formam tantum contineat et conditionem intuitionum, sine qua nullae omnino dari possunt, at per ipsum nulla constituatur multiplicium in eadem exhibitorum coniunctio; quare etiam sensui interno per se nulla indiuidua atque particularis inest intuitio, sed haec primum ab intellectu perficitur. Intellectus enim, vt facultas ea, per quam multiplicia intuitionum coniunguntur, siue ad vnitatem apperceptionis reducuntur, syntheticum exercet supra sensum internum influxum, dum per eam imaginationis operationem transscendentalem, quam etiam synthesin apperceptionis diximus, quae varia intuitionis in sensu interno praebita sunt, sub apperceptionem siue vnitatem conscientiae comprehendit. Haec igitur

ap-

apperceptionis vnitas synthetica, vt *omnis coniunctionis fons atque origo*, leges continet comprehensionis multiplicium in obiectis intuitiuis in genere, et ante intuitionem sensitiuam secundum diuersos ipsius modos in praedicamentis expressos exsistit in mente, vt conditio, cui omnia, quae per sensum internum praebentur ad cognitionem, consentanea esse debent.

Hanc autem intellectus operationem syntheticam, (vid. supra §. 8.) per quam ipse varia intuitionum coniungendo ad vnitatem apperceptionis reducit, in vna quaque, quam de obiectis intuitiuis formamus, cogitatione conspicimus. Neue lineam enim, nec circulum cogitando fingimus, nisi priorem in imaginatione ducendo, circulum vero describendo. Nec ipsum adeo tempus cogitare licet, nisi dum, lineam rectam (vt eiusdem externam quasi imaginem) consecutiue et in infinitum quasi ducendo, ad actum syntheticum multiplicium, per quem sensus internus consecutiue afficitur, indeque ad hanc ipsam determinationis in ipso successionem attendimus.

Quin adeo ipse de serie quadam successiua conceptus generatur ex conceptu motus, dummodo motum non vt aliquid in obiecto caussatum, *) sed vt actum subiecti, per quem synthesis multiplicium in spatio efficitur, consideramus, et in eo vnice ad eam operationem attendimus, per quam sensus internus secundum formam sibi inhaerentem afficitur.

Pa-

*) Motus obiecti in spatio non ad scientiam puram, proinde nec ad geometriam pertinet, quoniam esse aliquid mobile non a priori sed per experientiam cognoscitur. Verum motus, quatenus *descriptionem* spatii designat, actus est purus imaginationis productiuae qui in successiua multiplicium intuitionis externae synthesi consistit, et hanc ob causam non solum ad geometriam, sed etiam ad philosophiam, et quidem ad transscendentalem omnino pertinet.

Patet igitur, intellectum in ſenſu interno nullam reperire multiplicium coniunctionem, ſed hanc primum, dum ſenſum hunc afficit, producere. Ex quibus omnibus efficitur, ſenſum internum intellectui nullam de ſubiecto noſtro offerre intuitionem definitam, ſed multiplicia eiusdem, qualia ſecundum formam temporis in ſenſu interno exhibentur, per ſyntheſin transſcendentalem imaginationis ad vnitatem apperceptionis reduci. Intellectus igitur cognitionem de ſubiecto noſtro ſecundum formam ſenſus interni producit. Quatenus autem negari nequit, formam aliam intuendi et diuerſam ab ea, cui nunc ſenſus internus adſtrictus eſt, cogitari poſſe, hoc, inquam, reſpectu ſubiectum internum per ſe, poſſibiliter diuerſum ab eo, quale ſibi ipſi repraeſentatur, cogitari debere, et hanc ob cauſam ſubiectum non per ſe, ſed ſecundum phaenomenon cognoſci diximus. Elucet igitur ex ſuperioribus, hominem ſui ipſius naturam accurate contemplantem ita de ſe ipſo poſſe praedicare: ego, qui cogito, (ſiue ſubiectum mei *cogitans*) me ipſum vt obiectum cogitatum eatenus tantum cognoſco, quatenus ſimiliter cum ceteris phaenomenis in intuitione datus ſum, ſiue appareo, non qualis cognoſcerer, ſi intellectus immediate intueri poſſet.

Quod quidem hominis de ſe ipſo iudicium pro vero habendum eſt, ſimulac de eo ſatis conſtat, quod ſupra vberius tractatum eſt, hominem ſibi ipſi obiectum intuitionis ac perceptionis per interni ſenſus affectionem paſſiuam eſſe. Adſtruitur autem egregie haec noſtra ſententia, ſi ad id attendimus, quod omnes ſenſus interni modificationes vt phaenomena ſecundum easdem relationes in tempore diſponere cogimur, ſecundum quas modificationes ſenſuum externorum in ſpatio collocamus. Tempus enim ipſum, quamquam nullo modo pro obiecto intuitionis externae haberi poſſit, tamen, vti dictum eſt, non niſi per

actum productionis lineae rectae in imaginatione repraesentare possumus, et omnia, quae in tempore dimetimur, secundum dimensionum externarum in spatio analogiam cogitamus. Sin autem de sensu externo concedimus, nos per eum obiecta non nisi in tantum cognoscere, quatenus externe afficimur; (cf. epilog. ad Aesthet. transscendental. observat. 1.) inde etiam de sensu interno fatendum erit, nos per eum nosmet ipsos haud aliter intueri, nisi quatenus interne a nobis ipsis afficimur, i. e. nos subiectum proprium solummodo vt phaenomenon, non vero quale obiectiue per se est, cognoscere, id quod erat demonstrandum. Per eam autem synthesin multiplicium repraesentationis in genere, quae ad vnitatem apperceptionis spectat, quamque huiusce sectionis §. 8. intellectualem diximus, de me, nec qualis mihi ipsi appareo, nec qualis re vera sum, sed tantum, *quod sim*, mihi conscius fio. Me autem vt existentem non intueor, sed cogito. Quum vero ad cognitionem mei ipsius praeter eam intellectus operationem, per quam, quae vnicuique intuitioni cogitabili varia inesse possunt, sub vnitate apperceptionis comprehensa cogitantur, etiam horum multiplicium effectiua per sensum internum secundum formam ipsius intuitio requiratur, inde efficitur, hanc quidem „me esse„ cogitationem, non ab intuitione pendere, verum *qualem* me ipsum cognoscere possim, hoc omnino ab ea ratione pendere, qua subiectum se ipsum vt certo quodam modo sensum internum afficiens contemplatur. Meram igitur conscientiam siue vnitatem apperceptionis intellectualis ad cognitionem mei ipsius haudquaquam sufficere, nisi intuitio mei ipsius accedat, per synthesin imaginationis apprehensa, satis iam, vt opinamur, explicatum est. Ea, quae paragrapho superiori dicta sunt, quamquam propter rei et difficultatem aliquam et grauitatem longiora sint, tamen vt corollaria tantum ex

prae-

praecedentibus atque in transitu dicta accipienda sunt. Iam ad argumenti ipsius filum reuertimur.

§. 10.

d) *Praedicamenta sunt conceptus, per quos intellectus phaenomenis in genere, et ob id ipsum naturae vt complexui omnium phaenomenorum, legem constituit a priori, per quam eiusdem cognitio primum fit possibilis: breui, natura omnis formaliter spectata ad leges intellectus a priori composita esse debet.*

Quaenam sit praedicamentorum origo a priori, in deductione nostra metaphysica (conf. Logices transscendental. Lib. I. Cap. II. §. 6. coll. cum cap. I. de gnomone) ex eorumdem cum functionibus iudiciorum logicis congruentia demonstrauimus; per transscendentalem autem deductionem (cuius neruus §. 6. Sect. II. Cap. III. continetur) constat, omnes intuitiones per sensus necessarie sub praedicamenta comprehendi debere. Accedimus iam ad vltimum huiusce argumenti momentum, quod quidem in eo potissimum versatur, vt, omnia obiecta, quae vt intuibilia omnino cogitari possunt, a priori secundum leges internae eorum coniunctionis per praedicamenta cognosci, et secundum eadem a priori (nulla praeuia intuitione) definiri posse, probemus; hoc enim antequam lectori probauerimus, quonam modo intellectus legem ferat naturae, siue cur omnia, quaecunque sensibus nostris sese offerunt, legibus subiecta esse debeant ex intellectu puro oriundis, nequit intelligere.

Inesse menti nostrae repraesentationes spatii et temporis, quae formas intuitionis tam externae quam internae, a priori, constituunt, et ad hasce formas omnia, quae in intuitione empirica multiplicia reperiuntur, componi debere in apperceptione, ex superio-

ribus satis constabit. *Synthesis* igitur *apprehension*
qua quidem denominatione eam designamus multip
cium in intuitione empirica compositionem, per qua
eandem percipimus, siue eiusdem vt phaenomeni co
scii nobis reddimur empirice, formis sensualitatis p
ris consentanea esse debet. Verum enimuero in spat
ac tempore non forma tantum spectatur intuition
sed ipsa quoque intuitus sunt, et qua tales, multiplic
continent, sub vnitate, quae per intellectum efficitu
comprehensa. In spatio enim, si quemadmodum
in geometricis, vt *obiectum* repraesentatur, praet
formam intuitionis adhuc multiplicium comprehens
in repraesentatione intuitiua continetur; quo fit, vt
forma intuitionis multiplicitatem tantum, in *intuitio*
vero *formali* vnitatem spectemus repraesentation
Sequitur inde, iam cum intuitione ipsa simul vnitate
aliquam synthescos multiplicium vel extra vel intra n
(per sensum aut externum aut internum) datorum,
e. coniunctionem aliquam a priori, in qua omnia
spatio vel tempore comprehensibilia constituta esse d
bent, vt conditionem apprehensionis datam esse a pri
ri. Videmus autem, siquidem omnis *coniunctio* ab i
tellectu efficitur per praedicamenta, (cf. Log. tran
scendental. Lib. I. Cap. III. Sect. II. §. 1.) vnitatem
lam syntheticam nullam aliam esse posse nisi multip
cium datae intuitionis compositionem in apperceptio
intellectuali secundum praedicamenta. (cf. loc. cit.
2. sequ.) Omnis igitur multiplicium synthesis, p
quam perceptio empirica efficitur, legibus adstricta e
praedicamentorum; experientia autem cum nihil aliu
significet, nisi cognitionem ex perceptionibus inuice
connexis conflatam, inde colligimus, praedicamen
esse conditiones, sub quibus solis experientia vt possib
lis cogitari potest, et ob id ipsum de omnibus expe
rientiae possibilis obiectis valere a priori.

Ad vlterius haec, quae in abstracto posita sunt, illustranda, exemplis vtamur a Kantio propositis, in quibus, id quod demonstrandum erat, synthesin scilicet apprehensionis cum synthesi apperceptionis, quae intellectualis est et mere a priori in praedicamento cogitatur, necessarie consentire, empirice quasi comprehenditur.

Ab intuitione empirica domus per apprehensionem multiplicium in ipsa ad eiusdem perceptionem sub vno conceptu procedentes, fundamento vtimur vnitatis necessariae in spatio, secundum quam multiplicium in spatio vnitatem syntheticam, formam quasi domus in imaginatione delineamus. Haec autem ipsa, quam sic in spatio comprehendimus, quaque in apprehensione multiplicium intuitionis empiricae vtimur, vnitas synthetica originem trahit ab intellectu, et per intellectum in synthesi ipsius spatii efficitur. Continetur enim in praedicamento quantitatis, quae synthesin inuoluit homogenorum intuitionis in genere. Synthesis igitur ista apprehensionis, per quam perceptio domus in spatio constitutae constituitur, necessarie cum ea apperceptionis synthesi, quae cogitatur in praedicamento quantitatis, debet congruere.

Rursus, congelationem aquae percipientes, duo diuersos apprehendimus status, (fluiditatis et consistentiae) et quidem in relatione aliqua temporis. Haec autem relatio ad seriem aliquam successionis in intuitione reperiri non posset, nisi vnitas multiplicium synthetica necessarie cogitaretur in tempore, ad cuius intuitionem internam phaenomenon vtpote ad ipsius percipiendi conditionem fundamentalem componimus. Haec autem vnitas synthetica, quae in tempore cogitatur simili eius, quam in spatio animaduertimus, ratione, ab intellectu repetenda est, resideque originaliter in praedicamento caussalitatis, per quod ad sensu-

alitatem applicatum, omnia, quae fiunt secundum r lationes internas, in tempore dispofita cogitantur. A prehensio igitur eiusmodi phaenomeni, quale sup posuimus, indeque ipsum, quatenus percipi a nob potest, phaenomenon, non nisi sub conceptu relati nis caussarum et effectuum mutuae cogitari potest.

§. 11.

Praedicamenta de obiectis experientiae possibilis vt phaen menis valent.

Restat nunc, vt id, quod iam demonstrauimu naturam scilicet semper praedicamentis congruam e rumque legibus subiectam esse debere, cum tamen h leges non a natura ipsa deriuatae sed ab aliena ipsi inte lectus facultate repetitae sint, paucis illustremus.

Sin igitur quaerimus, quomodo leges phaen menorum in natura cum intellectu eiusque forma priori — siue a priori coniungendi facultate — c haereant, haud maiori haec quidem quaestio difficu tate laborare videtur, quam illa, cur ipsa phaenom na cum forma intuitionis sensitiua a priori necessar consentiant, nec nisi sub ea apprehendi quean Quemadmodum enim phaenomena non per se existun sed tantum in relatione ad subiectum quatenus sensibu formae purae a priori adstrictis, praeditum est, e dem modo leges non existunt in phaenomenis, s per relationem tantum ad subiectum, cui phaenom na inhaerent, efficiuntur. Si res per se cognoscere tur, tunc etiam de iis ipsis conformitas aliqua cum l gibus ipsis adhaerens, etiam extra intellectum qui e cognoscit, praedicari posset. Verum quum phaen mena nihil sint nisi repraesentationes obiectorum, qu rum quae per se interna est, et propria ipsis et ab a prehensione subiecti cognoscentis independens natu

incognita manet nobisque inaccessibilis, eam, inquam, ob causam sub nulla alia nexus siue coniunctionis lege tenetur phaenomenon, nisi quae ipsi ab ea, quae multiplicia connectit, mentis facultate iniungitur.

Imaginatio autem, quae varia intuitionis sensitiuae ad cognitionem coniungit, quoad vnitatem syntheseos intellectualis ab intellectu, quoad multiplicia apprehensionis a sensualitate pendet. Quum autem omnis perceptio possibilis pendeat a synthesi apprehensionis, haec autem empirica synthesis cum transscendentali necessarie congruat, quae per praedicamenta efficitur: (cf. §. 10.) inde elucet, omnes perceptiones possibiles, et consequenter omnia, quae in apperceptionem empiricam cadere possunt, i. e. omnia phaenomena naturae, quoad coniunctionem eorum sub praedicamentis comprehendi, a quibus natura *formaliter* spectata (i. e. secundum fundamentum nexus sui legalis) pendet.

§. 12.

Summa praecedentis deductionis.

Mens humana nisi ope praedicamentorum cogitare obiecta nequit; nec obiectum cogitatum cognoscere, nisi superaccedant intuitiones hisce conceptibus congruae (Ne vero cognitio cum simplici cogitatione permutetur, qui errorum vberrimus fons et fuit et adhuc manet, in philosophicis iam supra Lib. I. cap. III. Sect. II. §. 7. cautum fuit.) Omnes autem intuitiones nostrae sensitiuae sunt, omnisque cognitio, propter obiectum eius externe datum, empirica est. Cognitio autem empirica experientiam efficit; ex quo perspicitur, nullam a priori cognitionem formari posse, nisi circa obiecta experientiae possibilis.

Haec autem cognitio, quamuis non vltra experientiae possibilis terminum pateat, tamen non omnis

ab experientia petita est, sed dantur eiusdem elementa a priori, intuitiones purae in sensualitate, praedicamenta in intellectu. Necessaria autem ista, quam constituimus, experientiae cum conceptibus de eiusdem obiectis congruentia, non nisi duplici more cogitabilis est. Aut enim experientia per conceptus istos, aut hi conceptus per experientiam possibiles redduntur. Quum vero tam praedicamenta quam istae, quas diximus, intuitiones purae a priori et libere ab omni experientia in mente existant, empiricamque eorumdem originem sine contradictione statuere non possis; altera tantum superest opinio, quae, systema aliquod sistens epigeneticum rationis purae, in praedicamentis principia possibilitatis experientiae reposita esse asserit. *)

Quo

*) Fuere quidem, qui mediam inter ambas viam tenentes, *systema* aliquod *praeformationis* rationis purae condere voluerunt, in hanc ferme sententiam iudicantes: esse praedicamenta nec principia spontaneae cogitationis a priori ad cognitionem, nec mere ab experientia petita, sed subiectiuos esse et intime cum existentia mentis nostrae connexos cogitationum modos ac delineamenta, a creatore nostro ita originaliter disposita, vt vsus eorum cum legibus naturae, ad quarum filum omnis redigitur experientia, aptissime congrueret. Verum praeterquam quod in hac hypothesi omnis euanescat humanae cognitionis libertas, quum scilicet hoc concesso vlterius progredi et in vno quoque iudicio, seu vero seu falso, causas siue veritatis siue erroris ad praeformata quaedam cogitationum quasi semina et rudimenta referre possis; hoc maxime ad refutandum tale commentum facit, quod eo adoptato praedicamenta *necessitate*, quae tamen princeps aliquod eorum est attributum, destituerentur. Vt exemplo vtar, conceptus causae, qui necessitatem inuoluit certi euentus sub conditione aliqua praecedenti, omnino falsus foret, si tantum in subiectiua et insita nobis necessitate, quasdam repraesentationes sub einsmodi regula relationis comprehendendi, positus esset. Tunc enim, non effectum aliquem in obiecto cum causa sua connexum esse, sed meum tantum subiectum

Quo vero modo experientia per praedicamenta possibilis reddatur, et quaenam per relationem praedicamentorum ad phaenomena principia possibilitatis experientiae efficiantur, in libro subsequenti, quod analyticam exhibet axiomatum intellectus puri, vlterius persequendum erit.

iectum ita esse dispositum vt repraesentationem obiecti non nisi secundum hunc nexum cogitare possim, indicandum foret; id quod Pyrrhonistae in primis vrgent. Concidit enim simul omnis iudiciorum obiectiua vis et virtus, et omnis nostra cognitio in vanas abire cernitur species; quinimo semper adforent, qui litem vrgendo etiam subiectiuam illam necessitatem abnegarent, quae quum in sensatione reposita sit, saltem probari omnino non posset.

ANALYTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER SECUNDUS.

Analytica propositionum fundamentalium intellectus puri, seu doctrina transscendentalis facultatis iudicatiuae.

INTROITUS.

Doctrina transscendentalis circa facultatem iudicatiua conditiones legesque exponens, secundum quas obiect sub praedicamenta subsumi possunt a priori, diuidit in capita duo; quorum primum de schematismo int lectus puri conditionem sensitiuam proponit, sub q sola conceptus intellectus puri ad obiecta referri p sunt: alterum vero de axiomatibus intellectus p ea constituit iudicia synthetica, quae sub hisce con tionibus a priori e conceptibus intellectus puris elici tur, omnisque cognitionis a priori fundam constituunt.

Supra iam in prolusione ad Analyticam transscend talem, quaenam sit facultatis iudicatiuae nat breuiter ostendimus. Iudicare igitur idem est ac leges intellectus subsumere, siue discernere, an res ue obiectum aliquod in casu datae legis compreh datur, nec ne. In hoc autem inprimis Logica co munis siue vniuersalis a Logica transscendentali, qua nos versamur, differt, vt prioris nulla sint p

cepta circa facultatem iudicatiuam, in hac vero eiusmodi reperiantur. Logica enim vniuersalis, nihil cognitionis materiam curans, (cf. Logic. transscend. Prooem. §. 2.) in exponenda analytice cognitionum forma per conceptus, iudicia, atque ratiocinia vnice versatur, et hoc potissimum more formalia constituit circa vsum facultatis cognoscitiuae in genere praecepta. Sin autem, quomodo sub hasce leges subsumere, i. e. in quouis casu dato dignoscere debeamus, an sub lege comprehendatur, hoc quoque in Logica vniuersali docendum esset; manifeste apparet, per noua praecepta hoc fieri debere, quorum applicatio recenti iterum disciplina egeret, et sic porro in infinitum. Ex quo efficitur, intellectum quidem per praecepta instrui atque edoceri posse, iudicatiuam autem facultatem nequire; eamque donum aliquod naturae et natiuum quasi virtutem esse, cuius defectum, quem tarditatem solemus appellare ingenii, nulla umquam scholarum eruditio compensare valet. Iudicium enim non instituitur praeceptis, verum exemplis acuitur, quorum praecipuus in eo cernitur vsus, vt inualidum adhuc ad iudicandum ingenium quasi manu ducant, et ad rite discernendum, quodnam in abstracto praeceptum de obiecto aliquo valeat in concreto, assuescant.

Alia autem prorsus est Logices transscendentalis ratio; haec enim proprium id sibi sumsisse videtur negotium, vt vsum atque applicationem intellectus puri per facultatem iudicatiuam regat, certisque praeceptis moderetur. Quin in genere philosophiae non doctrinalis potissimum videtur vsus esse, ad augendum cognitionis purae a priori campum, in quo hucusque semper sine fructu elaboratum et fuit et fuisse oportuit, sed quem καθοςθωτικον seu criticum appellare possis, vt scilicet in tam exigua, qua gaudemus, cogni-

tionum a priori copia, a lapsibus saltem indi
caueatur.

Est autem communis haec philosophiae tra
scendentalis cum mathematicorum doctrina *) dig
tas, vt non praeceptum solum seu potius condi
nem generalem praecepti efficiendi in conceptu int
lectus puro sistere, sed etiam a priori casum legis
tum indicare, i. e. applicationem praecepti a pri
definire valeat. Quum enim in ea de concepti
agatur, quorum relatio ad obiecta sistitur a priori,
de patet, obiectiuam huiusce philosophiae realitat
non posse probari a posteriori, sed conditiones,
quibus solis obiecta cum istis conceptibus pu
et generalibus congrua dari possunt, in ipsa simul
poni debere, quod si fieri nequiret, tunc mere f
malis et omni effectiua ad cognoscendum vi atque
tute destituta euaderet.

*) In mathematicis enim *regula* siue praeceptum sistitur a p
in theoremate, applicatur in propositione constructiua,
sub quibus conditionibus subsumendum sit sub praecept
indicat a priori.

AN

ANALYTICES PROPOSITIONUM FUNDAMENTALIUM.

CAPUT PRIMUM.

De schematismo conceptuum intellectus purorum.

§. 1.

De schemate transscendentali. Per schema transscendentale mediatrix designatur repraesentatio, una ex parte cum praedicamento, ab altera cum phaenomenis homogena, (ὁμογενής) quae formalem puramque sensualitatis conditionem exhibens, ad quam praedicamentum quoad usum suum restrictum est, applicationem eius ad obiecta sensibilia possibilem reddit.

Quaevis obiecti sub conceptum aliquem subsumtio homogenitatem requirit repraesentationis de obiecto cum conceptu dato; i. e. in conceptu id expressum esse debet, quod in obiecto subsumendo repraesentatur. Sic empiricus de orbe conceptus analogon exhibet conceptus puri de circulo, qualis definitur in geometricis; rotundum enim illud, quod in hoc cogitatur, in intuitione sensitiua refert.

Quum autem praedicamenta intellectus puri cum empiricis comparata intuitionibus, nihil hisce simile aut vnigenum referant, nec vnquam in intuitione sensitiua spectari possint: (quis enim vnquam v. c. caussalitatis praedicamentum per sensus percipi, vt quod in phaenomenis contineatur,

con-

contendat?) inde magni momenti exoritur quaestio, quo tandem modo intuitionum subsumtio sub praedicamenta siue praedicamentorum ad obiecta sensuum applicatio possibilis sit? In qua quidem quaestione resoluenda hoc primum omnium intelligimus, vt talis subsumtio vt possibilis cogitari queat, intermediam quasi aliquam repraesentationem requiri, quae partim cum praedicamento, partim cum sensualitate congrua, et pura quidem i. e. ab omni experientiae additamento libera, at ex parte altera quoque sensitiua sit. Eiusmodi autem repraesentationem schematis transscendentalis denominatione supra designauimus.

§. 2.

Schema transscendentale, per quod praedicamentorum ad obiecta relatio efficitur, tempus est determinatum a priori, obiectorumque sub conceptus puros subsumtio per hocce schema schematismus intellectus puri vocatur.

In tempore, quatenus conditio est formalis multiplicium sensus interni coniungendorum, i. e. ad vnitatem imaginationis transscendentalem redigendorum, multiplicia exhibentur intuitionis a priori. Hac igitur ex parte homogenon est conceptui puro, qui ad id proprie destinatus est, vt absolutam exhibeat multiplicium vnitatem a priori, in synthesi intellectuali. A parte altera etiam cum phaenomenis vt eorum forma vniuersalis congruit. In omni enim de multiplici perceptione empirica temporis continetur repraesentatio, sine qua nec illa perceptio foret possibilis. Hanc autem propter relationem applicatio praedicamentorum intellectus puri ad phaenomena, quae sensibilia sunt, per temporis vt repraesentationis formalis a priori modificationem transscendentalem vere efficitur. Intellectus igitur obiecta per conceptus puros

ros ope schematis transscendentalis cogitat, eiusque in hoc negotio operationem schematismum appellare licet intellectus puri, vocabulo, quo vsum fuisse illustrem Verulamium ex eiusdem Nov. Org. Lib. 2. Aph. 7. patet, quoque aptius ad opinionem nostram designandam reperire desperauimus, quum assimilationem aliquam diuersorum vniusque per alterum determinationem ex etymo significet. Per schematismum igitur, vt fixum vocabulo ponamus significatum, operationem innuimus intellectus, dum phaenomena sub praedicamenta seu categorias sublumit per schema temporis, quod altera ex parte, vt intuitio pura transscendentalis cum praedicamentis, ab altera vero, — quatenus empirica temporis apperceptio omni repraesentato inest, — cum phaenomenis homogenon reputatur.

§. 3.

Schema conceptuum ab eorumdem typo accurate distinguendum est: generatur enim typus vi imaginationis productiuae (conf. Log. transscendent. Pars. I. Lib. 1. Cap. 3. Sect. 2. §. 8.) *empirica, per singulorum positionem in imaginatione; schema autem per eiusdem virtutem puram, quam in praedicamentis ad modos temporis a priori accomodandis exserit, efficitur.*

Tam schema illud, quod diximus conceptuum, quam eorumdem typus originem trahunt ab imaginatione. Verum imaginatio in synthesi eiusdem transscendentali non singulam spectat intuitionem, sed per schema temporis sensualitatem in genere ad vnitatem reducit apperceptionis; per typum vero singuli conceptus ponuntur in imaginatione. Sic quatuor puncta sibi inuicem in imaginatione subiungendo . . . . typum consti-

constituo quaternionis siue numeri 4. At numerum cogitans in genere, (de quo an quaternionem seu decada etc. exprimat, non definitum est) schema constituo conceptus de quantiate, i. e. methodum aliquam definio, secundum quam quantitatis certa e. g. decem millium sub typo suo repraesentari possit per singulorum appositionem successiuam; haud vero typum ipsum delineo, qui propter singulorum in quantis maioribus multitudinem haud facile in imaginatione sisti, aut cum conceptu ipso comparari poterit. Sequitur inde, per schema certi cuiusdam conceptus significari repraesentationem de methodo in genere, secundum quam imaginatio cuilibet conceptui typum congruum comparat.

Haec auten, quam diximus, inter schemata conceptuum, atque eorumdem typos differentia, maiorem adhuc lucem accipiet, si consideramus, nec conceptibus sensualitatis puris, nec multo minus empiricis typum umquam adaequatum dari posse; sed eorumdem ad obiecta experientiae possibilis relationem per schema imaginationis purae a priori primum cogitabilem fieri. Sic conceptui puro trianguli nullus umquam trianguli typus congruet, in hoc enim vniuersalitas ista conceptus, secundum quam pariter de aequilateribus et de aequicruris de rectangulis et acutangelis valet, nullo modo potest exhiberi: sed quicunque typus vnam tantum vniuersalitatis istius partem comprehendet. Schema autem trianguli syntheticam designat imaginationis normam, secundum quam formas puras in spatio constructas (circumscriptas) fingit. Multo minus autem empirico e. g. de cane conceptui, typus vllus poterit congruere; semper enim speciem tantum, non vniuersalitatem sistet generis: omnis potius empiricus conceptus immediate per schema efficitur imaginationis, quod normam continet intuitionis a priori determinandae secundum notiones vniuersales. Sic iste de cane

cane conceptus vniuerſalis per ſchema ſiue normam imaginationis, ſecundum quam iſta figuram quadrupedis in ſpatio vniuerſaliter delineare poteſt, nulla ſingularum ſpecierum, quas experientia offerre poſſet, aut typorum, quos ex hisce componere liceret, ratione habita, efficitur. In hoc autem intellectus ſchematismo circa phaenomena, in quo omnis experientiae poſſibilitas, omnis facultatis cognoſcitiuae vſus repoſitus eſt, magna cernitur ars ingenii noſtri occulta adhuc, et forſan humanae percunctationi nunquam exploranda penitus; quo enim modo aut qua ratione mens noſtra in hoc negotio procedat hoc latet abſconditum, quamquam quid facti ſit, ex interna noſtrûm contemplatione eruere liceat, quod quidem ad tria haec potiſſimum momenta redit:

1) Typus generatur per vim productiuam imaginationis, quatenus empirice afficitur,

2) Schema conceptuum ſenſitiuorum, — quales figurae ſunt in ſpatio, — generatur ab imaginatione pura a priori, et normam continet, ſecundum quam typi primum fiunt poſſibiles, qui tamen numquam cum conceptu perfecte congruunt.

3) Schema conceptus puri intellectus ſiue categoriae nullo umquam typo exprimi poteſt; ſed ſyntheſin exprimit repraeſentationum ſecundum leges vnitatis conceptuum, quae continetur in praedicamento, componendarum; vſusque huiusce ſchematis in determinando per formam temporis ſenſu interno cernitur, ſecundum quam omnes repraeſentationes, quae propter vnitatem apperceptionis a priori in vno conceptu cohaerere debent, ad vnitatem imaginationis ſiue ſpecioſam conciliantur.

§. 4.

Obiecta ſub praedicamenta, non niſi ſchemate eorundem adhibito, ſubſumi poſſunt, quod quidem ſchema trans-

transſcendentalem temporis determinationem continet. Exhibet enim ſchema quantitatis generationem ipſam temporis per ſucceſſionem; ſchema qualitatis — complementum temporis, quatenus obiecta ſecundum tempus in mente repoſita ſenſationi correſpondent; ſchema relationis — habitum perceptionum internum in tempore ſeu ordinem temporis; — ſchema modalitatis — tempus ipſum ad obiecta relatum, quae an, et quatenus ad tempus pertineant, conſiderantur.

Conciſam hanc ſchematum expoſitionem vlteriori iam explicatione perſequemur, quaeque ad vnam quamque praedicamentorum claſſem pertinent, ſeorſim illuſtrabimus. Quod primum ad *quantitatis* praedicamenta attinet, eorum ſchema *numerus* eſt; in cuius quidem notione ſucceſſiua ſingulorum ὁμογενῶν, vnius ad vnum, additio comprehenditur. Inuoluit igitur numerus vnitatem ſyntheſeos multiplicium in intuitione, in qua ſyntheſi ſucceſſiua conceptus temporis per apprehenſionem multiplicium intuitionis generatur.

Qualitatis ſchema generale *complementum temporis* eſſe diximus. Sunt autem praedicamenta qualitatis, (vti ſupra notatum eſt,) realitas, negatio, limitatio. Exprimit igitur *realitas* in praedicamento cogitata id quod ſenſationi omnino correſpondet, ſiue cuius conceptus per ſe exiſtentiam (*το ειναι*) inuoluit in tempore: *negatio*, innuit id, per cuius conceptum noneſſe in tempore cogitatur, ſiue omnis exiſtentia in tempore remouetur. Opponuntur igitur ſibi inuicem realitas et negatio, dum idem tempus vel repletum (ſiue in quo ſubſtratum aliquod ſenſationi correſpondens reperiatur) vel inane repraeſentamus. Quoniam vero cuiuslibet ſenſationis gradus ſiue intenſitatis diuerſae cogitantur modificationes, ſecundum

dum quas ſenſatio tempus, i. e. ſenſum internum ad temporis ſeriem ſenſata componentem, aut plus aut minus complet, vsque dum in nihilo (= o, negatione) euaneſcat; ob id ipſum tranſitus aliquis cogitari poteſt a realitate ad negationem, et realitas vt quantum aliquod repraeſentatur, quod tempus complet. Schema igitur realitatis continua eiusdem in tempore productio (ſeu rectius eiusdem ad ſenſum internum applicatio) eſt, quae aut aſcendendo a negatione per gradus ad maximam ſenſationis realis intenſitatem, ſeu deſcendendo a ſenſatione, quae gradum habet aliquem intenſitatis in tempore, vsque ad eiusdem defectum in negatione, cogitatur. Quemadmodum autem limitationis praedicamentum realitatem exprimit per negationem circumſcriptam, (conf. logic. transſc. Pars. I. Lib. I. Cap. II. Sect. altera. §. 5.) ita ſchema limitationis erit complementum temporis cuiusdam definiti, quod in negationem deſinit. --

Praedicamentorum relationis ſchemata inuoluere diximus habitum perceptionum in tempore, ſeu ordinem temporis, ad quem et in quo perceptiones compoſitae ſunt, in ſenſu interno; quod igitur nunc in vno quoque demonſtrandum eſt. Primi relationis praedicamenti, *ſubſtantiae* ſcilicet, ſchema eſt perſiſtentia (continuitas exiſtentiae) realium in tempore, ſeu ea ipſorum repraeſentatio, ſecundum quam vt tempori empirice determinato ſubſtrata remanent, dum accidentia aeterno commutationum fluxu variant. Tempori enim, quod numquam deſinit, phaenomenis ſubſtrata correſpondet ſubſtantia, quae notionem inuoluit conſtantis et perdurabilis exiſtentiae, et in hac reali tantum et perſiſtenti ſubſtantia ſimultaneitas aeque ac ſucceſſio phaenomenorum in tempore determinari poteſt.

Schema *cauſalitatis* in re omnino, eſt ſucceſſio realium in tempore normae neceſſariae adſtricta, ſiue

 poſſi-

positio realis cuiusdam, quo posito semper aliud quoddam ex lege subsequitur. Schema influxus seu *concurrentiae*, i. e. mutuae substantiarum circa ipsorum accidentia caussalitatis est *simultaneitas* legalis determinationum vnius substantiae cum determinationibus alterius in eodem spatio cognoscibilis. Obiecta enim intuibilia, ad quae praedicamenta per schemata eorum referuntur, quatenus per intuitum, qui indiuidualis est repraesentatio, percipiuntur, singularia sunt et indiuidua, eaeque substantiae, quae per schema concurrentiae vt mutuum exercentia influxum repraesentantur, partes sunt constitutiuae in composita vna eademque substantia.

Restat, vt relationem temporis ad obiecta, quae in schematibus propositionum modalium exprimitur, propius consideremus.

Schema possibilitatis sistit congruentiam syntheseos variarum repraesentationum cum conditionibus temporis in genere, quibus talis, quae in possibili cogitatur, coniunctio repugnare non debet; (sic e. g. repugnantia sibi in eadem re non simul sed in successione tantum temporis existere possunt.) Est igitur determinatio obiecti, vt in tempore aliquo cogitabilis.

Schema existentiae est positio obiecti in tempore definito.

Necessitatis denique schema per existentiam in omni tempore determinatur.

§. 5.

Corollaria ex praecedentibus.

Ex praecedentibus in genere efficitur, per schemata iam exposita determinationes intelligi temporis a priori, ad ordinem praedicamentorum ita dispositas, vt tempus secundum successionem, complementum,

mentum, ordinem, et relationem ad obiecta in ipso cogitabilia consideretur.

Elucet quoque schematismum intellectus puri nihil sibi velle aliud, nisi vt multiplicia phaenomenorum ad vnitatem intuitionis in sensu *interno* et sic mediate ad vnitatem apperceptionis transscendentalis (quae vt spontanea intellectus functio sensui interno tanquam facultati passiuae recipiendi correspondet,) reducat. Schemata igitur praedicamentorum solae sunt conditiones, sub quibus horum relatio ad obiecta intuitionis possibilis fit, et sine quibus nullam praedicamentorum significationem concipere possemus. Habent igitur praedicamenta vsum mere experimentalem, qui cernitur in phaenomenis sub leges syntheseos generales comprehendendis, per quas ad nexum continuum, qualem experientia postulat, aptantur.

Omnis igitur cognitio nostra in complexu versatur experientiae possibilis. Quum enim nulla sit praedicamentorum nisi per schemata significatio aut vis ad comparandam cognitionem, schemata autem conditiones sint obiectorum intuibilium sub praedicamenta subsumendorum; inde sequitur, nullam nobis nisi de intuibilibus, i. e. phaenomenis cognitionem sperari posse, et in relatione tantum cognitionum ad istas conditiones experientiae possibilis inueniri veritatem illam transscendentalem, quae quidem empiricam antecedit, eamque primum possibilem reddit, at trans fines experientiae si egrediaris, nulla est, quum auolando ex hisce limitibus intellectus conditione necessaria relationis ad obiecta intuibilia protinus destituitur.

ANALYTICES PROPOSITIONU FUNDAMENTALIUM, SIUE DOCTRIN. TRANSSCEND. FACULTATIS IUDICATIUAE.

CAPUT SECUNDUM, CONTINENS:

Expositionem systematicam omnium intellect puri axiomatum. *)

INTROITUS.

§. 1.

Nexus cum capite praecedenti.

Perpensis iam atque expositis capite superi conditionibus generalibus, sub quibus solis praedic menta ad iudicia synthetica efficienda adhiberi possu iam nunc haec iudicia synthetica ipsa, quae intellect per schematum et ad praedicamenta et ad obiecta perientiae possibilis necessariam relationem constit a priori, sistenda erunt secundum ordinem praedi mentorum. Omnis enim cognitio pura per intellect effi

*) Hunc tractatum cur potius expositionem systematicam, qu *systema* ipsum appellare voluerimus, facile est intellectu. In stemate enim perfecta requiritur principiorum cum corolla seu consequentiis et subdiuisionibus euolutio, quae quidem instituti ratione hic omnino dari non poterat, quum axio tantum ipsa, siue iudicia, quae intellectus ex schematibus experientiam translatis efficit, sistenda nobis propositum si

efficitur, dum praedicamenta ad obiecta experientiae possibilis referimus; quare exponendo, quisnam sit eorum ad sensualitatem in genere habitus, siue quid in obiectis a priori per ipsa cognoscatur, systema aliquod transscendentale omnium intellectus puri axiomatum poterit concinnari.

§. 2.

Propositiones fundamentales a priori haud quidem demonstratione proprie sic dicta egent; at illustrationem desiderant subiectiuam, vt suspicio remoueatur subreptionis.

Propositiones fundamentales a priori non ob id tantum fundamentales compellantur, quod aliis circa obiecta iudiciis fundamento sint, sed etiam quoniam ipsae non in altioribus nec generalioribus cognitionibus fundatae conspiciuntur. Eam ipsam ob caussam haec quoque iudicia synthetica, quae in propositionibus intellectus puri fundamentalibus exprimentur, deductione demonstratiua non egent amplius. Ex legibus enim et conditionibus cognitionis immediate deriuantur.

Quum enim ex superioribus id constet, esse spatium ac tempus *formas* intuitionis a priori, praedicamenta autem *formas* conceptuum, siue conditiones syntheseos, i. e. *formas intuitionum ad cognitionem coniungendarum*, inde nexus sistitur necessarius formarum intuitionis cum formis conceptuum praedicamentis. Hic autem nexus quum exhibeatur in schematibus, exinde obiectiua ipsorum realitas sistitur, et esse ea notas uniuersales et necessarias obiectorum, quatenus cognoscibilia sunt (phaenomena), elucet. Si enim insunt nobis formae cognoscendi necessariae, sub quibus solis cogitationi locus est, necesse est, vt omnis cognitio fiat secundum formas cognoscendi, et omne

cognitum characterem inhaerentem fibi habeat cog
tionis. Quare de obiecto, quatenus cognoscibile
necessarie praedicatur id, fine quo nulla eiusdem
gnitio possibilis foret, et translatio conditionum
gnitionis ad obiecta phaenomena a priori realitat
sibi necessariam vindicat. Propositiones autem fun
mentales, de quibus hic agitur, schemata sunt ad
iecta cognoscibilia, tanquam ipsorum praedicata
iudicio possibili relata; quare superioribus conce
nulla amplius ipsarum nec dari potest nec requiri
demonstratio. Attamen illustratio accedere potest
subiectiua mentis in cognoscendo operatione pe
eaque necessaria est, vt scilicet eluceat, mentem
cognoscendo eadem vere apprehendere, quae a pr
vt obiectorum notae vniuersales indicatae erant,
sumsisse nobis aliquid licentiae videamur in transc
dentalibus principiis constituendis, quibus in vera
gnitione nihil consentaneum reperiatur.

§. 3.

*In tres sectiones transactio nostra dispescitur, quarum
ma de summo iudiciorum analyticorum, altera d
mili syntheticorum principio commentabitur, t
conspectum ipsum propositionum fundamemtaliu
ordinem praedicamentorum redactum praebebit.*

De summo principio iudiciorum analytico
hic tantum ob eiusdem cum syntheticorum princ
comparationem agendum est, vt scilicet inde, in
differant, eluceat, sytheticique principii natura et v
oppositione clarius dignoscatur.

CA

CAPITIS II
Sectio Prior.
De summo iudiciorum analyticorum principio.

§. 1.

Summum iudiciorum analyticorum principium est principium contradictionis, hac formula negatiua exprimendum; entis nulla esse possunt praedicata e diametro opposita, siue: contradicentia sibi, seu determinationes oppositae mutuo se tollentes, in vno praedicari nequeunt.

Continet hoc principium criterium veritatis generale seu vniuersalem omnium iudiciorum possibilium conditionem, „ne iudicium sibi ipsi contradicat:„ quod ubi fit, haec iudicia omnino per se falsa et vana sunt. At negatiuum tantum est, nam in iudicando, quamquam a contradictione interna tibi caueris, tamen errare licet, dum scilicet conceptus modo aliquo connectuntur cum obiecto non congruo, aut determinationes ponuntur in obiecto, quibus coniungendis nulla nec intellectus a priori nec experientiae a posteriori autoritas adest. Quare ad Logicam tantum vniuersalem hoc principium pertinet, contenditur enim de cognitionibus in genere, nulla argumenti ratione habita, eas per contradictionem internam tolli.

§. 2.

Principii contradictionis positiuus quoque vsus est ad verum cognoscendum in iudiciis analyticis.

Quidnam sit discriminis inter iudicia synthetica et analytica, in introductionis §. IV. satis, vt equidem

 opi-

opinor, declaratum eſt. Ad veritatem igitur in iudiciis analyticis, vbi non extra conceptum rei egredimur, ſed euoluendo ea de obiecto praedicamus, quae iam inuoluta in ipſius conceptu cogitabantur, dignoſcendam principium hoc contradictionis idoneum eſt atque ſufficiens. Eius enim, quod iam in conceptu obiecti cogitatur, contrarium, de ipſo certiſſime negari debet, alias enim cognitio ſibimet ipſi contradicens ipſa ſe tolleret. Quod autem ex ipſo conceptu euolutum in praedicato iudicii analytici ſiſtitur, aſſerendum eſt, et pro vero habendum; conceptum enim ponendo omnes ſimul illius determinationes identice poſui; ſi contrarium praedicati in analytico iudicio ponerem, conceptum meum de obiecto omnino tollerem, ponendo aliquid quod ipſum deſtrueret. Quare principium contradictionis pro conditione ſine qua non, et diſciplinari formula ad veritatem diiudicandam, nec non pro ſummo in analyticis iudiciis principio habendum eſt; at nullus eiusdem vſus eſt ad diiudicandam poſitiue veritatem, in iudiciis ſyntheticis, quoniam formam tantum cognitionis, non materiam tangit, ad quam tamen in iudiciis ſyntheticis vnice reſpicitur.

§. 3.

Male principium contradictionis hac formula exprimitur: impoſſibile eſt, vt aliquid ſimul ſit et non ſit.

Synthetici aliquid huic formulae praeter neceſſitatem admixtum eſt (per conceptum ſimultaneitatis,) quod puritatem principii logici, quale eſt principium contradictionis corrumpit, illudque contra eius naturam ad conditiones temporis reſtringit. Obiectum eſſe ſimul et non eſſe nequit, qui dicit, implicite hoc ſibi vult: obiectum A, quod eſt = B, (ſiue determinationem habet B) eodem tempore eſſe nequit

= non

= non B, siue non potest determinari per non B; verum successiue et B et non B esse, siue vtroque modo determinari potest. Vel, si exemplum flagitas in concreto: Homo, qui est ineruditus, eodem tempore esse nequit eruditus, at in successione temporis ex inerudito eruditus fieri potest. Verum haec ad conditionem temporis restrictio euitari et debet, et egregie potest, modo praedicatum ex conceptu obiecti auulsum rursus cum ipso coniungas, ita vt formula superior ita exprimatur: ens A B non est A non B; simulac enim inceperit esse A non B, siue determinationem aliquam τῷ B contrariam acceperit, A B non existit amplius. In concreto: nullus homo ineruditus est eruditus; quo more restrictionem formulae per synthesin admixtam temporis sublatam, logicique principii et puritatem et vniuersalitatem restitutam videmus.

CAPITIS II
Sectio Secunda.
De summo omnium syntheticorum iudiciorum principio.

---

§. 1.

Logicae transscendentalis cardo in hoc potissimum vertitur, vt, quomodo iudicia synthetica possibilia sint, siue secundum quasnam leges a mente perficiantur, explicet.

In logica vniuersali, in qua ad formam tantum, haud ad materiam cognitionis respicitur hanc ipsam ob caussam nihil facit ad possibilitatem iudiciorum syntheticorum explicandam, at transscendentali hoc negotium

um reseruatum est, quae quum in demonstrandis iudiciorum syntheticorum a priori possibilitate, con tionibus et ambitu quo valent, versetur, ante o nia quomodo iudicia synthetica in genere possibilia si satis exploratum habere debet. Antea enim scop suum, qui versatur in constituendis intellectus p limitibus, attingere nequit.

§. 2.

Cognitionum a priori obiectiua realitas nulla potest co tari, nisi sub conditione obiecti dabilis in experien possibili.

In analyticis iudiciis ferendis in conceptu d subsistimus, si assertoria sunt aliquid de obiecto pr dicantes, quod iam in ipsius conceptu cogitabatur, negatiua, contrarias conceptibus nostris determi tiones secundum principium contradictionis exclud tes. Alia autem prorsus est ratio iudiciorum synt ticorum. In hisce enim, extra obiecti concept egressi, alius ad ipsum ponimus relationem, q nec identitatis est, nec contradictionis. Tertium tur aliquod requiritur, in quo synthesis ista contin tur, et ex quo iudiciorum syntheticorum veritas po dignosci. Hoc autem quod quaerimus medium praesentationum coniungendarum sensus internus qui perceptiones sub temporis forma pura compreh sas ad vnitatem apperceptionis reducit. Quod en repraesen·ationes synthetice componuntur, imagi tionis est; quod autem vt in vno obiecto concilia cogitantur, haec earumdem vnitas synthetica, qu spectatur in iudiciis syntheticis, ab vnitate pen apperceptionis, sine qua iusta et legalis experien cogitari nequit. Ab hac igitur apperceptionis vnit possibilitas iudiciorum syntheticorum in genere, a eorum, quae a priori feruntur, repetenda erit;

iect

iectiua autem eorum realitas ab obiecto pendet in experientia dabili.

Cuicunque enim cognitioni obiectiua tribuitur realitas, i. e. certa relatio ad obiectum aliquod, in quo synthesis repraesentationum fundata sit, huic vt obiectum quouis modo detur necesse est: alias enim conceptus inanes sunt, nec cognitio per eosdem sed lusus repraesentationum in imaginatione efficitur. *Dare autem obiectum, nihil aliud sibi vult, quam repraesentationem ipsius ad experientiam aut effectiuam, aut saltem possibilem referre.* Conceptus enim ipsi de tempore et spatio, quantumuis puri sint et a priori menti inhaerentes, tamen significatu omni et obiectiua realitate plane carerent, nisi necessarius eorum vsus in obiectis experientiae demonstrari posset.

Sublata igitur possibilitate obiectorum in experientia exhibendorum nulla cognitionum a priori obiectiua realitas potest cogitari. Ex quibus omnibus summum illud, quod paragrapho subsequenti sistemus, iudiciorum syntheticorum principium deducitur.

§. 3.

Summum iudiciorum syntheticorum principium est: Nulla conceptuum purorum synthesis obiectiuam realitatem habet, nisi quatenus ex ea iudicium oritur experimentale, siue quod in experientia possibili sisti potest. Potest quoque idem principium sed nescio an obscurius sic exprimi: *nihil obiectiue cognoscitur, nisi in quo vnitas synthetica multiplicium intuitionis exhiberi potest in experientia possibili.* Hoc autem principium quo rectius intelligatur, quantum distet experientia a simplici repraesentatione et perceptione, rite perpendendum est.

Ex-

Experientia enim syntheticam requirit phaenomenorum repraesentatorum vnitatem. Synthetica vero haec vnitas efficitur per synthesin secundum conceptus a priori de obiecto phaenomeno in genere, i. e. per praedicamenta. Nisi enim sub hasce cogitationum formas repraesentationes subsumtae inter se connecterentur, tunc non *cognitionem* sed rhapsodicam haberemus perceptionum congeriem, quae interno nexu et principio quasi conciliatore destitutae, numquam ad transscendentalem et necessariam vnitatem apperceptionis redigi possent. Ex quo intelligimus, esse experientiae, quoad formam, principia a priori, praedicamenta scilicet, quae leges generales vnitatis in synthesi phaenomenorum exhibent. Obiectiua igitur istorum realitas in obiectis experientiae, — (etiam possibilis), — quorum cognoscendorum conditiones sunt necessariae, semper demonstrari potest: vltra vero huiusce limites sese extendendo iudicia synthetica praedicamentis meris superstructa vana sunt, quoniam tertio illo, quod requiritur, obiecto, sub forma temporis in sensu interno apperceptio, carent. Quin etiam synthetica ista et prorsus pura iudicia, quae valent in mathematicis nil nisi vanus forent et inanis conceptuum lusus, nisi quae de spatio cogitantur a priori ad phaenomena, quatenus sub forma spatii in intuitione sistuntur, applicari et reali experientia comprobari possent. Veritas igitur (siue congruentia cum obiecto) cernitur in iudiciis syntheticis a priori, quando nihil pronunciant, nisi quod ad syntheticam experientiae vnitatem efficiendam requiritur; vidimus enim de nulla conceptuum purorum ad cognitionem efficiendam synthesi obiectiuam praedicari posse realitatem, nisi quatenus ad empiricam experientiae synthesin referri potest. Cognosci igitur aliquid potest de obiectis a priori in iudicio synthetico, quatenus conditiones, sub quibus experientia vnice fit possibilis, etiam de ipso-

ſorum obiectorum experientiae (per experientiam cognoſcibilium) poſſibilitate valere debent et de hisce tanquam exiſtentiae eorum determinationes a priori praedicantur.

CAPITIS III

SECTIO TERTIA, EXHIBENS

Conſpectum ſyſtematicum omnium intellectus puri propoſitionum fundamentalium.

Praefata de propoſitionibus fundamentalibus earumque diſtributione in genere.

§. 1.

Propoſitiones fundamentales ſemper ab intellectu puro proficiscuntur.

Intellectus enim non ſolum eas, quae ipſi praebentur, intuitiones, ſub regulas ſubſumit a priori, ſed etiam fundamentalia ex ſe ipſo promit, et proprio quaſi Marte conſtruit principia, quibus omnia, quae vt obiecta apparere nobis *poſſunt*, congrua eſſe *debent* a priori, quoniam alias nobis nec apparere nec eorum, quae fiunt, intuitiones in cognitionem conuerti poſſent. Leges quoque omnes naturae ſub altioribus intellectus principiis comprehenduntur; quorum applicationem ad diuerſas phaenomenorum ſpecies, in legibus ſpecialibus expreſſam, exhibemus. Haec igitur intellectus principia clauem quaſi exprimunt ſeu conditionem generalem legum particularium; experientia autem ſingulos exhibet caſus, ſub legem, et ita mediate ſub principia intellectus puri ſubſumendos.

Ne

Ne autem in hac propositionum fundamentali
expositione propositiones empiricae pro puris,
quae purae sunt pro empiricis habeantur, per vniu
salitatis absolutae et necessitatis notam puris inhaer
tem, in empiricis (quippe quae comparatiue tant
pro vniuersalibus haberi possunt) numquam reperi
dam, facile cauebitur.

§. 2.

*Ab hoc propositionum intellectus puri fundamentalium c
spectu excludimus principia ea, quae non intelle
ipso, sed intuitionibus puris superstructa sunt per
tellectum. Conspectus igitur noster ad tabulam pr
dicamentorum vnice restringetur.*

Ex vniuersa instituti nostri ratione quilibet pau
attentior facile comprehendet, nec principia Aesth
ces transscendentalis circa spatium et tempus, (siue
iectorum quoad phaenomenon cognoscendorum f
mas,) nec mathematicorum axiomata ab hisce for
intuitionum per intellectum elicita, ad argumentu
cui pertractando accingimur, pertinere.

At propositiones fundamentales, ex quibus ax
matum istorum et possibilitas et realitas obiectiua p
det a priori; quae igitur vt horum axiomatum prii
pia generatiua considerari debent, omnino in sub
quenti tractatione persequendae erunt.

§. 3.

*Quum propositiones fundamentales schemata contine
praedicamentorum ad obiecta experientiae in concr
applicata;* (conf. huiusce cap. Introit. §. 2.)
*time secundum ordinem tabulae praedicamentorum
poni poterunt.*

P

Propositiones fundamentales:

1) quoad *quantitatem*
Axiomata intuitionis

2) quoad *qualitatem*
Anticipationes perceptionis

3) quoad *relationem*
Leges experientiae congruentis (αναλογίαι ἐμπειρίας)

4) quoad *modalitatem*.
Postulata cogitationis empiricae

appellabimus. Quae si vocabula lectori absona videri possint, atque duritiei nimis elegantiae parum inuoluentia, ignoscat, et elegantiam breuitati duritiem ponderi condonet. Ad vnum quodque genus, cur ipsi hanc potius denominationem imposuerimus, ratio reddetur infra.

§. 4.

Propositiones fundamentales vel mathematicae sunt, vel dynamicae.

Mathematicas eas diximus propositiones, quae praedicamentis quantitatis et qualitatis superstructae sunt, quasque *axiomata intuitionis* et *perceptionum anticipationes* appellauimus. Hae propositiones mathematicae vniuersales continent intuitionis in genere conditiones, quae ante omnem experientiam absolutae sunt necessitatis; et absque quibus nulla omnino phaenomena possibilia sunt. Apodictice igitur i. e. nulla necessitatis conditione restrictiua adiuncta exprimuntur, et ex iis omnis mathematica scientia certitudinem suam intuitiuam et necessitatis euidentiam repetit. Alterum genus est propositionum dynamicarum, ad existentiam phaenomenorum relatum. Hae igitur propositiones,

e praedicamentis relationis et modalitatis elicitae,
conditionem *existentiae* obiecti intuitionum possibiliu
restrictae sunt; necessitas igitur a priori, quae ipsis i
haeret, non apodictica ista sed indirecta erit et con
tionata, quamquam certitudo ipsarum ad experie
tiam datam relatarum nihil ex hac conditione de
menti capiat.

In duas igitur ex huiusce diuisionis ratione par
tractatus noster de propositionibus fundamentalib
distribuendus erit, ita vt apotome prima proposition
mathematicas, altera dynamicas exponamus.

SECTIONIS TERTIAE

APOTOME PRIMA.

Propositiones intellectus puri fundamentales ma-thematicae.

a) *Axiomata intuitionis.*

§. 1.

Commune omnium axiomatum intuitionis principium
est: omne phaenomenon, tanquam intuitionis possib
obiectum, quantum est extensiuum.

Quantum autem extensiuum illud appellamus,
quo repraesentatio totius non nisi per repraesenta
nem partium fieri potest, quae igitur repraesenta
nem totius necessarie praecedit. Nullam enim line
quantumuis exiguam repraesentare possumus, qu
non in imaginatione *ducamus*, ab vno puncto om
ipsius partes sensim generando, sicque totam int
tionem successiue apprehendendo. Eadem pror
est ratio temporis etiam breuissimi apprehende

Se

Semper enim ſucceſſiuum ab vno ad alterum momentum progreſſum cogitantes, ex additione partium temporis quantum aliquod definitum temporis generamus. In vno quoque autem phaenomeno id reale, quod ſenſationi correſpondet, ab eo diſtinguitur, quod ab intuitionis forma, menti, non obiecto, inhaerente accedit, et per quod vnice reale illud in phaenomeno ſiſti apprehendique poteſt. Id igitur quod merae eſt intuitionis in phaenomeno vel ſpatium eſt, vel tempus; haec autem ambo quum ſint quanta extenſiua in repraeſentatione, inde efficitur: phaenomena, quatenus obiecta ſunt intuitionis, in iſtis tantum repraeſentabilia, etiam quanta eſſe debere extenſiua i. e. talia, quae tantum per ſucceſſiuam partium ſyntheſin in apprehenſione percipi poſſint. Succeſſiua autem haec ſyntheſis temporis inuoluit generationem, quam quidem ſchema eſſe diximus quantitatis. (Analyt. transſc. Lib. II. Cap. I. §. 4.) Illud igitur, quod diximus, omnia nimirum phaenomena quoad intuitionem quanta eſſe extenſiua, nihil aliud ſibi vult, quam omnia obiecta intuitionis ita eſſe comparata, vt in iſtorum apprehenſione per ſyntheſin ſucceſſiuam partium tempus generetur. Schema igitur quantitatis in hoc principio vt obiectorum intuibilium praedicatum commune expreſſum eſt, (cf. Analyt. transſc. Lib. II. Cap. II. Introit. §. 2.) ſub quo phaenomena non niſi per generationem temporis eiusque momentorum definitam aliquam additionem (numerum) ſubſumi poſſunt.

§. 2.

Ab hoc principio deriuata axiomata geometrica circa quantum datum a formulis arithmeticis, quae ad determinandam quantitatem pertinent, accurate diſtinguenda ſint.

Haec successiua, quam §. superiori descripsim synthesis, in formis puris in spatio generandis c spicua, basis est matheseos, quatenus de exporre agit, siue geometricae scientiae. Omnia igitur i deriuanda sunt axiomata geometrica, quippe in qui conditiones intuitionis sensitiuae a priori exprimun sub quibus solis schemata conceptuum sensitiuoru priori (Analyt. transsc. Lib. II. Cap. I. §. 3.) ci phaenomena externa formari possunt. Eiusmodi tem axiomata sunt: v. c.

Inter dua puncta vna tantum linea recta duci p est; duae lineae rectae nullum includunt spatium; neae parallelae, in infinitum quamuis porrectae, n lo tamen puncto se tangunt. Haec sunt axioma quae ad *quanta*, vt talia i. e. positiue definita dataq spectant. Alia autem circa quanta superest quaes vbi scilicet quantum, non quale datum est conside tur, sed quam magnum illud sit (siue de quantit eiusdem) anquiritur. Hanc circa quaestionem mu exstant pronunciata synthetica, et per se certa at indemonstrabilia, quae tamen pro axiomatibus prop sic dictis haberi omnino nequeunt; multa quoque a lytica, quae falso pro syntheticis (sicut synthetica pro analyticis) habita sunt. Aequalia aequalibus dita, aut ab ipsis detracta, aequalia vel reddere relinquere, dimidium toto minus totum dimidio n ius esse, analytice ex ipsis conceptibus euoluitur, q re haec placita axiomatum nomine iure destituunt Axiomata enim sunt propositiones syntheticae a pric vniuersalitatem applicationis in constructione intuit inuoluentes.

Dantur autem quoad quantitatem syntheti quoque propositiones a priori, quas falso hucusq magna pars mathematicorum pro analyticis habu v. c. propositiones euidentes circa numerorum ha tum et proportionem internam, in quibus autem v

u

uerſalitas iſta, quam diximus, deſideratur, quare non axiomata propria, ſed formulae arithmeticae appellari debent. Sic e. g. vti ſupra (Introductionis §. VI.) monuimus, ſeptem additis quinque duodecim efficere, (7 + 5 = 12) ſyntheticum eſt pronunciatum, at axioma vocari nequit, quoniam ſyntheſis iſta, ſecundum quam homogena ſibi (vnitates ſcilicet) ad efficiendum numerum duodecim componimus, vno tantum more per additionem ſcilicet, fieri poteſt. Ex oppoſitione axiomatis geometrici clarius fortaſſis elucebit, talem propoſitionem, quantumuis per ſe certam tamen axioma non poſſe vocari.

Geometra, quando ex tribus lineis, quarum duae compoſitae tertia maiorem efficiunt, triangulum deſcribi poſſe affirmat, axioma enunciat. Dum autem ita functionem exprimit imaginationis productiuae, arbitrium ipſi relinquit in eligenda linearum vel longitudine vel breuitate modoque contiguitatis pro arbitrio definiendo. Licet enim vel acutioribus vel obtuſis angulis ſeſe contingant, nihilo tamen minus in omni poſſibili conſtructione axioma valet. At numerus, tam ſeptenarius quam quinionis, et duodenum ex amborum ſyntheſi conflatum, vnica tantum ratione efficiuntur, per ſucceſſiuam ſcilicet ſingulorum additionem. Quare haec et eiusmodi pronunciata non axiomata ſed formulae arithmeticae appellari debent.

§. 3.

Matheſeôs purae obiectiua realitas ab hoc principio repetenda eſt.

Quod autem ad ambitum principii paragrapho prima expoſiti ſpectat, egregie per illius vſum cognitio noſtra a priori amplificatur. Eius enim ope omnis pura matheſis ad obiecta experientiae applicari poteſt. Obiecta enim experientiae phaenomena ſunt, non res

 per

per se; phaenomena autem nullo alio modo int
possumus, nisi secundum formas a priori menti nos
inhaerentes; siue empirica intuitio non nisi per pu
spatii ac temporis intuitionem possibilis est. Quod
tur de intuitione pura in geometricis definitur, et
de obiectis intuitionis empiricae sub ista sola comp
hensibilibus valere debet. Nec spatium nec tem
nisi per successiuam singulorum momentorum ac p
tium synthesin apprehenduntur; omnia igitur, qua
in spatio et tempore posita percipiuntur, ita deb
esse comparata, vt totius apprehensio per singulor
synthesin primum fiat possibilis, i. e. extensa esse
bent, alias enim nobis in intuitione dari non poss
Simul omnia per hanc theoriam concidunt subterfu
quibus sceptici pridem Matheseos purae realitatem
iectiuam voluerunt euertere, rem externam haud
cessarie commentis ac ratiociniis intellectus hum
congruam esse, prae se ferentes. Haud enim res
se, quas non cognoscimus, sed rerum phaenom
legibus subiicimus a priori, secundum quas solas
percipi in intuitione et ab intellectu ad vnitatem c
nitionis efficiendam componi possunt.

b) *De anticipationibus apperceptionis.*

§. 4.

Commune, ex quo deriuantur anticipationes appercept nis, principium est: in omni phaenomeno reale quod sensationem excitat, (siue obiectum est sen tionis) *quantitatem habet intensiuam siue grad* (Conf. Aesth. transsc. Prooem. §. 2.)

Haud insueto atque inaudito prorsus vocabulo
propositiones fundamentales e schemate qualitatis,
obiecta, quorum praedicatum est a priori, relato,
citas, anticipationes appellamus perceptionis. Id
en

enim inuoluit anticipatio quod Graecorum πρόληψις, qua in genere id designabant, quod de obiecto cognitionis, ceteroquin empiricae, a priori cognosci atque determinari potest. Quam quidem πρόληψιν improbans Baco Verulamius, anticipationem eam vocat naturae (Nov. Organ. Lib. I. Aph. 26.) remque temerariam dicit esse et praematuram. Et iure quidem sic philosophus acutissimi sane ingenii; de rebus enim per se, quas ille spectabat, discrimine inter obiecta per se et eorum lem phaenomena nondum posito, nec iudicare aliquid nec anticipare licet omnino. Si vero est aliquid, quod de reali, seu materia phaenomeni, quae sensatione percipitur, cognosci posset a priori (nulla adhuc sensatione indiuidua data), hanc, inquam, cognitionem iure *anticipationem* aliquam perceptionis vocare videmur.

De hoc autem reali, quod subiectiuam in nobis excitat sensationem, quae de subiecto nostro aliquo modo affecto certiores nos facit, et ad obiectum aliquod refertur, id dicimus iudicari posse a priori, quod quantitatem habeat intensiuam. Realitas enim in praedicamento primo qualitatis expressa cogitari nequit, nisi per schema complementi temporis, i. e. per successiuam realis ad sensum internum applicationem, dum scilicet ab ea qua sensum afficit vi incipientes, in tempore vsque ad sensationis defectum = o siue negationem per gradus progredimur. Quodcunque igitur sub praedicamento realitatis comprehensibile, i. e. omne reale, per synthesin completiuam temporis in sensatione percipi, i. e. successiuo in sensu interno progressu exhiberi debet. Hanc autem progressiuam obiecti sensationis in tempore exhibitionem, quae quoad durationem varia est, vel longior vel breuior, *gradum* appellamus *intensitatis*, quem omni reali necessarie tribuendum esse per se patet. Hoc igitur iudicio synthetico iterum intelligimus nihil aliud exprimi

 quam,

quam schema praedicamentorum qualitatis ad obie
sub ipsis comprehensibilia vi praedicati applicat
(Conf. Analyt. transsc. Lib. II. Cap. II. Introitus. §.
Hoc autem, quod ita posuimus anticipationum p
ceptionis principium, quo probius intelligatur, q
intersit inter quantum extensiuum et intensiuum,
est definiendum. Quantum extensiuum id esse d
mus, in quo totum non nisi per partium synthesin
cessarie praeuiam repraesentari potest. (Conf. Apot
I. §. 1.) In quantitate igitur extensiua repraesent
fit per pluralitatem, ex qua successiue vnitas to
colligitur.

Quantum autem intensiuum illud appellan
quod vt *vnum* simpliciter apprehenditur, et in quo p
ralitas non nisi per declinationem sensationis ad de
tum (= 0) — repraesentari potest. Apprehensio
tem realis per sensationem vnum tantum complet
mentum; nulla enim in hac apprehensione synth
cernitur successiua a partibus ad repraesentationem
tius progrediens. Aut enim adest sensatio, aut n
si prius, temporis adest complementum, sin poste
negatio cernitur = 0, et momentum, si quidem
quod cogitamus temporis, inane foret et vacuum.
quo efficitur reali, qua obiecto sensationis, non tr
posse quantitatem extensiuam. At quum sensatio
minui possit ita vt postremum in negationem des
inde sequitur, inter realitatem phaenomeni per se
tionem percepti eiusque negationem, siue inter e
ricam apperceptionem (quam perceptionem dicin
perceptio enim est conscientia empirica, i. e. sens
nem continens) et puram (in qua nihil amplius e
rice perceptum superest, sed necessaria tantum et
malis restat multiplicium in spatio et tempore ap
ceptio) continuam dari seriem sensationum inte
diarum, quarum distantia a negatione mera sen
decrescit, et negationi propior et illa minor fit, di

tia, quae inter ſenſationem datam et negationem fuerat, vsque dum omnis ſenſatio in negationem abeat. Quaeuis igitur ſenſatio gradus habet non in apprehenſione, quae vnius eſt momenti, ſed in progreſſiua ad negationem declinatione. *Reale* autem *phaenomenon* ſiue obiectum perceptionis, non niſi per ſenſationem, cui correſpondet, percipi poteſt. Quatenus igitur reale in ſenſatione vt vnitas quanti apprehenditur, in quo pluralitas partium tantum per declinationem ad defectum, in quo euaneſcit, repraeſentari poteſt, hac, inquam, ratione quantitatem ipſi tribuimus intenſiuam ſiue quantum illud eſſe intenſiuum aſſerimus.

Omnis igitur ſenſatio, ſimulque id, quod per ſenſationem vnice percipitur reale phaenomenon, gradum habet ſiue quantitatem intenſiuam; interque realitatem et negationem continuus eſt realitatum, et ob id perceptionum quoque intenſiue minorum, progreſſus. Sic omnis color ſeu rubrum velis ſeu luteum gradum habet, qui quam exiguus ſit, tamen numquam pro minimo poteſt haberi. Eadem eſt ratio caloris, grauitatis etc. quorum nullum unquam momentum minimum vocari poteſt.

§. 5.

Omnia phaenomena, quatenus vel extenſiua ſunt quoad intuitionem, (§. 1.) *vel intenſiua quoad perceptionem,* (§. 4.) *quanta ſunt continua: (ſiue, nec datur ſaltus, nec hiatus in rerum natura* i. e. mundo vt phaenomenorum complexu.)

Continuitatem quantorum id appellamus ipſorum attributum, ſecundum quod nulla eorum pars minima, i. e. mere ſimplex eſſe poteſt. Spatium autem et tempus eiusmodi quanta ſunt continua; nulla enim ipſorum,

rum, ne minima quidem, pars dari poteſt, quam non limitibus (vel punctis, vel momentis) incluſam atque circumſcriptam cogitare debeas, ita vt haec pars ipſa vel ſpatium ſit aliquod vel tempus, quod iterum arctioribus limitibus circumſcribi, i. e. diuidi poſſit. (cf. Aeſt. transſcendental.) Igitur ſpatium e ſpatiis, tempus e temporibus conſiſtit. Concidit ergo ſimul illorum obiectio, qui ſimplices exiſtere ſpatii ſeu temporis partes, puncta ſcilicet et momenta aſſeuerantes, ſcepticis exoptatam concutiendorum omnis matheſeos fundamentorum opportunitatem dedere. Omnis enim inprimis Sexti Empirici aduerſus Mathematicos diſputatio (conf. Sexti Empir. Αντιρρησεων προς Μαθηματικους lib. III. προς Γεωμετρας) exinde orta eſt, nec niſi rectius de ſpatio et tempore ſentiendo refelli poteſt. Sunt autem et puncta et momenta non partes quaedam conſtitutiuae ſpatii vel temporis, ſed termini ipſorum ſeu *loca limitationis* ab imaginatione productiua inſtituta. Loca autem limitationis, fines phaenomenorum conſtituentia, iam ipſam, quam circumſcribere cogitantur intuitionem, vt datam ſupponunt, nec ex locis ſimplicibus vllum nec ſpatium nec tempus componi poteſt. Omnia igitur phaenomena, quae quoad intuitionem in ſpatio, extenſiua, quoad perceptionem in tempore (i. e. ſenſationem in conſcientia empirica apprehenſam) intenſiua eſſe intelleximus, quanta eſſe continua patet; quum enim et ſpatium et tempus continua ſint, id quod non niſi in ſpatio et tempore exhiberi poteſt, cuiusque intuitio per ea ſola ſit poſſibilis, continuum vt ſit efficitur. Cauendum autem eſt, ne quantum ſimplex vnius eiusdemque phaenomeni cum aggregato confundas quantorum complurium. Quando enim ſyntheſis multiplicium interrupta eſt, ac denuo repetitur, tunc non vnius eiusdemque quanti exprimitur continuitas, ſed aggregatum exiſtit phaenomenorum complurium, quorum

quo-

quodque continuum partium conſtitutiuarum fluxum continet.

Sic, vt vno exemplo quanti vnius continui ab aggregato complurium differentia oſtendatur, quinque ponamus imperialium ſummam. Huiusce ſummae ambigua eſt ſignificatio. Monetam enim vnam auream (Ludouicum vocant aureum) deſignare poteſt, quinque imperialium ſummam aequipollentem. Hac ratione ſi intelligis, quantum exprimitur vnum continuum, cuius nulla vnquam minima pars eſt; quaeuis enim eiusdem portio monetam efficere poſſet, quae iterum minorum materiam contineret excudendarum. Sin autem ſub iſta denominatione quinque intelligimus imperiales, quemlibet argento excuſum, inde non *quantum* efficitur imperialium ſed *aggregatum*; non enim per continuam efficitur multipliciumi ſyntheſin, ſed per interruptam et ab integro ſemper repetitam, ex qua non quantum ſed numerus exiſtit imperialium aggregatorum.

§. 6.

Vſus principii anticipationis perceptionum inprimis in refutandis conſequentiis erroneis cernitur, quae ſine eo plerumque e perceptionibus deduci ſolent.

Primo quidem adſpectu praeſumendum eſſet, poſitiuum ex hoc principio ſtatim theorema deduci poſſe circa commutationum in phaenomenis continuitatem. Si enim phaenomena omnia, ſeu extenſiue ſeu intenſiue conſiderata, quanta ſunt continua, exinde ſtatim conſequi videtur, etiam commutationes (ſiue rerum ab vno ſtatu in alterum transgreſſiones) continuas eſſe debere, vti ſi quis lapide in aquam coniecto orbes excitat, continuo quaſi progreſſu ſuper omnem eius ſuperficiem ſeſe extendentes. At quum omnis in rebus

mutatio causam supponat, possibilitas autem causa
vt talis quae statum rei alicuius commutare, i. e. op
positum dato statum producere valeat extra philoso
phiae transscendentalis limites posita sit, et ab expe
rientia repetenda; propterea hic, vbi solum de con
ceptibus puris, experientiam possibilem praecedenti
bus, agendum est, illa quaestio dimitti, et ad scientian
vniuersalem naturae, quae fundamentalibus proposi
tionibus empiricis superstructa est, ablegari debet.

Ad illum igitur nos vsum, cuius in inscription
paragraphi mentio facta est, conuertamus.

Hoc primum omnium de perceptione, et exind
quoque de experientia illi superstructa anticipare lice
si omnis realitas perceptibilis gradum habet, a quo a
negationem = o infinita pertinet graduum semper mi
norum series, nullam vnquam dari posse experien
tiam, quae absolutum omnis realis in phaenomen
defectum, seu directe seu indirecte, probaret, i. e
argumentis ab experientia petitis nullum vnquam ne
spatium nec tempus vacuum probari posse; id quo
tamen alias saepissime tentatum fuit. Absolutus enin
omnis realis in intuitione sensuali defectus nec ipse pe
cipi, nec ex vllo phaenomeno, aut ex differentia gr
duum realitatis deduci potest. Nam etiam si vel spa
tium quodlibet definitum, vel tempus omnimode rea
liter determinatum est, ita vt nulla ipsorum pars va
cua sit; nihilo tamen minus, quoniam vnicuique rea
litati suus inhaeret gradus intensitatis, qui sub eaden
magnitudine extensiua phaenomeni per infinitam de
clinationum seriem comminui potest, infiniti dantu
gradus complementi vel spatii vel temporis, et inten
siua variorum phaenomenorum quantitas valde differr
potest, quamquam quantitas extensiua vna sit eadem
que. Ex quibus efficitur, differentias semper cogitan
das esse realium in spatio exhibitorum, quantitate eo
rum

rum extenſiua quantumuis parili. Errant igitur maxima pars phyſicorum ſiue philoſophorum naturae, quando differentias quantitatis in phaenomenis ſub aequali extenſionis volumine non niſi per eiusdem voluminis vacuitatem explicari poſſe docent. Satis quidem conſtat, per pondus et reſiſtentiam partium contra aliae materiae, in materiis diuerſi generis, e. g. plumbo et creta, ingentem inveniri quantitatis differentiam ſub aequali ceterum magnitudine extenſionis ſiue volumine, ex quo vnanimi fere conſenſu concluderunt, „hoc volumen in omnibus phaenomenis vacuum eſſe „debere. Nam ſi non vacuum, repletum foret, ſin „repletum, tunc in extenſis vnius eiusdemque volu„minis nulla quantitatis diuerſitas reperiretur, nec ſi „quantitatis adeſſet diuerſitas, haec quanta diuerſa ſub „vno eodemque volumine poſſent comprehendi.„ Hoc vero modo vacuum ſpatii ſiue defectum realitatis in phaenomeno, ad explicandam naturam neceſſarie praeſumi debere ſeſe demonſtraſſe putabant. At non videbant ſic colligentes phyſici, hocce eorum ratiocinium non ex vera naturae interpretatione ſed e metaphyſica hypotheſi nondum demonſtrata nec vnquam demonſtrabili petitum eſſe, ex hac ſcilicet, ſecundum quam reale in ſpatio vbiuis idem eſſe, et vnice ſecundum quantitatem extenſionis, i. e. copiam diſcerni poſſe contenditur; quae quidem hypotheſis omni experientiae fundamento plane deſtituta eſt. Secundum intenſitatis autem quos expoſuimus gradus, hanc quantitatis materiarum ſub eodem volumine diuerſitatem explicare licet; ita vt, quamquam explicationi noſtrae non pondus certitudinis tribuere poſſimus, hoc ſaltem pateat, non neceſſarie iſtam de ſpatiis vacuis hypotheſin recipi debere, ſed alio quoque diuerſitatem iſtam more poſſe explicari. Quo quidem noſtro conſilio libertas in iudicando menti humanae vindicatur, et metaphyſica iſta hypotheſis, omnia realia phaenomeni eſſe aequalia,

lia quoad gradum, nec nisi quoad extensionem discernibilia, ab hoc, in quod subrepserat, legis naturalis a priori fastigio reuocatur. Vidimus enim, si duo spatia aequaliter in omnibus partibus diuersis materiis repleta sint, ita vt in neutro punctum sit, quod non hac materia penetretur, tamen vnum quodque reale huiusce qualitatis aliquem haberet gradum in pondere aut resistentia conspicuum, qui in infinitum comminui potest, antequam in negationem desinat, nihil ob id magnitudine extensiua seu copia deminuta. Sic e. g. reale id quod spatium complet in calore vel odore, seu quaeuis alia realitas in phaenomeno quoad gradus decrescere potest in infinitum, et tamen deminutis hisce intensitatis gradibus, spatii etiam minutissimam particulam haud minus replebit, quam aliud phaenomenon per gradus intensitatis fortiores. Ex quo efficitur, per diuersitatem graduum intensitatis, differentiam quantitatis materiae sub eodem volumine naturali methodo explicari; aliamque, praeter eam, quae vacua accipit spatia, explicationis methodum dari, nec non illam, quae huiusce explicationis originem continet, hypothesin metaphysicam, secundum quam omnia realia quoad gradum aequalia esse asseritur, plane concidere.

Ne vero aliquis nos in hac anticipatione apperceptionis aliquid a priori synthetice pronunciare putet, quod tamen vnice ab experientia deriuari possit, pauca adhuc ad obiectionem remouendam adiicienda sunt. Qualis sit siue cuius modi sensatio, a priori omnino repraesentari non potest, quare omnia quae ad colorem, saporem etc. pertinent, mere empirica sunt. At in reali, quod sensationi correspondet in genere, et negationi (= o) oppositum est, nihil praedicatur nisi conceptus existentiae omnino, et si reale aliquid ponimus, synthesin innuimus fieri in apperceptione empirica. In sensu autem interno apperceptio empirica

rica a negatione ad gradum quemlibet maiorem perduci poteſt, ita vt e. g. ſuperficies extenſi illuminata vna eademque, nunc ſimplicem, nunc ter quaterque fortiorem, et aequalem lumini quatuor eiusdem magnitudinis ſuperficierum effectum producat.

Videmus igitur in gradibus intenſionis ab omni, quae per intuitionem repraeſentatur, extenſionis exporrectione (quantitate extenſiua) prorſus abſtrahi, et gradus ſenſationis in vno eodemque apprehenſionis momento varios cogitari poſſe. Sic omnes quidem ſenſationes, qua tales, dantur a poſteriori; illud autem ipſorum attributum, quod gradum habeant, a priori cognoſci poteſt.

SECTIONIS TERTIAE

APOTOME SECUNDA.

Propoſitiones intellectus puri fundamentales dynamicae.

a) *Leges experientiae congruentis, ſiue propoſitiones fundamentales quoad relationem.*

Summum, a quo propoſitiones fundamentales quoad relationem deriuantur, principium hoc eſt:

§. 1.

Omnia phaenomena ſecundum exiſtentiam ſub legibus nexus ipſorum interni mutuique in tempore comprehenduntur; ex quo efficitur, nullam experientiam poſſibilem eſſe, niſi quae reſultat, dum phaenomena vt neceſſario connexa in tempore repraeſentantur.

Qua in re differant propoſitiones fundamentales mathematicae a dynamicis, in praefatione ad hanc, cu-

cuius in secunda apotome versamur, sectionem (§ eiusdem 4ta) indicauimus. Propositiones videlicet eae, quas mathematicas diximus, ad phaenomenorum in experientia exhibendorum *possibilitatem* (i. e. conditiones sub quibus solis phaenomenon exhiberi possit) spectant; dynamicae autem, de quibus nunc agetur, phaenomenorum *exsistentiam* sub legibus experientiam a priori determinantibus comprehendendam respiciunt; quare non vt mathematicae propositiones constitutiuum sed mere regulatiuum siue normalem vsum praestare possunt. Harum propositionum duo sunt genera, duplici praedicamentorum dynamicorum (conf. Analytices transscend. Lib. I. Cap. II. Sect. alter. §. 4.) generi superstructa; propositiones scilicet fundamentales, quoad relationem et quoad modalitatem. Primum genus leges appellamus experientiae congruentis. Non enim quid et quomodo percipi possit, sed quomodo obiecta perceptionis, phaenomena, nexu temporis necessario ad vnitatem experientiae reduci possint, id vnice definiunt. Experientiae autem, quippe quae cognitio empirica est, obiecta secundum perceptiones determinans, concentus necessarie praesumitur cum legibus nexus interni phaenomenorum in tempore, secundum quas solas vnitas efficitur cognitionis, sine qua seriem tantum inconcinnam et inutilem haberemus perceptionum nullo inter se vinculo coaptatarum. Vinculum igitur illud quod quaerimus in interno phaenomenorum in tempore nexu, i. e. necessaria eorumdem secundum relationes temporis in sensu interno positione cernitur, qualem in titulo paragraphi iudicauimus.

Superstructae sunt, vti diximus, hae experientiae congruentis leges praedicamentis relationis: igitur per ipsas horum praedicamentorum applicatio effici debet ad obiecta experientiae phaenomena. Praedicament

au

autem, vti vidimus, a priori per schemata ipsorum ad obiecta experientiae referuntur. Schemata igitur praedicamentorum relationis in hisce propositionibus vt obiectorum sub conditione existentiae exhibitorum praedicata a priori enuntiari debent.

Schema relationis in genere esse diximus habitum perceptionum in tempore, seu ordinem temporis, ad quem perceptiones compositae sint in sensu interno. Ex hoc igitur schemate summam experientiae, quam posuimus, legem, quae necessarium de phaenomenis nexum in tempore, tanquam omnis experientiae conditionem a priori praedicat, rite effici neminem potest latere.

§. 2.

Illustratur lex nostra fundamentalis (§. 1. expressa) *per explicationem differentiae inter apprehensionem simplicem et experientiam obtinentis.*

Apprehensio simplex appositionem tantum inuoluit siue synthesin multiplicium intuitionis empiricae, verum in ipsa nulla repraesentatur necessaria phaenomenorum quoad existentiam in spatio et tempore connexio. Perceptiones igitur, ex quibus experientia efficitur in simplici apprehensione, fortuito congregantur, ita vt ex ipsis per se nulla cognoscatur obiectiua necessitas, secundum quam connecti debeant. Experientia autem synthesin inuoluit perceptionum, per quam multiplicia in ipsis ad vnitatem apperceptionis reducuntur. In experientia igitur perceptiones connectimus, non quemadmodum ipsarum relationes fortuito in tempore apprehenduntur, sed quemadmodum obiectiue in tempore esse debent. Tempus autem ipsum quum obiectiue percipi non queat, sed menti inhaereat a priori; inde sequitur, obiectiuam phaenomenorum (vt obiectorum perceptionis) quoad existen-

tiam

tiam determinationem tantum per conceptus conne ctiuos a priori effici posse, dum scilicet sub tempori relationes a priori in schematibus expressas subsumun tur. Quum autem hi conceptus, quos connectiuo diximus a priori, semper necessitatem inuoluant, in de sequitur, experientiam tantum possibilem esse pe repraesentationem nexus perceptionum necessarii.

Commune igitur omnium experientiae congru entis legum principium ad comprehendenda specta percepta empirica in necessaria apperceptionis vnitate Omnia enim, vti supra exposuimus, (conf. Log transsc. Lib. 1. Cap. 3. Sect. 2. §. 3 — 6. exol.) qua ad *nostram* cognitionem pertinere aut obiecta cogni tionis *nostrae* fieri possunt, sub vnitate transscendenta li conciliari i. e. in apperceptione originaria *secundu relationes temporis* connecti debent. Apperceptio enim synthetica vnitatem poscit cognoscibilium qua tenus in sensu interno ponuntur, cuius forma appre hensionis in relatione consistit omnium in perception empirica datorum secundum tempus. Quatenus ig tur omnia perceptionum obiecta phaenomena sub le gibus relationis ipsarum in tempore stant, a priori de terminatis, inde emergit, tot esse debere leges re lationum in tempore determinandarum, quod mod existant temporis omnino.

§. 3.

Quum multiplicia phaenomenorum coniungi et ad vnita tem redigi debeant in sensu interno; (i. e. quoad re lationem temporis,) sequitur inde, tres fore lege relationis temporalis determinandae, legem persisten tiae, successionis et simultaneitatis. Hi enim tre modi dantur temporis, quos supra vt schemata prae dicamentorum relationis exposuimus.

Vid

Videmus iterum, quemadmodum in principio fundamentali omnis in genere relationis schema expressum erat relationis de obiectis dynamice siue quoad existentiam ipsorum praedicatum, ita et in singulis hisce legibus nil praeter schematum relationis singulorum applicationem ad obiecta, quorum existentia phaenomenon data est, posse contineri. Concessis igitur schematibus, hae quoque propositiones concedendae erunt. Iam igitur ad ipsas secundum praedicamentorum relationis ordinem exponendas progrediamus.

§. 4.

1) *Lex prima experientiae congruentis de substantia persistenti haec est: in omnibus phaenomenis discernimus persistens siue substantiam, cuius quantum in natura nec augetur, nec comminuitur, et permutabile, (accidentiam) vt huiusce substantiae determinationem seu modum existendi.*

In praedicamento substantiae substratum ponimus omnium realium, (i. e. eorum, quae ad existentiam rerum pertinent) in quo omnes existentium modificationes vt positae cogitantur et determinatae. Talis autem substantia, in qua vna eademque omnes existentium modificationes positae conspiciuntur, non nisi sub repraesentatione continuae in tempore existentiae i. e. durabilis persistentiae cogitari potest, in qua *accidentia* seu *modificationes existentiae* sibi inuicem succedunt aeterno commutationum fluxu, ipsa nihil commutata. *Substantia igitur phaenomenon nihil aliud innuit, nisi determinationum temporis perdurabile substratum.* Hic igitur substantiae conceptus, per schema transscendentale persistentiae, seu continuae realium in tempore existentiae, ad obiecta experientiae relatus,

tus, in nostra quam posuimus propositione funda-
mentali exprimitur.

§. 5.

*In persistentia conceptum temporis, ut existentiae omni-
um phaenomenorum inuariabile correlatum,* (i. e.
existentiam immutabiliter concomitantem) *cogi-
tamus:* et *relationes temporis quoad simultaneitate-
et successionem non nisi in persistenti* (substantia) *co-
gitari possunt.*

Omnia phaenomena apprehenduntur in tempo-
re, in quo solo (quatenus forma est inuariabilis intu-
tionis internae) et simultaneitas et successio phaeno-
menorum repraesentabilis est. Ipsum igitur tempu-
in quo alternantes phaenomenorum vices cogitantu-
durat nec permutatur; quam diu enim et existenti-
alternantis series (successio) et simultaneitas eiusde-
percipiuntur, id, in quo hae modificationes vni-
poni possunt, tempus non esse nequit. Temp-
autem ipsum quum percipi non possit, sequitur ind-
in obiectis perceptionum i. e. phaenomenis id substr-
tum inesse debere, per quod forma temporis vt pe-
sistentis in animo excitetur, et in quo omnis et pe-
mutatio et simultaneitas, tanquam existentiae eiusde-
modificationes, per phaenomenorum ad ipsum rel-
tionem percipiantur. In hoc igitur substrato, (su-
stantia), quod quasi tempus personatum seu tempor-
correlatum reale dicere possis, per quod *duratio* ex-
stentiae seu quantum eius in serie temporis efficitu-
relationes phaenomenorum quoad tempus vt huius-
substantiae modificationes necessarie repraesentantu-
Ipsa igitur persistit substantia, quumque eius existent-
nulli omnino permutationi obnoxia sit, etiam qua-
tum eiusdem in natura nec augeri nec commin-
potest.

Ab

Absque hoc, quod sic ponimus, persistenti substantiae correlato, quod semper est, et perdurat, numquam inter simultanea et successiua in obiectis experientiae discernere possemus; apprehensio enim multiplicium in phaenomenis semper successiue fit et per synthesin. Temporis enim nullae sunt partes simultaneae, sed omnes consecutiuae; quare quum omnis apprehensio fiat in tempore, consecutiuam eam esse debere efficitur. Nisi igitur phaenomenis substratum aliquod subesset perturabile substantiae, in relatione ad quod varie determinabili aut simultaneitas phaenomenorum aut eorumdem successio cerneretur, nullus umquam phaenomenorum ad tempus habitus constitui posset. Nullae igitur relationes in tempore sine hoc substantiae substrato cogitari possent; in eo igitur omnis ponenda est temporis determinatio, et consequenter nulla perceptionum vnitas synthetica i. e. nulla experientia absque tali substrato possibilis foret. Omnis igitur existentia permutabilis tanquam modus considerari debet, quo id, quod durat et persistit, existere cogitatur. Obiectum igitur omnium intuitionum persistens illud est siue substantia *φαινομενον*; quod autem alternans est aut alternationi et permutationi obnoxium, (accidens phaenomenon) ad modum pertinet, quo substantia exiltit, seu eiusdem determinationem.

§. 6.

Lex substantiae persistentis et inuariabilis, semper a sensu communi agnita, at male a philosophis sic expressa fuit: „in omni rerum commutatione substantia persistit, accidentiae permutantur„.

Cuncta philosophorum cuiuslibet aeui doctrinae systemata, omniumque adeo sensu communi praeditorum iudicia in eo congruunt, esse aliquod in rerum

natura persistens, in quo ea, quae in phaenomenis mutabilia sint, praetereant, sibi inuicem succedentia. At male haec sententia enuntiatur, quando substantiam persistere et accidentiam permutari ais. Idem enim per idem exprimitur ac mere tautologicum. Persistentia enim conditio est, per quam solam conceptui substantiae relatio assignatur ad obiecta intuitionis; nec sine persistentia substantia cogitari potest, quippe cuius obiectiua realitas in persistendo consistit. Id potius, quod nos in §. 4. titulo posuimus, demonstrandum erat, scilicet, esse aliquid persistens in phaenomeno, cuius existentiae modus per accidentia determinatur. Accidentia enim existentiae substantiarum positiuae sunt determinationes. Talis autem demonstratio quare hucusque non tentata fuerit, quum omni tempore haec de qua agitur propositio fundamentalis tamquam axioma sensus communis enunciata, at non demonstrata fuerit, causa in aprico posita est. Ex conceptibus enim de rebus per se, in quibus determinandis omnis hucusque metaphysica scientia versabatur, dogmatice effici non poterat.

Eiusmodi autem propositionem tantum ad experientiae possibilem referri et sub huiusce conditionibus realitatem aliquam obiectiuam habere posse, eiusque demonstrationem a deductione experientiae possibilis pendere, hoc ante philosophiae criticae autorem a nemine umquam cogitatum fuit. Recte igitur antiqui per notum illud:

„Gigni de nihilo nihil; in nihilum nil posse
„reuerti„

perdurabilem substantiae existentiam exprimebant, male tantum hanc sententiam ad res per se referentes. Haec enim persistentia substantiae, quam necessario intellectus nostri lege vt fundamentum omnis experientiae possibilis consideramus, nihil est, nisi modus secu

ſecundum quem exiſtentiam rerum quoad phaenomenon in experientia, ſub hac conditione vnice poſſibili, comprehendimus.

Ex quo etiam efficitur, errare eos, qui, ne doctrina de mundo quoad exiſtentiam abſolutam a prima aliqua cauſa pedente aliquid detrimenti capiat verentes, a ſententia ſupra citata primam partem „Gigni„ ſcilicet „de nihilo nihil„ detrahendam eſſe putauerunt. Non enim hic de ſubſtantia rerum per ſe, ſed de phaenomenis per experientiam cognoſcibilibus agitur; de his autem perſiſtentia in omni tempore quoad ſubſtantiam omnino valet. Vnitas enim experientiae plane tolleretur, identitate ſubſtrati phaenomenorum, in quo ſolo vnitas temporis repraeſentari poteſt, ſublata.

§. 7.

Conceptus mutationis recto perſiſtentiae conceptui ſuperſtructus hic eſt: mutatio eſt modus exiſtendi alium exiſtendi modum in eodem obiecto excipiens.

Obiectum ſubſtantiale ſemper perſiſtit, at mutatur, i. e. alio modo quam quo prius exiſtere incipit. Omne igitur quod *mutatur* conſtans eſt ac durabile; ſtatus enim tantum, quo exiſtebat, non ipſum ſubſtratum mutari poteſt: ſubſtantia igitur ſiue perſiſtens ſolum mutationem patitur, accidens vero ſeu ſtatus exiſtentiae alternationi obnoxius eſt, quibusdam ſcilicet modificationibus ceſſantibus, aliis incipientibus. Id igitur, quod oritur aut perit, nunquam ſubſtantia eſſe poteſt, ſed eiusdem accidentalium mutatio. Ortus enim ac interitus percipi omnino non poſſunt, niſi quatenus ad modificationes perſiſtentium i. e. ſubſtantiarum referuntur. Tranſitus enim ab vno in alterum ſtatum, (a non-eſſe ad eſſe in tempore) cogitari nequit, niſi in eo, quod perdurabiliter exiſtit ſiue perſiſtit. Hi igitur diuerſi non-exiſtentiae et exiſtentiae ſta-

tus tantum empirice vt alternantes eiusdem persistentis substantiae modificationes repraesentari possunt; absolute autem nec ortus nec interitus vnquam potest percipi. Si enim absolute aliquid inciperet i. e. si substantia (non accidens) vt recenter incipiens cogitaretur, tunc temporis aliquod praesupponi deberet momentum, in quo non erat. Hoc autem temporis momentum, nisi aliquid substantiale praecedit, per cuius complementum illud quasi gignitur, vacuum erit et propterea non cogitabile; incipientia igitur absoluta i. e. talis, quam tempus vacuum praecederet, sibimet ipsi contradicit. Sin autem ortum alicuius rei in tempore cum rebus connectimus anterioribus, quarum series vsque ad momentum, quo noua res oriebatur, pertinet, tunc id quod oriebatur, non substantia erat, sed priorum tantum modificatio, i. e. accidens. Pari modo etiam interitus empiricam supponit notionem temporis, vbi phaenomenon non amplius existit. Haec igitur empirica notio a substrato, hoc tempus phaenomeno posterius complente, generari debet; non igitur substratum absolute interit sed modificationes seu modi existentiae in eodem substrato mutationem passae sunt; substrato persistenti autem sublato omnis temporis omnino empirica tolleretur notio, vnaque omnis concideret perceptionum in vna eademque experientia coniungendarum possibilitas. Quare persistentiam primariam aliquam ac absolutam legem esse experientiae, et talem, sine qua phaenomenorum obiectiua realitas in experientia possibili numquam determinari posset, iam explicatum est. De criterio substantialitatis phaenomenorum empirico infra dicendum erit. (Vid. inf. §. 13.)

2) Lex altera experientiae congruentis siue lex successionis secundum nexum causalem, haec est:

§. 8.

§. 8.

Omnes mutationes fiunt ex lege nexus causalis inter causam et effectum. (siue: quodcunque fit, i. e. esse incipit, quaecunque igitur variabilis in substantia determinatio, ab anteriori, cui necessarie siue *ex lege* succedit, deriuandum est.)

In lege prima experientiae congruentis, (§. 4 — 8.) omnia phaenomena in serie temporis occurrentia nihil inuoluere nisi mutationes seu successiuum esse et non - esse determinationum in vna eademque substantia inuariabili, declaratum est, quum substantia scilicet ipsa nec incipere possit nec interire. Substantia enim, vti vidimus, quam incipientem vel intereuntem cogitare velles, duobus praedicatis e contrario oppositis determinaretur; substratum enim cogitaretur perdurabile, in quo diuersae istae conditiones apperciperentur, idemque non persistens iterum, dum vel inciperet vel periret. In hoc autem, quod nunc posuimus, principio causalitatis, necessaria declaratur phaenomenorum successio secundum legem. Hac sic expressa lege id declaratur, esse schema supra expositum causalitatis obiectorum experientiae praedicatum necessarium a priori. Vidimus enim in iudiciis hypotheticis obiecta subsumi sub praedicamentum causalitatis: (conf. Log. transsc. Pars. 1. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 2. §. 6.) haec autem causalitas nisi per schema successionis multiplicium in tempore secundum legem (cf. Lib. II. Cap. 1. §. 4.) cogitari non potest, ex hoc autem schemate applicato legem nostram rite profluere, quis est qui dubitare possit? Concessis igitur, et praedicamenti cum functione cogitationis correspondentia legitima, et eiusdem per schema transscendentale ad obiecta relatione possibili, etiam obiectiua legi nostrae rea-

realitas in determinandis phaenomenis inuicem fi
succedentibus tribuenda erit.

§. 9.

Experientia de obiectis nulla possibilis est nisi secundum l
gem causalitatis. (conf. huiusce apotomes §.
de experientia).

Phaenomena sibi inuicem succedere i. e. vn
tempore statum aliquem rerum esse, cuius contra
um in statu secundum tempus anteriori fuerat, pe
cipimus; nexum igitur duarum perceptionum ponim
in tempore. Hic autem nexus in tempore non per i
tuitionem solam cognoscitur; tempus enim non intu
ri possumus, nec proinde per relationem ad ipsu
quaenam praecedat quae subsequatur conditio, in o
iecto determinari potest. Ab imaginatione igitur i
effectus proficiscitur, quae scilicet sensum intern
secundum relationes temporis afficit. (conf. Anal
tic. conceptuum Cap. III. Sect. 2. §. 8.) In imagin
tione autem duo eiusdem rei diuersi status duplici m
re connexi cogitari possunt, vt scilicet aut alter
praecedat vel subsequatur. Ad hoc igitur solum
spiciens, dum vnum alteri statum antepono, id tantu
pronuntio, *in imaginatione mea* vnum vt anteriorem,
terum vt subsequentem poni, haud vero, in obiecto i
alterum statum praecedere subsequi alterum. Per si
plicem igitur perceptionem circa obiectiuam phaen
menorum sibi inuicem succedentium relationem
hil omnino definitur. Nulla igitur ex simplici perc
ptione experientia possibilis est. Haec igitur vt effic
tur, necessarius aliquis perceptionum nexus con
tuendus est, per quem quaenam vt praecedens, qu
vt subsequens poni *debeat* diiudicetur. *Necessaria*
tem intuitionum vnitas synthetica non nisi per prae
camentum cogitari potest, quod non a perceptio

em

empirica, ſed ab intellectu puro originem trahit. Vinculum autem eiusmodi perceptionum coniungendarum in conceptu relationis ſecundum cauſam et effectum cernitur, per quam quidem relationem alter alteri ſtatus vt neceſſarie conſecutiuus ex lege prioris antecedentis (non vt in imaginatione tantum poſtpoſitus) ſubiungitur. Experientia igitur ſiue empirica phaenomenorum cognitio primum poſſibilis fit, dum ſeriem ſubſequentium legi ſubiicimus cauſalitatis, et tantum ſub hac lege phaenomena obiecta experientiae fieri poſſunt.

§. 10.

Diſtinguendum eſt inter ſucceſſionem apprehenſionis ſubiectiuam et obiectiuam. Per legem cauſalitatis ſubiectiua ponitur in apprehenſione ſucceſſio, ſecundum obiectiuam phaenomenorum conſecutionem determinata.

Apprehenſio multiplicium in phaenomenis *ſemper* ſucceſſiua eſt, fit enim in tempore, in quo repraeſentationes partium totius repraeſentati ſibi inuicem ſuccedunt. At num eodem quo in apprehenſione et in obiecto *) ſibi ſuccedant ordine, haec eſt, quam tracta-

*) Probe autem h. l. quid ſub *obiecto* cogitari debeat, conſiderandum eſt. Quaecunque enim in mente noſtra exhibentur, adeo repraeſentationes omnes, quatenus earum nobis conſcii ſumus, obiecta appellari poſſunt. Si igitur phaenomena eo tantum reſpectu obiecta appellantur, quatenus vt in repraeſentationibus unice exiſtentia (qualia Idealismus Berkleii ea eſſe perhibet) menti exhibentur, tunc vere talia ſunt qualia in apprehenſione i. e. in receptione ſub ſyntheſin imaginationis repraeſentantur. Verum alio in hac commentatione reſpectu phaenomenon obiectum appellatur; quatenus ſcilicet vt repraeſentatum a ſimplici repraeſentatione diſtinguitur; hoc autem reſpectu in partibus phaenomeni, quamquam ſucceſſiue ſemper apprehenſis, ſucceſſio obiectiua non ſemper cogitatur. Sic e. g. apprehen-

tractamus, quaestio. Quaeritur igitur num et qu
do eadem quae in apprehensione percipitur succes
etiam de obiecto statui debeat? fieri aliquid, seu s
tus cuiusdam vel conditionis existentiam incipe
hoc empirice apprehendi nequit, nisi praeuium
quod phaenomenon statuimus, in quo haec condi
non conspiciebatur. Realitas enim, quae tempus
euum subsequeretur, et initium, quod nullus rer
status praecederet, aeque ac tempus vacuum nu
quam apprehendi poterunt; apprehensio enim pe
stens aliquid requirit substratum, cui id, quod app
henditur, vt eiusdem modificatio inhaeret On
igitur factum perceptione sentitur praecedentem ali
subsequente. Quum vero eadem sit in synthesi q
que apprehensionis phaenomenorum sensibilium,
mus, montium, corporum in genere ratio, inde

prehensio multiplicium in phaenomeno domus sine dubio
cessiua est; at nemo tamen hasce domus partes sibi inui
succedere affirmabit. At si transscendentali respectu concep
domus consideramus, domum rem per se nullam esse,
phaenomenon i. e. *repraesentationem*, cuius obiectum transs
dentale plane ignotum est, patebit. Quaeritur igitur, q
nam intersit inter istam simplicem repraesentationem appre
sionis et hoc obiectum phaenomenon, cum quo conceptu
apprehensione ista abstractus congruere debet, quodque
nisi complexum repraesentationum apprehensionis cont
Facile autem patebit, quum apprehensio semper successiua
in phaenomenis vero et simultaneitas et successio ex lege
salitatis statuatur, phaenomenon correlatum cum repraes
tionibus apprehensionis tunc tantum vt harum repraesent
num obiectum distinctum cognosci, quando sub legem
quam subsumitur, quae ipsam hanc apprehensionem ab
alia apprehensione distinguit, et necessarium aliquem co
xionis modum constituit. Id igitur in phaenomeno, q
continet conditionem apprehensionis secundum legem
cessariam determinandae, illud, vt obiectum distinctum
simplici repraesentatione discernit.

ficitur, in ſimplici apprehenſione nullum adhuc, quatenus hucusque eam conſiderauimus, animaduerti discrimen inter id, quod *fit*, et id, quod vt totum et ſimultaneum exiſtere dicitur, cuiusque partes nihilominus ſucceſſiue apprehenduntur. Subiectiua enim in ambobus conſpicitur apprehenſionis ſucceſſio. At vlterius cogitatione progreſſi in quibusdam phaenomenis ordinem ſucceſſionis apprehenſionum indefinitum inueniemus et neceſſarium. Sic vt in exemplo haereamus ſemel propoſito in apprehenſione partium domus perinde eſt an percurrendo partes ipſius ſeriem apprehenſionum a tecto incipiamus, ad fundamenta eiusdem deorſim deflectentes, an a fundamentis aciem ſenſim vsque ad faſtigium attollamus, multiplicia huiusce intuitionis a dextra vel a ſiniſtra ſynthetice conquirentes. Vt in genere dicamus, partes ſint corporis phaenomeni tres A. B. C, tum in apprehendendo nil refert an incipias a parte A, et partes B + C apponas, an a parte C retrogreſſus B + A vel A + B aſſumas, et ſic porro. Verum in phaenomeno, quod mutationem ſeu modi cuiusdam exiſtendi incipientiam continet, ſecundum legem conſtitutus conſpicitur ordo apprehenſionum, nec praecedentem ſtatum, quem A vocabimus, poſt ſubſequentem B in tempore ponere licet. Sic e. g. nauem fluuio deferri videntibus perceptio eiusdem in inferiori parte amnis perceptionem de eadem in ſuperiori parte conſtituta neceſſarie inſequitur, nec inuerti ordo, eademque nauis in apprehenſione huiusce phaenomeni prius infra, poſtea vero in ſuperiori amne conſpici poteſt. Ordo igitur ſeriei perceptionum in apprehenſione in hoc caſu dato definitus eſt, et lex quaedam ſentitur, ſicuti in hoc ſic et in omni de eo *quod fit* perceptione, quae ordinem perceptionum ſubſequentium neceſſarium reddit. Haec autem lex, quae quo ordine perceptiones ſeſe excipere debeant, definit, quum in ſubiectiua apprehenſionis ſerie non inue-

inueniatur, *ab obiectiua phaenomenorum consecution* *deriuanda erit, subiectiuam istam determinante.*

Subiectiua ista, quae ab arbitrio pendet, perce ptionum in apprehensione positio, nihil demonstra omnino circa multiplicium in obiecto nexum; hae vero obiectiua multiplicium phaenomeni consecutio tali deriuanda est eorumdem ordine, secundum quen apprehensio vnius, quod fit, apprehensionem alte rius quod praecedit, *ex lege* (non fortuito vt in subie ctiua) subsequitur. Nexus itaque variorum in obie cto ipso constituitur necessarius, secundum quem se ries perceptionum in apprehensione procedere debe Sequitur inde, in eo quod euentum aliquem praece dit, necessariam contineri debere conditionem, secun dum quam euentus semper et necessarie subsequatu nec vero (quemadmodum in ea apprehensione lice quae mere subiectiua est) ab euentu regredi et id i apprehensione comprehendere licet posterius, quo praecesserat.

Nullum enim phaenomenon a momento subse quenti ad antecedens *retrogredi* potest, at tempor dati ad subsequens *progressus* necessarius est. Vbicun que igitur aliquid fit, (existere incipit in tempore) il necessarie aliquod praecedens infertur, a quo subse quens secundum legem deriuatur. Euentus igitur conditionatum conditionem in praecedenti repositar indigitat, per quam determinatur; alias enim si non a obiectiua quadam in phaenomenis consecutione deriu retur, ordinem inuertere liceret perceptionum, B ant A, A post B posito, quod quidem in phaenomenis o cti fieri non posse iam demonstratum est.

§ 11.

Per ordinem, relationes repraesentationum secundum tem pus necessarie determinantem, obiectiua earumde consi

constituitur realitas; nec obiectum omnino cognosci posset, nisi in serie repraesentationum aliquid poneretur ex praecedenti necessario (ex lege) *consecutiuum, ita vt ordo perceptionum inuerti nequeat.*

Repraesentationes nobis inesse, quarum conscii nobis fieri possumus, nemo non nobiscum fatebitur. Hae repraesentationes autem, quam viuas quam perspicuas eas cogitemus, tamen semper intus clausae manent in nobis, mentisque sunt internae modificationes in relatione aliqua temporis constitutae. Quaeritur inde quidnam ponentes, praeter subiectiuam istam realitatem, repraesentationibus obiectiuam quoque illam, quam idealistae negant, tribuamus? repraesentationes in synthesi apprehensionis sibi inuicem succedere supra iam intellectum est. In hac successionis serie per se nullum repraesentatur obiectum, nihil omnino diuersum ab alio, communis enim est omnium repraesentationum, nec per eam aliquid discernitur. Simulac autem in hac successione relationem percipimus alicuius per eam positi ad statum anteriorem, ex quo repraesentatio secundum legem necessariae consecutionis deriuetur, tunc aliquid dicimus fieri, et per hanc repraesentationem obiectum determinamus, in certum aliquod temporis momentum ponendum, quod ipsi a statu praecedente necessarie assignatur. Sin igitur aliquid *fieri* dicimus, duo sunt quae in hac repraesentatione continentur momenta: requiritur enim primum vt aliquid praecedat, per quod phaenomeno definitus in serie repraesentationum locus assignetur; secundo loco, vt in hoc praecedenti aliquid supponatur, per quod consequentis consecutio in omni tempore i. e. secundum legem determinetur; ex quo efficitur, nec ordinem inuerti posse, ita vt id quod sequitur praecedenti anteponamus, nec si status ponitur praecedens, id quod per

ipsum

ipsum determinatur consequens, vnquam posse deficere, sed *necessario* consequi debere. Synthesi igitur subiectiuae apprehensionis obiectiua tribuitur realitas, dum aliquam respicimus legem, secundum quam phaenomena ita vt fiunt per statum praecedentem determinata sunt. Sin enim non ex lege sed tantum secundum apprehensionem successio ista esset determinata, tunc hanc subiectiuam modificationem obiecto alicui tribuere omnino non liceret. Quid enim tunc vere succedens, quid esset consequens indefinitum foret, nec aliud nisi lusum haberemus repraesentationum, ad nullum omnino obiectum relatum. In perceptione enim vnum ab altero phaenomenon distingui non posset secundum tempus, nec in phaenomeno duo sibi succedere status dicere liceret, sed tantum vnam alteri subiungi apperceptionem, id quod mere subiectiuum est, nec ad cognoscendum aliquod obiectum valet.

Videri quidem omnino posset hanc nostram theoriam repugnare omni, quam hucusque obseruato intellectus nostri in experientia constituenda progressui superstructam tenuimus, doctrinae. Secundum hanc enim constat, humanum ingenium primum per obseruatam phaenomenorum quorumdam post praecedentia alia semper effectam consecutionem ad constituendas leges peruenire; secundum quas positis quibusdam alia semper subsequantur phaenomena, ex quo conceptum causae et effectus ab empiricis tantum obseruationibus abstractum esse efficeretur, id quod in primis Humius voluit, qui causae conceptum experientiae saepius repetitae vnice tribuit. *) Tunc vero

*) Hume a treatise of Human Nature being an attempt to introduce the experimental method of Reasoning into moral subjects Vol. I. p. 132 — 168.

„We

ro simul simul omnis principii *causalitatis* necessitas concideret et vniuersalis valor, et aeque illud ac experientia ipsa contingens foret, quippe in quo nulla cerneretur certitudo a priori, sed comparatiua tantum per inductionem, quae quum completa numquam menti praeberi possit vniuersalitatem sibi illimitatam arrogare nequit. Verum haec obiectio tantum abest vt theoriam nostram concutiat, vt potius ad eam confirmandam et vlterius illustrandam valeat. Permutationem enim videmus factam esse inter conceptus deriuationem et formationem originariam, eiusdemque clariorem in mente repraesentationem. Quemadmodum autem clarae de spatio et tempore notiones a repraesentatione per sensum externum primum abstrahi debebant, quum in hac vnice significationem habe-

„We haue no other notion of cause and effect but that of „certain obiects, which haue been *always conioined together* „and which in all past instances haue been found inseparable. We cannot penetrate into the reason of the conjunction. We only obserue the thing itself and always „find, that from the constant coniunction the obiects acquire an vnion in the imagination.„

p. 167.

Facile videmus Virum ceteroquin acutissimum communi hoc philosophorum errore abreptum fuisse, quod phaenomena pro rebus per se haberet, harumque nexum aliquem causalem quaereret. Rectissime autem vidit sic philosophando nullam certitudinem principii inueniri posse, siquidem cognitionem ab obiectis vt externis petitam in nos transferimus; tunc enim omnia per experientiam diiudicari debent, quae certa principia sistere non valet. Eam vero, quam Kantius aperuit, viam, secundum quam principia cognitionis in mentis nostrae adytis reposita ad obiecta transferuntur, quae non nisi per subsumtionem sub leges intellectus nostri formales obiecta fiunt per nos cognoscibilia, hunc inquam nondum nouerat; alias enim legem causalitatis ab experientia non deriuasset, quum per eam primo experientia fiat possibilis.

habeant, (quippe quae formae ſint, omnis repraeſentationis ſenſitiuae poſſibilitatem conſtituentes) ſic et conceptus de cauſalitate, per experientiam in nobis excitatur, quum forma ſit experientiae rite inſtituendae, nec niſi in determinando phaenomenorum nexu ſignificatum habeat. Attamen non in hoc conceptus ortu empirico ſubſiſtendum, ſed neceſſariȩ ad transſcendentalem recurrendum eſt originem, ſine qua nec iſta experientia, per quam empirica eius in nobis excitatur repraeſentatio, poſſibilis foret. Intellectus enim per legem cauſalitatis omnem de obiecto repraeſentationem primum poſſibilem reddit, dum ſecundum eam phaenomena eorumque exiſtentiam ſub ordinem aliquem ſubſumit temporis, et vnicuiquè a priori locum in ipſo aſſignat, qui nec permutari nec inuerti poteſt. Haec autem in tempore a priori determinata conſecutio non ab aliqua phaenomenorum ad tempus abſolutum relatione deriuari poteſt; (talis enim cogitari omnino nequit, cum temporis nulla eſſe poſſit perceptio conf. Apot. 1. §. 4.) verum phaenomenis ipſis ineſſe debet habitus ad determinandum ſibi ipſis in tempore locum, i. e. id quod ſit aut conſequitur, ſecundum legem vniuerſalem ex eo quod antecedebat deriuari debet, ex quo ſeries oritur obiectiua phaenomenorum, eundem ordinem atque nexum perpetuum ſiſtens qui in tempore vt forma intuitionis internae a priori conſpicitur. Experientia igitur vere efficitur, dum phaenomenon vt ſecundum locum in tempore determinatum, id eſt *vt obiectum* conſidero, quod in nexu perceptionum ex lege inueniri debet. Haec autem lex phaenomenorum in ſerie temporis ponendorum id inuoluit, vt in eo quod antecedit conditio contineatur, ſecundum quam id quod ſit in omni tempore i. e. neceſſarie ſubſequi debeat. Principium igitur cauſalitatis, quod et *principium rationis ſufficientis* appellare licet, fundamentum continet experientiae poſſi-

possibilis i. e. obiectiuae phaenomenorum cognitionis secundum relationes eorum in serie consecutiua temporis. Momenta autem, quibus huiusce principii demonstratio innititur, in superioribus satis arbitror explicata esse.

§. 12.

Per legem nexus caussalis ordo tantum temporis haud vero eiusdem aliquis excessus siue interuallum temporis inter caussam atque effectum ponitur.

Principium nexus inter phaenomena caussalis in expositione nostra semper ad consecutionem phaenomenorum in tempore restrictum est, at in vsu eiusdem inuenimus caussam et effectum vt se concomitantia et simul existentia saepe exhiberi, et certo quodam respectu semper vt simultanea considerari debere. Sic luminis sub noctem in clausa aliqua domus parte repansi lampas intus accensa caussa est; effectus vero illucescentiae cum caussa (illata lambade) simultaneus percipitur; sic focum excitatum simultaneus concomitatur effectus caloris etc. Quinimo maxima pars effectuum, quos in rerum natura caussis certis tribuimus, simul cum harum caussarum positione euenit. Initium saltem effectus cuiuslibet cum ipsa caussa simultaneum esse oportet, si enim caussa plane desiisset ante effectum, tunc effectus ex ipsa non potuisset generari. Vnde colligimus, si quid inter caussam atque effectum ponitur temporis intermedii, hoc exinde oriri, quod caussa totum suum effectum vno eodemque momento perficere nequeat, saepiusque caussarum intermediarum longa sit atque occulta series, antequam effectus longe fortassis distans a caussa primaria prodeat. Quamquam autem sic simultaneus cum caussa inueniatur effectus, tamen ordo temporis idem remanet, et

consecutio semper criterium est empiricum effectus, sicut caussa in cogitatione vt antecedens poni debet. Quamquam enim inter actionem caussae et effectum immediate ab ipsa deriuandum nullum intersit temporis momentum, tamen relatio amborum secundum tempus determinatur, id quod per inversionem clarescit. Lumen enim in penetrali non semper lampadem accensam, nec calor focum excitatum prodit; possunt enim aliis de caussis et lumen et calor deriuari, at lampadem accensam et focum suscitatum semper et lumen et calor concomitantur. Aut vt Kantii quoque exemplo vtamur, si globum plumbeum molli strato superimponas, id quod antea planum erat, nunc concauam accipiet formam, a pondere scilicet globuli depressum. Hic igitur effectus simultaneus est cum actione caussali, attamen secundum nexum dynamicum hunc effectum ab illa caussa in tempore distinguimus, ita vt posita hac caussa effectum necessarie subsequi debere, hunc vero ordinem inuerti non posse iudicemus. Non enim si in strato nostro fortuito cauitas aliqua conspiciatur, in hoc necessaria continetur conditio, propter quam ad globuli plumbei existentiam necessarie concludi oporteat. Caussalitas igitur in eo vertitur, vt posito vno (caussali) alterum (consequens) necessarie ponatur, ex quo fixus nascitur phaenomenorum ordo in tempore, quamquam caussa et effectus nullo temporis momento elapsi separari possint.

§. 13.

Actio, cuius conceptus ex notione caussalitatis deriuatur, empiricum est criterium substantialitatis, ex quo perdurabilis substantiae existentia (seu persistentia) *immediate cognoscitur.*

Ad calcem expositionis nostrae de substantia persistenti nos alio loco de criterio substantiae empirico dictu-

dicturos esse promisimus; (conf. Apotome II. §. 7.) ille autem hic est locus aptissimus. Nam ex conceptu caussalitatis notio deriuatur actionis, quae rursum ad vim, et per hanc ad conceptum substantiae ducit. Hanc autem conceptuum analysin, quae cognitionem tantum explicat, non auget, tanquam ab opere nostro, quod in recludendis cognitionis syntheticae a priori fontibus versatur alienum, systemati completo rationis purae perficiendam relinquimus, hic tantum de actione vt substantiae criterio empirico dicturi.

Quaelibet actio in genere relationem significat subiecti caussalitatis ad effectum. Effectus autem in eo consistit quod fit; omne igitur permutabile, quod tempus in successione complet, ad effectum pertinet; id igitur, quod effectum operatur (subiectum caussalitatis) ipsum non potest esse permutabile, sed persistens esse debet accidentiarum substratum siue substantia. Secundum legem enim caussalitatis, ratio sufficiens omnis phaenomenorum alternationis (siue accidentiarum permutabilitatis) in *actione* sita est; subiectum igitur, in quo actiones vt eiusdem modificationes continentur, ipsum non potest esse alternans aut permutabile; sic enim rursus aliae requirerentur actiones in alio subiecto repositae, per quas haec alternatio determinaretur, eaque quam quaerebamus caussa ad effectum meramque recideret accidentiam. Vbi igitur actio est, ibi rite ad existentiam substantiae i. e. persistens caussalitatis subiectum concluditur; id enim, in quo omnis et ortus et interitus seu omnis permutationis phaenomenorum ratio continetur, ipsum nec oriri posse nec interire rite colligimus, ex quo empirica existentiae necessitas et persistentia i. e. conceptus substantiae phaenomenon efficitur. Sic ex lege caussalitatis persistens substantia rectius et planius deducitur, quam ex meris

de vi et actione conceptibus analytice erui poterat. Hoc enim qui tentauerunt dicentes, vbi vis sit et facultas operatiua, ibi etiam substantiam esse debere, non videbant ex conceptu solo actionis ad persistentiam agentis non valere conclusionem.

§. 14.

Mutatio non est possibilis nisi per actionem continuam caussalitatis. Haec autem, quando unigena est, appellatur momentum, per talia autem momenta mutatio generatur, vt effectus ipsorum.

Vltima ad legem caussalitatis spectans quaestio supererat, haec scilicet, quonam modo res aliqua mutari, id est ex vno statu = a in alterum = b transire possit. Haec vt probe dissoluatur, primum status quaestionis rite ponendus erit. Omnis mutatio, vti iam supra diximus (§. 7), ortum designat aut interitum accidentis in eodem permanente substrato substantiae. Substantia igitur non oritur, nec interit, sed modi existentiae eiusdem permutantur. Quomodo autem aliquid mutari possit, siue quomodo fieri possit, vt eum, qui in vno temporis momento fuerat statum, alius in alio momento status subsequatur, hoc a priori omnino diiudicari non potest. Empirica enim ad hoc problema resoluendum requiritur cognitio virium motricium siue phaenomenorum successiuorum, ex quibus ad eiusmodi vires motrices colligimus. Verum forma omnis in genere mutationis siue conditio, sine qua nulla omnino mutatio vt possibilis cogitari potest, abstractione facta ab omni mutationis materia (i. e. nulla omnino status aut conditionis quae mutatur ratione habita,) — τὸ *fieri* sine respectu ad id materiale quod fit, vel ad id quod perit, et in cuius locum aliud quoddam oriundum succedit, hoc omnino secundum

le-

legem caussalitatis et conditiones temporis a priori perpendi potest.

Quando substantia e statu a in statum b transire cogitatur, tunc status b, secundum tempus et realitatem, a priori a distinguendus est. Secundum tempus, quoniam priorem subsequitur; secundum realitatem, quoniam in statu priori non continebatur, et consequenter prior status cum posteriori comparatus pro nihilo = o habendus est.

Propius iam ad quaestionem nostram, quomodo scilicet res aliqua ab vno statu in alterum transire et, amissa realitate a, aliam b assumere possit, accedimus. Constat autem inter duo momenta semper tempus aliquod intermedium obtinere, duosque status, qui in duobus hisce momentis existunt, per intermedium aliquem statum distingui, qui quoniam ad phaenomenon pertinet, certam habet quantitatem; omnes enim phaenomenorum partes quanta sunt per se. Transitus igitur ex vno statu in alterum in eo tempore fit, quod inter duo ista momenta obtinet, in quorum primo status, quem res relinquit, secundo autem ille, ad quem peruenit, determinatus est. Haec autem duo momenta termini sunt durationis mutationis, vel status intermedii quasi confinia, et qua talia ad ipsam mutationem pertinent. Ex quo efficitur, quum quaeuis mutatio a caussa pendeat, haecque caussa per omne tempus mutationis caussalitatem suam exserat, hanc mutationem non subito aut vno eodemque momento fieri, sed durationem explere temporis, ita vt, quemadmodum tempus crescit a momento inceptae mutationis a, vsque ad momentum consummationis b, sic et realitas generetur per omnes gradus minores, quos vt inter statum a et b interiectos cogitare debemus, vsque dum noua realitas siue status b absolute consummatus sit.

Facile perspicitur, hanc continuitatis legem sic propositam inniti fundamento alias iam posito, quod scilicet nec temporis nec phaenomenorum in tempore minimae quaedam partes esse possint, *) ideoque mutatio a statu primo per omnes hasce partes vt elementa sua ad secundum transire debeat. Crescit igitur nouus realitatis status per omnes eiusdem gradus vsque ad consummationem i. e. mutatio per actionem continuam caussalitatis efficitur. Ne autem aliquid hic nobis arrogare videamur, quod certo cognitionis fundamento a priori careat, hoc tantum animaduertendum est, nos sic pronuntiando nostram tantum de obiectis praesumere apprehensionem, cuius conditio formalis vt menti nostrae inhaerens a priori a nobis cognosci posse debet. Omnis enim in perceptione progressus, omne cognitionis empiricae incrementum in progressu temporis siue successiua sensus interni determinatione continetur. Tempus autem quum quantum sit, in infinitum diuisibile, cuius nulla pars minima est, inde mutatio siue transitus a statu vno a ad alterum b, ad cuius realitatem, quantumuis exiguam, tamen per gradus semper minores ascendendum est, (nulla enim pars realitatis minima quum sit, inde quamcunque realitatis partem inferiores sibi gradus habere efficitur,) per successiuam tantum et continuam perceptionis in tempore generationem potest comprehendi.

3) *Lex tertia experientiae congruentis siue principium simultaneitatis, per legem influxus alternatiui* (commercii) *determinatae, haec est:*

*) (Conf. princip. axiomatis intuitionum Apotome I. §. 1 — 4.)

§. 15.

Omnia obiecta cognoscibilia, quatenus vt simultanea in spatio percipi possunt, mutuam exercent caussalitatem siue concurrentiam.

Omnis apprehensio quum successiua sit, simultaneitas proprie sic dicta percipi non potest. Sed quum consecutionis in perceptionibus duplex sit ratio *necessaria vna*, quaeque inverti nequeat, altera *contingens*, quaeque ad libitum disponi possit, (cf. huiusce Apotomes §. 10.) illam per nexum caussalem, hanc per simultaneitatem designamus. Sunt igitur simultanea, in quorum perceptione ordinem inuertere et ab vltimo rursus incipiendo ad id, quod primum fuerat, retrogredi, apprehensionisque seriem in tempore ad libitum disponere licet. Sic v. c. lunam, terram stellasque continua perceptione apprehendendo nil refert, an a terra incipiendo ad lunam, deincepsque ad stellas me conferam, an ab hespero egressus stellasque deinceps lunamque percurrens in terrae apprehensione desinam. Quoniam igitur horum obiectorum perceptiones quoad locum in tempore permutari possunt, inde simultanea appellantur.

Schema influxus siue concurrentiae (cf. Analyticae transscendentalis Lib. II. Cap. I. § 4.) i. e. transscendentalem temporis determinationem, per quam solam notio pura concurrentiae ad obiecta referri potest, ita definiuimus, vt sit „simultaneitas determinationum „vnius substantiae cum determinationibus alterius in „vno eodemque spatio cognoscibilis„ Ex simultaneitate igitur vt forma intuitionis, et concurrentia siue forma intellectus puri conflatam legem nostram de obiectis a priori praedicari debere certum est, siquidem obiecta, quae sensibus praebentur, sub formas intuitionis comprehensa deinceps ab intellectu ad vnitatem

apperceptionis syntheticam (qualis in iudicio disiunctiuo exprimitur) secundum praedicamenta redigi debent, antequam *obiecta nostrae cognitionis* fieri possunt.

§. 16.

Coexistentia substantiarum siue simultaneitas earum in spatio non cognosci potest nisi commercio earum mutuo supposito.

Simul esse seu coexistere idem est ac in vno eodemque tempore existere. Quum autem sinthesis apprehensionis semper successiua sit, quaerendum est, quonam modo tamen substantias coexistere cognosci possit. Hoc autem haud aliter fit, nisi quando positio substantiarum in synthesi apprehensionis indifferens est, ita vt ab A per B C D ad intuitionem E transire aut ab E per D C B ad A retrogredi possis. Si enim multiplicia A B C D E obiectiue in tempore sese subsequerentur, tunc impossibile foret in apprehensione a puncto E ad primum A vt retrogrederemur; hoc enim A ad tempus praeteritum pertinens non amplius obiectum intuitionis esse posset. Hoc autem, scilicet substantiarum alternatiuam esse consecutionem, ita vt earum positio in synthesi imaginationis indifferens sit, non ex temporis aliqua perceptione, in qua substantiae tanquam in eodem temporis puncto positae conspicerentur, deriuari potest; tempus enim non est obiectum perceptionis. Simplex igitur apprehensio nihil nos de substantiarum coexistentia in tempore docet, sed per eam tantum certiores euadimus singulas perceptiones *in subiecto nostro* adesse, aliis praeteritis, rursusque priores recurrere posterioribus elapsis. Mutuam autem siue alternantem perceptionum consecutionem in *obiecto* fundatam esse et consequenter coexistentiam aliquam obiectiuam dari, hoc non ab experientia, sed a le-

a lege aliqua praedicamenti, alternatiuam determinationum in rebus coexiſtentibus conſecutionem definientis, repetendum eſt, per quam ipſa de rebus vt obiectis experientiae cognitio primum fit poſſibilis. Talis autem relatio ſubſtantiarum, ſecundum quam vna A continet determinationes cauſſatas, quarum cauſſae in altera B continentur, *influxus*, ac ſi mutuo B cauſſas determinationum aliarum ſubſtantiae A continet, *commercium* vocatur. Simultaneitas igitur ſubſtantiarum in ſpatio non poteſt cognoſci niſi commercio ſeu influxu mutuo conceſſo, per quem experientia coexiſtentium primum poſſibilis redditur. Ponamus enim ad vlteriorem huiusce rei illuſtrationem in ſubſtantiarum aliquò complexu vnam quamque earum plane eſſe ſeparatam, i. e. nullam omnino earum in alteram operari aut ab altera influxum accipere, tunc coexiſtentia earum nullo modo foret cognoſcibilis; nec ab exiſtentia vnius per ſyntheſin empiricam ad exiſtentiam alterius concluſio fieri poſſet. Si enim ſubſtantiae per ſpatium vacuum ſeparatae eſſent, ita vt omnis contactui penitus abſcinderetur locus, tunc procedente tempore ab vna ad alteram peruenire poſſemus, at nullo modo definire liceret, an intuitio vna alteram obiectiue inſequeretur, aut ſimultanea cum ipſa eſſet. Quando igitur duae ſubſtantiae A et B vt coexiſtentes in empirica repraeſentatione menti exhibentur, tunc ineſſe ambabus praeter ſimplicem exiſtentiam aliquod debet momentum, per quod prima A alteri B et rurſus haec B illi A locum ſuum aſſignat in tempore. Id autem vnice tanquam locum aſſignans alteri cogitari poteſt, quod cauſſam aut alterius totius, aut ſaltem determinationum quarumdam in ipſo continet. Coexiſtentia ſubſtantiarum igitur cognoſci non poteſt, niſi ſubſtantia quaelibet cauſſalitatem certarum quarumdam alterius ſubſtantiae determinationum, (ipſa enim ſubſtantia cauſſatum eſſe nequit) ſimulque ef-

 fectus

fectus quoque a caussalitate in altera reposita profectos, contineat, h. e. nisi ambae in commercio dynamico constitutae sint. Quod autem ad experientiae circa obiecta instituendae possibilitatem pertinet, id necessarie de obiectis experientiae vt earum conditio sine qua non debet praedicari. Igitur omnes substantiae, quatenus coexistunt in spatio, in commercio continuo constitutae reputantur, nec communio quidem spatii (coexistentia in spatio eodem) sine hoc substantiarum commercio dynamico cognosci posset.

§. 17.

Per hoc substantiarum commercium omnes substantiae vnum compositum reale constituunt.

Phaenomena quatenus sub experientia possibili comprehenduntur, communi apperceptionis vinculo connexa in mente exhiberi debent; (cf. huiusce Apotomes §§. 1. 2.) quando autem vt coexistentia repraesentantur, locum sibi in tempore assignare debent mutuo, ex quo vt vnum totum efficientia cognoscuntur.

Haec autem subiectiua repraesentationum de phaenomenis in mente communio non sufficit ad obiectiuam phaenomenorum coexistentiam in spatio determinandam, lusus enim esse posset repraesentationum sibi invicem succedentium. Vt igitur haec subiectiua repraesentationum communio ad coexistentiam phaenomenorum, quatenus substantiae sunt extra mentem positae, referri possit, insuper hoc accedere debet, vt apperceptio vnius apperceptionem alterius possibilem reddat, et vice versa; dum scilicet in vna eademque substantia et caussae determinationum alterius et caussata siue effectus continentur. Alias enim intelligi nequit, quomodo fieri possit, vt ab ista, quae semper in multiplicium apprehensione est, suc-

ces-

ceſſione recedentes, non hanc, verum coexiſtentiam, quae in tempore ipſo non percipitur, obiectis tribueremus. Absque hoc igitur reali ſubſtantiarum commercio nulla cognoſci poſſet empirica coexiſtentiae relatio, hoc autem poſito phaenomena, vt extra ſe et tamen in nexu quodam reali conſtituta, totale efficiunt compoſitum, in quo vt partes eiusdem totius conſtitutiuae cohaerent.

§. 18.

Obſeruata generalia ad leges experientiae congruentis.

Obſ. 1.) Ex hisce tribus experientiae congruentis legibus efficitur, tres eſſe phaenomenorum relationes quoad exiſtentiam eorum in tempore (dynamicas), relationem ſcilicet inhaerentiae, conſecutionis, et compoſitionis; hae igitur leges experientiae congruentis exiſtentiam phaenomenorum ſecundum tres temporis modos poſſibiles determinant. Phaenomenon enim aut ad tempus vt quantum refertur, ex quo quantitas efficitur exiſtentiae ſeu duratio; aut ad tempus vt ſeriem, ex quo ſucceſſiua phaenomenorum conſecutio; aut denique ad tempus vt omnis exiſtentiae complexum, ex quo ſimultaneitas eorum deducitur. Haec autem phaenomenorum in tempore determinatio non vt deriuata ab experientia conſideratur, tempus enim abſolutum quum non ſit obiectum perceptionis, etiam experientia immediate phaenomeno locum in tempore aſſignare non poteſt; ſed lex intellectus puri, per quam ſolam vnitas experientiae poſſibilis fit, vnicuique locum in tempore deſignat a priori.

Obſ. 2.) Quatenus per conceptum *naturae* ſenſu empirico nexum phaenomenorum in exiſtentia ſecundum conditiones neceſſarias, i. e. *leges* intelligimus, inde communis trium experientiae congruentis legum ſum-

summa sic exprimi potest: omnia phaenomena naturam efficiunt, et sub ea comprehendi debent. Sine hac enim vnitate a priori, per quam natura primum fit possibilis, nulla experientiae vnitas, nec phaenomenorum in ipsa determinatio cogitari posset.

Obseru. 3.) Quod ad id attinet demonstrandi genus, quo in exponendis hisce legibus naturae transscendentalibus vsi sumus, hoc inprimis notatu dignum esse videtur, quod non per analysin aliquam dogmaticam ex meris conceptibus ad metam peruenimus, sed, vti par est, in propositionis syntheticae deductione, syntheticam aliquam viam demonstrationis, ex assumto tertio, ingressi tenuimus. Nam si leges istas:

In phaenomeno id quod existit persistens est atque perdurabile;

Quicquid fit, ab anteriori, cui ex lege succedit, deriuandum est;

Simultanea in relatione necessaria mutui commercii stant;

dogmatice i. e. ex conceptibus meris voluissemus deducere simili cum istis more, qui principium caussalitatis seu rationis sufficientis ista methodo probare studuerunt, (reliquas enim leges persistentiae scilicet et commercii, quamquam iisdem vsi sint tacite, nemo nec clare expressit, nec demonstrare aggressus est, quum, praedicamentis nondum explicitis, quae in conceptibus aut principiis essent lacunae, haud ita facile inueniri et suppleri possent) operam oleumque perdidissemus. Nihil igitur restabat nobis nisi vt *possibilitatem experientiae* siue cognitionis empiricae, in qua obiecta omnia nobis exhiberi posse debent, si repraesentationibus, quas de ipsis formamus, obiectiuam realitatem tribui volumus, assumendo, eiusdem conditiones necessarias a priori euolueremus, sine quibus nul-

nulla existentiae empirica in tempore determinatio vt possibilis cogitari poterat. Obiecta cognitionis autem ita comparata esse debere, qualia ad istorum cognitionis possibilitatem ea anticipare nos oportebat, rite tunc colligebamus, sicque quae ad experientiae possibilitatem pertinebant in genere, de obiectis eius rite praedicabantur.

b) *Postulata cogitationis empiricae, siue propositiones fundamentales quoad modalitatem.* (Conf. Analytic. transsc. Lib. I. c. II. Sect. II. §. 4.

§. 1.

Loco supra citato dictum est, in praedicamentis modalitatis respici ad modum, quo intellectus obiecta quoad existentiam ponat. Sunt autem haec praedicamenta: possibilitas, existentia, necessitas, e quibus propositiones fundamentales per schemata horum praedicamentorum efficiuntur huiusce tenoris:

1) *Quodcunque cum conditionibus experientiae formalibus, quoad intuitionem et conceptum, congruit, possibile est.*

2) *Quodcunque cum materiali experientiae conditione (sensatione) congruit, id vere existit, siue est reale.*

3) *Cuius nexus cum reali per vniuersales experientiae conditiones determinatur*, (i. e. sine cuius existentia posita nihil reale concipi, siue nulla realis existentia in experientia dari potest) *id necessarium est.*

In hisce propositionibus fundamentalibus schemata praedicamentorum de obiectis sub ipsa subsumendis praedicari, quilibet ex ipsarum comparatione cum schematibus (in Analytica transscendentali Lib. II. Cap. I. §. 4. expositis) facile intelliget. Ibi enim schema possi-

possibilitatis determinationem obiecti vt in aliquo tempore cogitabilis i. e. congruentiam cum conditione experientiae formali (tempore) dixeramus esse, realitatis autem, existentiam in tempore aliquo definitam, necessitatis denique, existentiam in omni tempore. Quibus igitur obiectis haec praedicata positionis vel in aliquo tempore, vel in tempore definito per sensationem, vel in omni tempore competunt, ea et possibilia et realia et denique necessaria esse debere efficitur.

§. 2.

Propositiones fundamentales quoad modalitatem postulata appellauimus, quia non obiectiua in ipsis sed subiectiua tantum inest synthesis, operationem facultatis cognoscitiuae, per quam conceptus generatur, indigitans.

Pradicamenta modalitatis nihil facere ad augendum eius obiecti conceptum, cui vt praedicata eiusdem adiunguntnr, supra iam (Analytices transsc. Lib. I. Cap. I. Sect. II. §. 5.) ostendimus. Completo enim iam et secundum omnes determinationes cogitato rei cuiusdam conceptu tamen adhuc de obiecto quaerere licet an possibile tantum sit, vel reale, vel hoc posito, annon et necessarium fortasse? Per haec vero praedicata non vlteriora quaedam in obiecto cogitantur attributa, sed vis tantum determinatur copulae, i. e. relatio obiecti ad eam, in qua ponitur, facultatem cognoscitiuam sistitur. *) Vnde efficitur, propositiones quoad

*) Per realem rei alicuius existentiam aliquid quidem ponitur possibilitatem meram excedens, verum haud in re ipsa. Res enim plura omnino continere nequit, quam quae in completa eiusdem cogitatione comprehensa sunt. Verum id quod insuper accedit in realitate in eo versatur, quod, quum in mera pos-

ad modalitatem non esse obiectiue syntheticas, quoniam id quod per ipsas obiectis tribuitur vel possibilitatis vel exiitentiae realis vel denique necessitatis praedicatum conceptibus ipsorum nullam addit determinationem. Ea igitur, quae in ipsis reperitur synthesis mere *subiectiua* est, nec aliud per ipsam, nisi in qua animi cognoscentis facultate conceptus aliquis generetur et positus sit, designatur. Sic, si conceptus obiecti tantum in intellectu mero cum formalibus experientiae conditionibus connexus est, obiectum possibile esse iudicamus, sin autem praeter hunc nexum formalem insuper accedit relatio cum experientiae conditione materiali (sensatione), tunc pro reali habetur, sin denique praeter realitatis notam relatio aliqua accedit ad rationem, per quam obiectum vt cum omni perceptionum complexu ita connexum cognoscitur, vt omnis realium experientia ab ipso pendeat, tunc necessarium esse tale obiectum pronunciamus. Principia igitur modalitatis de obiecto nihil praedicant, nisi per quam facultatis cognoscitiuae operationem conceptus eiusdem gignatur. Per hanc autem expositionem clarescit, quare haec principia nomine mere mathematico *postulatorum* designauerimus. Est enim postulatum mathematicum talis propositio practica, quae nihil praeter synthesin eam continet, per quam nobismet ipsis obiectum damus, eiusque conceptum construendo generamus. Talem autem propositionem nulla egere demonstratione per se patet, quoniam nihil continet praeter conditiones, per quas conceptus generatur, conceptusque necessarie cum conditionibus congruere debet, sine quibus eius formatio cogitari nequit. Sic e. g. absonum foret, si quis demonstrationem

possibilitate rei tantum cogitetur positio in relatione ad intellectum, in *realitate* nexus eiusdem statuatur cum perceptione per sensationem.

nem eius postulati a mathematico peteret, per quod circulum esse eam figuram definitur, quae per lineae datae e puncto dato in semet ipsam revolutionem in plano describitur. Circuli enim conceptus per hanc in postulato expressam operationem primum generatur; quaecunque igitur cum hisce conditionibus congruit figura, ei circuli denominatio necessarie competit. Aequo autem nos, ac mathematici, iure principia modalitatis postulare videmur, quoniam conceptum de rebus omnino non augent, sed eam tantum facultatem indicant, in qua conceptus et generatur et in mentis recessibus repositus asseruatur.

§. 3.

Principia modalitatis conceptus de possibilitate, existentia reali et necessitate ad vsum restringunt empiricum, (siue congruentiam cum experientia possibili) *categoriisque per id ipsum vsum assignant mere experimentalem, atque ne ipsorum abusus fiat, transscendentalis prohibent.*

Maximi haec res ponderis est insignisque in philosophia critica momenti. Omnia enim, quibus hucusque metaphysica scientia laborauit, vitia ex communi hoc erroris fonte profluxerunt, quod ex conceptibus meris ad obiectorum realitatem fieret conclusio. Inde paralogismi psychologici, inde ontologica, quae dicuntur, existentiae summi numinis argumenta emanauere. Quum vero ex supra dictis satis emergat, praedicamentorum modalitatis nullam esse significationem realem nisi per determinationem eorundem in tempore, qualem in schematibus exhibuimus, nullumque consequenter eorumdem vsum ad obiectorum cognitionem praeter empiricum dari, exinde ne quid sibi arroget philosophia vanae cognitionis in transscen-

den-

dentali rerum per se determinatione, cauetur, aeternaeque sic dissidiae finis et terminus ponitur legitimus. (Conf. Antinomiae cosmologicae solutio critica Dial. transsc. Lib II. Cap. 2. Sect. quart. Apotom. 3.)

§. 4.

Corollaria a postulato possibilitatis deducta.

1) In postulato possibilitatis, vti vidimus, id requiritur, vt conceptus rei possibilis congruat cum conditionibus formalibus experientiae in genere. Quare omnem conceptum, in quo synthesis reperitur nullatenus ad experientiam pertinens, quippe quae nec ab experientia desumta sit, vti in conceptibus empiricis, nec talis, cui omnis experientia vt eiusdem formae a priori superstructa est, vti in conceptibus puris, vanum esse oportet omnique realitate obiectiua plane destitutum. Vndenam enim possibilitas obiecti per conceptum syntheticum a priori cogitati cognosci poterit, nisi haec synthesis, per quam formatus erat, cum conditionibus experienitae formalibus congruat? Logica igitur illa conditio, ne conceptus contradictionem inuoluat, quamquam necessaria sit; haud tamen ad conciliandam conceptui realitatem obiectiuam, i. e. ad possibilitatem obiecti eiusdem constituendam sufficit. In conceptu enim figurae duabus lineis rectis circumscriptae nulla continetur per se contradictio, nam nec notio duarum linearum nec earumdem contactus negationem inuoluunt figurae conceptum tollentem. Attamen talis figura impossibilis est, verum haec impossibilitas non in conceptu sed in eiusdem constructione in spatio sita est; repugnat enim conditionibus spatii, quae formam omnis externae experientiae continet a priori.

2) Quamquam igitur res aliqua perdurabilis sine contradictione cogitari possit in qua, omnis mutatio

tamquam modi existentiae eiusdem praeteriens determinatio repraesentatur, atque etiam aliquis huius substantiae status mente effingi queat, quo posito alius semper et necessarie subsequatur, aut denique talis in diuersis substantiis mutua relatio cogitabilis sit, secundum quam determinatio aliqua vnius effectum producit in altera, et vice versa: tamen ex hisce meris conceptibus obiectiua vel substantiae, vel causalitatis, vel denique commercii substantiarum mutui realitas deduci nequit. Ad hanc igitur probandam ostendendum erat, in hisce conceptibus necessariam exhiberi perceptionum relationem a priori, sine qua nulla omnino experientia possibilis foret, id quod in deductione summi propositionum fundamentalium quoad relationem principii factum est. (conf. huiusce Apotomes No. 2) §. 1 — 4.) Quicunque vero conceptus de substantiarum naturis, viribus, aut commerciis, sic potius vel aliter determinatis, qualia sunt a feruida quorumdam imaginatione excogitata de hominum communione aliqua in distans per cogitationem indeque effectam interni sensus affectionem aut de substantia in spatio praesenti nec vero ipsum secundum extensionem complente commenta, autoritate carent experientiae, nec cum ipla aut a priori vt eiusdem formae necessariae (sicut praedicamenta) aut a posteriori per sensationem cohaerent, hi omnino pro vanis i. e. fundamento possibilitatis omnino carentibus habendi sunt.

Videtur quidem possibilitas trianguli ex ipso eiusdem conceptu nulla adhibita experientia cognosci posse; et id quidem extra omnem dubitationem positum est, posse conceptui trianguli obiectum dari a priori, id quod construere triangulum appellamus. Verumtamen haec ipsa quam sic construimus forma semper tamen merum imaginationis ens foret, eiusque possibilitas dubia maneret vsque, nisi conceptu

aliqui

aliquid accederet, quod certo fundamento obiectiuam ipsius realitatem superstrueret. Hoc autem in eo versatur, quod ad triangulum construendum eadem vtimur synthesi in spatio circumscribendo, quam in apprehensione phaenomeni adhibemus, dum illud sub conceptum empiricum comprehendimus. Quae igitur circumscriptio spatii cogitatur in figuris geometricis, a priori, ei omnino obiectum congruens dari posse oportet in experientia, quum spatium sit formalis experientiae externae a priori conditio. Sic igitur conceptus omnes de quantis continuis, imo de quantis omnino, quae non nisi synthetice cogitari possunt (conf. introductionis §. VI.) realitate valent obiectiua, non ex simplici notione sed ex adhaerente ipsis obiectorum in experientia determinandorum conditione deriuanda; statque principium nostrum, correspondentia conceptibus obiecta nusquam nisi in experientia, per quam solam obiecta dari possunt, inueniri posse, realitatemque conceptuum obiectiuam in congruentia cum conditionibus experientiae formalibus vnice ponendum esse.

§. 5.

Corollaria a postulato realis existentiae deducta.

1) Ad realitatem seu existentiam rei alicuius per conceptum cogitabilis cognoscendam perceptio de ipsa requiritur siue sensatio cuius ipsi nobis conscii sumus. In mero conceptu rei, vti vidimus, (cf. Annot. ad §. 1.) nullum existentiae criterium potest inueniri. Haud enim, quando de existentia sermo fit, quid res sit aliqua, quaeritur, — id quod ad conceptum pertinet, — sed an res talis, qualem mente concipimus, data sit, ita vt eius perceptio conceptum posit antecedere? Conceptus enim perceptionem antecedens meram rei possibilitatem sistit, ex perceptione autem sola,

la, quae materiam conceptus suppeditat, reali
probatur.

2) Potest autem quodammodo ante percepti
nem existentia rei cognosci a priori, si quidem ei
dem positio cum perceptionibus aliis secundum pr
cipia nexus earumdem empirici, (i. e. secundum
ges experientiae congruentis supra expositas) coh
ret. Tunce enim a perceptione aliqua vere data i
pientes id quod cum ipsa secundum istas leges con
xum est, vt necessarie existens ponimus, quamqu
in sensus propter subiectiuam eorum insufficienti
non cadat. Sic v. g. e perceptione ferri attracti,
corporum per frictionem adsiduam incalescenti
materiam magneticam et igneam in corporibus in
sam esse colligimus, quamquam propter eximiam e
dem tenuitatem sensibus nostris quippe rigidiori
percipi nequeat. Quam late igitur patet percep
num connexorumque cum ipsis secundum leges
piricas cogitabilium campus, eo vsque cognitio no
de existentia rerum pertinet; quidquid hosce per
perientiam definitos limites excedit, in rerum ve
stentium positione vanum est, fundamentoque o
cognitionis carens. Quid autem contra indirect
existentiae rerum externarum demonstrationem e
rumdem perceptione aut nexu necessario proferat i
lismus, et quonam refutari debeat modo, hoc ne
positionis postulatorum filum interrumpatur, se
ne quarta subsequenti pertractabimus.

§. 6.

Corollaria ad postulatum necessitatis pertinentia.

1) Quod ad postulatum necessitatis attinet, i
materialem cogitari existentiae necessitatem, hau
ro formalem siue logicam in connectendis rerum
ceptibus meris, ex ipsa postulati enunciatione (§.
perspicitur.

2)

2) *Non substantiarum ipsarum, sed status earumdem necessitas ex legibus empiricis nexus causalis per praecedentes status in perceptione datos cognosci potest.*

Necessitatem siue existentiam rei alicuius necessariam sensibus percipi non posse, quilibet facile intelligit. Haud tamen propterea ex mero rei alicuius conceptu, sed ex nexu cum eo, quod perceptum habemus secundum leges experientiae vniuersales, necessitas deducitur, quemadmodum, vti dictum est, existentiam eam, quae percipi nequit, ex nexu cum alia experientia data rite colligimus. Nulla autem existentia est, quae sub conditione aliorum phaenomenorum datorum vt necessaria cognoscatur. quam *existentia effectuum* (siue eius quod fit) ex caussis datis secundum legem caussalitatis. Effectuum igitur in natura, quorum caussae nobis datae sunt, necessitatem solam cognoscimus, quum vero substantiae numquam vt effectus empirici siue vt aliquid quod fit atque incipit considerari possint, inde efficitur, de earum existentia numquam, sed tantum de effectibus vt status ipsarum modificationibus necessitatem posse praedicari. Necessitas igitur existentiae experientiae possibilis dominium non excedit, et in hoc ipso non de existentia rerum vt substantiarum, sed tantum de effectibus siue de statu permutabili earum quatenus incipit et transit, valere cognoscitur. Criterium igitur necessitatis in ea experientiae possibilis lege situm est, secundum quam omnia quae fiunt per caussam phaenomenon a priori determinata esse cognoscitur.

Necessitas igitur vnice in relationes phaenomenorum secundum legem dynamicam causalitatis cadit, fundamentoque nititur possibilitatis in lege expressae, ab existentia data (causae) ad existentiam alteram (effectus) concludendi.

 3) Duae

9) Duae sunt leges naturae a priori ex hoc principio necessariae consecutionis effectuum e causis congruis deriuatae. *In mundo non datur casus, non datur fatum.*

Non datur casus, idem est ac si diceres, nihil fit fortuito, vel sine ratione sufficienti. De eo enim quod fit, experientia non est possibilis nisi sub hac conditione, vt a certa caussa effectus pendeat. (Conf. Apotome 2 da a. §. 11.)

Quum igitur omnis experientia commutationum tantum sub lege necessariae consecutionis effectus ex caussa possibilis sit, inde quoties caussa adest etiam effectum inevitabiliter subsequi, nec non vbi effectus cernitur, ibi caussam necessarie praecedentem cogitari debere, propterea que nihil luso quodam fortunae arbitrario fieri, certissime concluditur.

Non datur fatum i. e. necessitas, quae obtinet in rerum natura, non coeca est, sed conditionata, (sub conditione scilicet caussae positae effectu subsequente) et consequenter per intellectum comprehensibilis, i. e. quaerentibus nobis cur hoc vel illud phaenomenon sic nec aliter eueniri debuerit ratio reddi potest: nec fata orbem regere quemadmodum Manilius voluit, quae arbitrium siue decretum absolutum pro ratione posuerint, sed iusta causarum atque effectuum consecutione omnia comprehendi intelligitur. Per hasce duas leges ex principio caussalitatis coniunctim cum lege necessitatis conflatas lusus commutationis phaenomenorum naturae legibus adstrictae subiicitur; (conf. Apotomes 2dae a) §. 18. obs. 2.) seu rectius sub vnitate intellectus comprehenditur, per quam solam vnitas aliqua synthetica phaenomenorum in experientia rationabili cogitari potest.

Hae duae naturae leges a priori dynamicae eodem iure appellantur, quo supra (Apotomes 2dae §. 1.)

§. 1.) propositiones eas, quibus superstructae sunt, dynamicas vocauimus, quoniam scilicet ad *existentiam* obiectorum sub leges intellectus comprehendendam spectant.

Hisce legibus naturae dynamicis si eas addimus, quae, ex principio continuitatis phaenomenorum deriuatae, in sectionis nostrae apotome prima (§. 5.) expressae sunt, in mundo scilicet nec *saltum* dari nec *hiatum*, tunc conspectum habemus legum naturae ad quatuor praedicamentorum intellectus puri ordines redactum, easque omnes in eo conuenire intelligemus, ne in empirica phaenomenorum synthesi aliquid admittatur, quod vnitatem conceptuum intellectus puri, quae continuum phaenomenorum sub ipsos subsumendorum nexum postulat, tendat infringere.

§. 7.

Intellectus circa quaestionem metaphysicam, an possibilium latior sit campus quam realium in experientia exhibitorum, nihil omnino definit.

Saepissime quaesitum fuit a metaphysicis philosophis, annon multo vastius regnum possibilitatis cogitatione effingere debeamus, quam realitatis, ita vt quae in experientia exhibeantur realia, exiguam tantum partem efficiant eorum, quae sub charactere possibilitatis cogitentur. Ad resoluendam hanc quoque quaestionem demonstrationes excogitatae fuerunt, quarum vana, si verbo vti licet, species iam nostram in inscriptione paragraphi propositam sententiam videtur confirmare. Primum enim sic ratiocinantes:

„omne reale est possibile, et consequenter per „inuersionem logicam: aliquid possibile est reale; „datur igitur aliquid possibile quod non item rea-

„le est, possibilium igitur numerus realium ma-
„ior est„
magni aliquid se nactos esse arbitrati sunt.

At id non videbant, sic logice inuertendo se de meris conceptibus circa possibilitatem rerum ac realitatem agere, a quibus ad res ipsas determinandas transiri non potest. Ponamus enim in hypothesi — id quod re vera fieri nequit — demonstratum esse argumentis euidentibus, omne possibile quoque reale esse, nec latius patere campum possibilitatis quam realitatis, tunc in propositione illa: omne reale est possibile, praedicatum eundem haberet ambitum quam subiectum. Inuersio igitur ista logica aeque fallax foret, ac si propositionem eam: omnes aues rostrum habent corneum ita inuertere velles: quaedam rostro corneo instructae sunt aues, quum rostrum corneum generica sit auium ordinis nota, ita vt potius dicere debeamus, omnia quae rostro corneo praedita sunt animalia, aues sunt.

Alii autem ex eo iam possibilium maiorem esse numerum quam realium concludere voluerunt, quod ad realitatem aliquid insuper accedere debeat, quod non inueniatur in possibilitate. Verum nihil ad rem ipsam determinandam accedere posse, quae non possibilis solum sed et iam realis declaratur, in aprico est, quidquid enim supra id, quod possibile est, adderetur, id impossibile foret et per consequens reale esse non posset. Verum vti saepius iam notatum est, dum realem rem aliquam praedicamus, positio tantum huiusce rei in nexu cum perceptione aliqua empirica declaratur. Quid autem circa hanc, quam tractamus, quaestionem intellectus iudicare debeat, facile perspicitur. Quum enim eius functio vnice versetur in synthesi eorum, quae seu directe seu indirecte per nexum cum perceptionibus directis necessarium data sunt; decisio eius quaestionis, an aliae cogi-

cogitari possint perceptiones (et per consequens alia ipsis correspondentia realia,) quam quae ad nostrae experientiae complexum pertineant, plane ad ipsius forum non pertinet; nec hoc sub indice lis dirimi poterit. Ponamus hoc quoque, posse nos alias formas tam intuitionis quam cogitationis effingere, quam eas spatii et temporis, quibus intuitio, et praedicamentorum, quibus intellectus adstrictus est, per has tamen nulla omnino obiectorum cognitio nobis praeberi posset, quum natura nostra ad experientiam, in qua sola ipsi obiecta praeberi possunt, restricta sit. Huic autem experientiae intellectus legem dicit a priori secundum subiectiuas et formales sensualitatis atque apperceptionis formas, alius autem ipsius ad cognoscendum vsus non datur. Quare an alia quaedam phaenomenorum series et per consequens diuersum a nostro experientiae sistema detur, seu vna tantum omnia complectens experientia possibilis sit, ab intellectu plane in medio relinquitur; ante tribunal rationis res erit sistenda, quae quid circa possibilitatem absolutam statuat, paullo inferius explorabimus.

CAPITIS II.

Sectio Quarta, exhibens

Confutationem Idealismi.

Supra ad sectionis praecedentis Apotomen adam (§. 5.) idealismi mentionem fecimus, vt ea, quae de realitate et testimonio perceptionis empiricae et per nexum cum perceptionibus empiricis postulanda dixeramus, improbantis. Hac igitur sectione et quid sibi velit et quomodo refutari debeat idealismus, nobis explicandum sumsimus.

§. 1.

Idealismum materialem (de hoc enim vnice hic agitur) ea appellamus philosophorum quorumdam theoriam, secundum quam existentia obiectorum in spatio positorum aut in dubium vocatur, quoad eius demonstrandae possibilitatem, aut plane vt imaginationis per speciem vanam deceptae commentum reiicitur.

Idealismum igitur duplicem esse intelligimus, *problematicum* vnum, cuius autor fuit Cartesius *) qui eam tantum assertionem empiricam, secundum quam de me ipso existentiam siue τὸ εἶναι praedico, pro indubitata habuit, ceterorum existentiam vtpote indemonstrabilem in medio relinquendam esse censens; alterum *dogmaticum*, quem Berckleius Episcopus Londinensis professus est **) qui spatium cum omnibus, quibus illud inhaeret, rebus, pro impossibili et per consequens res in spatio positas pro meris speciebus imaginatione exhibitis habuit. Idealismus dogmaticus originem trahit ex peruersa opinione de spatio rebus per se inhaerenti attributo; refutatur igitur aesthetica nostra transscendentali, vbi spatii realitas obiectiua, quae Berkeleium in errorem induxerat, negatur, at subiectiua ipsi vt formae intuitionis externae tribuitur, in qua non res per se, de quibus nihil omnino cognosci potest, sed rerum phaenomena exhibentur. (conf. Aesthetic. transscendental. Epilog. obs. 3.) Hic igitur vnice cum idealismo problematico nobis res erit, qui quum internam de nostra ipsorum existentia experientiam nobiscum accipiat, externam autem

cu

*) Conf. eiusdem meditatt. de philosophia prima et principia philosophiae prima.

**) Conf. *Berkeleii* Dialogues between Hylas and Philonous.

cum ea omnem extra nos exiſtentiam, quae non niſi per experientiam externam probari poteſt, in dubium vocet, haud aptiori modo conſutari poterit, quam ſi experientiam iſtam internam, quam nobis concedit, haud eſſe poſſibilem niſi ſub conditione experientiae externae, hacque ſublata illam vna tolli, hoc euidenter ex ipſa internae experientiae natura demonſtrauerimus. Ea igitur, quam demonſtrandam habemus, theſis ſic habet.

§. 2.

Id ipſum quod exiſtentiae meae vt empirice determinatae mibi conſcius ſum, exiſtentiam obiectorum extra me in ſpatio probat.

Exiſtentiae meae vt in tempore determinatae mihi conſcius ſum. Nulla autem determinatio in tempore cogitari poteſt, niſi aliquid perceptionis ponatur ſubſtratum perſiſtens, in quo ſolo relationes ad tempus poni poſſunt. (cf. Sect. 3. Apotomes adae §. 5 ſqq.) Vt igitur me ipſum ponere poſſim in tempore, ſubſtratum aliquod perſiſtens requiritur, in quo exiſtentiae meae relationem ad tempus quaſi metiri, durationemque eius comparando colligere poſſim. Hoc autem quod quaerimus perdurabile nihil eſſe poteſt in me, quoniam exiſtentia mei in tempore primum per illud determinatur ſiue cognoſcibilis fit. Perceptio igitur huiusce perſiſtentis tantum per rem vere extra me exiſtentem, non per meram rei externae repraeſentationem poſſibilis eſt.

Exiſtentiae igitur meae in tempore determinatio, tantum per realium, quae extra me percipio, exſiſtentiam poteſt comprehendi. Conſcientia autem, meae ipſius in tempore determinatae exiſtentiae non cogitari poteſt niſi arctiſſime coniuncta cum conſcientia conditionis eius, ſub qua ſola haec in tempore deter-

determinatio possibilis est; hae cautem conditio quum, vti vidimus, in existentia rerum extra me consistat, inde efficitur, cum conscientia meae ipsius existentiae conscientiam existentiae rerum externarum immediate connexam esse, ita vt prior sine posteriori omnino cogitari nequeat.

§. 3.

Absoluta mei ipsius vt existentis conscientia, quae in simplici cogitatione: „sum,“ continetur, nondum cognitionem de me ipso empiricam i. e. experientiam constituit, sed ad hanc efficiendam praeter cogitationem de aliquo vt existenti intuitio insuper accedere debet, et quidem interna in tempore, in relatione ad quod subiectum determinari debet; id quod tantum per obiecta externa fieri potest.

Hoc modo id quo Idealistarum systema nititur argumentum inuersum contra ipsos dirigimus. Idealismus enim internam experientiam solam pro directa habens, ex qua secundum ipsum ad obiectorum externorum existentiam tantum concludatur, hanc conclusionem eodem iure labefactabat, quo semper, quando ex datis effectibus ad certas definitasque caussas concludimus, dubitationi locus relinquitur. Quare existentiam rerum externarum in medio relinquendam esse censebant Idealistae, quoniam earum, quae in mente nostra praetereunt, repraesentationum caussa etiam in nobismet ipsis forsan inueniri potest. Nos autem inuerso argumento haud quidem absolutam nostrae ipsorum existentiae conscientiam sed experientiam tamen de ipsa internam mediate tantum, nec nisi sub conditione experientiae externae (de substrato persistenti obiectorum externorum) possibilem esse concludimus.

Miri-

Mirifice autem cum hac noſtra expoſitione facultatis cognoſcitiuae vſus in tempore determinando congruit. Omnis enim temporis determinatio tantum ex fluctuantibus obiectorum externorum ad perſiſtentia in ſpatio relationibus deducitur, quemadmodum cum ex variabili ſolis ad obiecta terreſtria ſtatu tempus metimur.

Conſcientia autem mei ipſius, ex abſoluta perſonalitatis meae (τȣ: Ego) repraeſentatione oriunda, nullam omnino intuitionem ſed intellectualem tantum ſpontaneitatis ſubiecti cogitantis notam inuoluit, quare nullum inde intuitionis praedicatum repetere poſſumus, in quo vt perſiſtenti temporis in ſenſu interno determinandi correlatum contineretur.

Nihil igitur nobis reſtat perdurabile, in quo vt intuitiuo conceptus ſubſtantiae realiter ſiſti poſſet niſi *materia*, hanc ipſam autem eiusdem perdurabilitatem haud experimur, ſed a priori, vt quae ſit omnis determinationis in tempore conditio neceſſaria, (conf. leges experient. congruentis Sect. III. Apotome ada a) edocemur. Ab hac igitur conditione etiam meae ipſius exiſtentiae determinatio in tempore i. e. empirica mei ipſius cognitio per ſenſum internum pendet; id quod nos iterum ad theſin noſtram reducit, experientiam internam, niſi praeſuppoſita externa, non eſſe poſſibilem.

CAPI-

CAPITIS SECUNDI

SECTIO QUINTA, EXHIBENS

Obseruata ad conspectum propositionum fundamentalium generalia.

Obseruat. 1. Per praedicamenta, simpliciter considerata, nihil omnino cognoscitur, sed sunt cogitationum formae, secundum quas ex datis intuitionibus cognitio efficitur. Possibilitatis enim rei cuiusdam ex mero praedicamento intelligi nequit, sed ad eam comprehendendam intuitione egemus, eaque externa, in qua obiectiua praedicamenti realitas sisti possit.

Exemplo vtamur a praedicamentis relationis desumto. Ex meris conceptibus quomodo aliquod existere possit, non vt aliarum rerum modificatio sed vt substantia, per se non intelligitur; verum ad talem conceptum obiectiue sistendum persistens aliquod atque perdurabile in intuitione dari debet. Hoc autem conceptui substantiae correspondens perdurabile non nisi externe i. e. per intuitionem (materiae) in spatio exhiberi potest. In spatio enim solo perdurabilis existentia determinari potest, quum tempus et omnia quae in sensu interno continentur, aeternae fluctuationi obnoxia sint. Pari modo positio alterius propter alterius existentiam et per consequens possibilitas rei alicuius tanquam causae, alteram (effectum) producentis, ex meris rerum notionibus minime efficitur, sed correspondens ipsi requiritur intuitio *commutationis* siue coniunctionis determinationum contrarie oppo-

positarum in existentia vnius eiusdemque rei. Haec autem commutatio non nisi per motum, seu vnius eiusdemque puncti diuersam secundum loca in spatio existentiam, ex contrariis determinationibus oriundam, repraesentari potest. Nam vt commutationes internas siue successiuam nostrum ipsorum per diuersos status existentiam cogitare possimus, imaginem temporis fingimus lineam, et sic commutationem internam per huiusce lineae generationem successiuam (quae fit per motum puncti continuatum) in intuitione externa comprehensibilem reddimus. Omnis enim commutatio, vt qua talis cognoscatur, perdurabile aliquod requirit; in sensu autem interno perdurabilis intuitio non datur. Similis est casus praedicamenti communionis seu concurrentiae. Quomodo enim compluribus obiectis positis per vnius existentiam aliquid poni possit in altera, et versa vice nullo modo ex conceptibus nec rerum, nec existentiae, nec simultaneitatis deriuari potest. Accedente autem intuitione spatii externa facillime comprehenditur. Relationes enim externae formales continentur in spatio, per quas reales secundum actionem et reactionem relationes, in quibus influxus ille concurrentiae mutuae consistit, fiunt possibiles. Pari modo facillime deduci potest, possibilitatem rerum secundum reliqua praedicamenta, (e.g. quantitatis, per quam vt quanta extensiua repraesentantur) tantum in intuitione externa posse exhiberi. Verum hanc deductionem ad exemplar anterioris facili opera instituendam, ne nimii fiamus in argumento, lectoris sagacitati relinquimus.

Obs. 2.) *Quum per meros conceptus puros nihil omnino cognosci possit, inde efficitur, propositionem syntheticam ex meris praedicamentis demonstrari non posse.*

In

In propositionibus enim syntheticis vltra obiecti conceptum egressi cum ipso alium coniungimus conceptum, qui nequaquam in priori continetur. Horum autem conceptuum rite et legitime factam esse coniunctionem ex meris cogitationum formis omni realitate obiectiua destitutis quomodo efficeretur? Quare semper in tali demonstratione, quae congruenti intuitionis fundamento carebat, claudicatum fuit. Exemplo ponatur ista thesis: omne, cuius contingens est existentia, caussam habet. Haec quidem thesis sensui communi ex mero contingentiae conceptu probari posse videtur, tunc autem non contingentia intelligitur modalitatis necessitati opposita, (conf. tabula praedicamentorum Analytic. transsc. Lib. I. Cap. II. Sect. II. §. 1.) verum contingentia relationis: quaeque synthetica erat ex instituto, in analyticam conuertitur propositio. In contingentia enim secundum relationem aliquid cogitatur, quod tantum vt consecutiuum ex altero existere potest, tuncque mere analytica euadit propositio. Id enim quod tantum vt consequens existere potest ex altero, caussam vt habeat necesse est. Sin autem synthetico modo hanc propositionem „omne contingens caussam habet,„ intelligimus, tunc contingentia cogitatur modalitatis, necessitati opposita, secundum quam contingens id esse dicitur, cuius non - existentia est cogitabilis.

Eiusmodi autem contingentium existentiam necessarie a caussa aliqua pendere, hoc ex meris conceptibus demonstrari nequit, quum, vti antea vidimus, possibilitas alicuius rei, vt alteram per nexum caussalem determinantis, ex sola notione elici nequeat. Id quidem affirmare licet, nos nullo modo contingentium existentiam a priori posse comprehendere, nisi per eiusmodi relationem caussalem; at exinde nondum efficitur, hunc nexum etiam conditionem esse ipsius rerum possibilitatis. Realem igitur contingentium a caussa

aliqua

aliqua dependentiam non nisi per assumtam experientiae possibilitatem demonstrare poteramus, (vid. supra ad principium caussalitatis) eorum quae fierent siue omnis in genere commutationis experientiam sub hoc tantum principio possibilem esse ostendendo. Pollebat igitur principium nostrum caussalitatis tantum, quatenus conditionem continet experientiae possibilis siue cognitionis obiectorum in intuitione empirica exhibitorum. Haud igitur ex meris conceptibus sed experientia demum assumta, contingentium a caussis dependens existentia demonstrari potest, quum absque hoc principio experientiam haud esse possibilem constet.

Obs. 3.) Summa omnium, quae hucusque de propositionibus intellectus puri fundamentalibus diximus, haec est: propositiones intellectus puri fundamentales sunt principia possibilitatis experientiae constituendae, nec nisi in relatione ad conditionem experientiae possibilis synthetice quicquam iudicari potest a priori.

ANALYTICES PROPOSITIONUM FUNDAMENTALIUM

CAPUT TERTIUM.

De fundamento, secundum quod inter obiecta phaenomena et noumena distinguitur.

Transitus nexum huiusce capitis cum praecedentibus sistens.

Propositiones fundamentales a priori nullum habent usum transscendentalem sed unice empiricum.

Hactenus omnem intellectus puri prouinciam emensi limitibus illam a natura constitutis inclusam inuenimus,

intra quos omnium cognoscibilium formae continentur, atque principia veritatis, necessaria quidem illa at inania, nisi materiem ipsis experientia praebeat. At gestit fraeni impatiens ratio hosce limites excedere, nec iis contenta cognitionibus, quas intra eosdem sibi comparare potest, noua cupit detegere, ac speciebus plerumque vanis cognitionum circa intelligibilia decepta, veritatem ipsis tribuit obiectiuam, eo libentius, quo maioris momenti ea sunt, quae quaeruntur, at propter mere intelligibilem ipsorum naturam, cui correspondens in experientia obiectum non exstat, demonstrari nequeunt. Vt igitur ea, quae per intellectum sciri cognoscique possunt, probe ab iis distinguantur, quae vt rationis purae commenta reali cognoscibilium charactere carent, breui quae hucusque de vsu tam conceptuum quam principiorum intellectus puri ipsis superstructorum diximus, resumere libet; quo facto facilius euadet de suprasensibilibus iudicium. Haec enim quamquam obiectiua omnino destituta sint cognitionis realitate, tamen sub ineuitabili sese offerunt veritatis specie, qua decepti maxima pars philosophorum hucusque in grauissimos errores contrariasque sibi opiniones delati sunt. Vt igitur ad paragraphi argumentum recurramus, id ante omnia constat, duplicem cogitari posse vsum conceptuum, quos intellectus ex se ipso promit, et ex quibus assumta sensualitatis forma a priori propositiones efficit omni cognitioni fundamentales: transscendentalem vnum, si conceptus ad res in genere et per se cognoscendas (vti fit in ontologia, quam dicunt, rationali), alterum empiricum, quando ad phaenomena tantum i. e. obiecta in experientia dabilia applicatur. Deinde autem patet, priorem vsum, transscendentalem puta, vanum esse, nec per hominum naturam alium ipsis praeter empiricum concedi. Ad conceptus enim realitatem duo sunt, quae requiruntur: primum forma cogitandi logica,

se-

secundo loco obiectum correspondens in experientia possibili. Sin autem nullum in intuitione correspondens obiectum dari potest, inanis est conceptus significatuque omni destitutus. Obiectum autem conceptui correspondens non nisi per intuitionem datur, quae etiamsi pura est et ante obiecti ipsius exhibitionem in imaginatione, possibilis (vti in mathematicis) — tamen obiecto eget phaenomeno per intuitionem empiricam repraesentabili, vt inde significatum i. e. realitatem cognitionis accipiat. Omnia enim, quae per intuitionem puram a priori cogitantur, vti, „spatii tres „sunt dimensiones, inter duo puncta vna tantum linea, „recta esse potest,„ et quae plura sunt eiusmodi, quamquam a priori iudicata, tamen verba tantum et voces forent omnique applicatione vsuque carerent, si in obiectis empiricis realitas ipsorum significatusque haud posset demonstrari. Quare etiam per constructionem formae sensibilia, quae placitis suis correspondeant obiecta, geometrae efficiunt, Arithmetici quantis suis per numeros, numerique abstractae notioni per puncta, commata, lapillos, et quae plura sunt calculi vehicula sensibilia, obiectiuam realitatem conciliant.

Eandem prorsus esse praedicamentorum rationem, iam exinde elucet, quod nullum ipsorum *realiter* i. e. ita definire possumus, vt obiecti ipsorum possibilitas comprehendi possit, nisi ad conditiones sensualitatis i. e. formam phaenomenorum recurramus. Ad phaenomena igitur cognoscenda omnis praedicamentorum vsus restrictus esse debet, quoniam hac conditione sublata omnis eorumdem significatio vna concidit, nec omnino comprehendi tunc potest, quidnam rei sit praedicamentum aut quaenam talis omni obiecto destitutae formulae vis et significatio?

Vt exemplo haec, quae dicta sunt, illustremus iam quid inuoluat conceptus quantitatis consideremus.

Quantitas quid sit, ita debet explicari, vt determinationem eam esse dicas rei, per quam, quoties vnum in ipsa contineatur, cogitari potest.

Huic autem determinationi sensualis inest conditio, synthesis scilicet similium in tempore. *Quotitas* enim repetitionem successiuam inuoluit, quae non nisi in tempore fieri potest. Pari modo qualitas in realitate negationi opposita non potest explicari, nisi notione temporis, — quod aut completum est aut vacuum, — assumta. Similiter substantiae quoque conceptus omni significatu caret, si ab ipso perdurabilitatis characterem, qui existentiam inuoluit in omni tempore, separamus. Hoc enim ablato ad conceptum substantiae formandum nihil superest, praeter logicam de subiecto repraesentationem, secundum quam aliquid mihi fingo, quod numquam vt alterius praedicatum verum vnice vt subiectum possit existere. An autem tale aliquid et sub qua conditione possit existere, hoc omnino ex conceptu logico non prodit, quare etiam nulla ipsi obiectiua realitas seu vera ad obiectum aliquod determinandum significatio tribui potest. Parilis est ratio praedicamenti caussalitatis, quod si pure, i. e. conditione sensuali temporis, in quo diuersa sibi succedunt *ex lege*, remota, consideramus, id tantum significat, ex quo ad alterius existentiam conclusio fieri potest. Sic autem non solum qua in re caussa distat ab effectu non comprehenditur, sed conceptus quoque ob defectum conditionum, sub quibus isto modo colligi posset, nullam omnino ad obiecta applicationem admitteret. Afferunt quidem Metaphysici, nec sine specie quadam veritatis, principium illud: „Omne contingens caussam habet,„ quasi per se firmum et ad obiecta absque vllo sensualis conditionis adminiculo applicabile. Verum diligentius rem examinantes ex ipsa contingentis notione omnem huic quo-

qu(

que conceptui realitatem ex conditionibus determinationis in tempore conciliari apparebit. Nam quid ſit contingens ſi quaerimus, reſpondent: id, cuius non-exiſtentia ſit poſſibilis, eſſe contingens. Iam autem elucet hanc non-exiſtentiam omnino non eſſe cogitabilem, niſi cogitetur in ſerie phaenomenorum ſucceſſio aliqua, in qua exiſtentia ſit non-exiſtentiam ſubſequens, aut non-exiſtentia exiſtentiam alternatim excipiens. Haec autem alternatio in tempore tantum poteſt cogitari. A logica igitur non — exiſtentiae poſſibilitate ad obiectiuam rerum contingentiam non valet concluſio. Quod autem ad conceptum attinet commercii, huic per ſe et pure cogitato nullam tribui poſſe obiectiuam realitatem, quum alternatiuam in ſubſtantiarum mutuis determinationibus cauſſalitatem inuoluat, iam exinde elucet, quod nec ſubſtantiae nec cauſſalitatis puris praedicamentis talem ineſſe realitatem vidimus.

De praedicamentis modalitatis ſilemus, nimis enim apparet, tam poſſibilitatem quam exiſtentiam et neceſſitatem ex meris conceptibus ab intellectu puro petitis comprehendi non poſſe, niſi tautologicam explicationem pro definitione habere velis. Logicam enim conceptus rei poſſibilitatem, quae in abſentia determinationum ſibi repugnantium conſiſtit, qui pro poſſibilitate rerum ipſarum transſcendentali in genere ſubſtituere volet, ne tironem quidem philoſophiae amplius poterit decipere.

Stat igitur ſententia, conceptuum purorum nullam cogitari poſſe realitatem, i. e. nullum ipſis tribui poſſe ſignificatum, niſi ad intuitiones empiricas ſeu data experientiae poſſibilis (phaenomena) referantur. Quoniam autem, dum obiecta intuitionum, vt talia, phaenomena appellamus, per id ipſum ea cogitatione diſtinguimus ab obiectis, qualia ſunt per ſe, inde effici

ei videtur, posse obiecta per intellectum purum cogitari eo respectu, quo per se (i. e. destituta ab omni charactere sensibili) existere reputantur. Hoc igitur respectu considerata haec obiecta *noumena* appellari posse videntur, quasi quae non percipiantur sed per intellectum vnice cogitentur. (*νοῦνται.*) Ad quae noumena etiam ea licet referre, quae quamquam nullatenus intuibilia sint, i. e. in sensus omnino non cadant, tamen per intellectum vt possibilia cogitationis entia repraesentantur. Hic autem facillime in errorem delabimur, dum, inter obiectum quatenus illud intuemur (phaenomenon) et quatenus illud vt per se existens cogitamus (*νοούμενον*) distinguentes, simplicem indefinitamque de re vt non sensibili repraesentationem per *conceptus* determinari seu de re, per se repraesentata, (noumeno) conceptus formari posse arbitramur. Quum enim in intellectu puro nullae aliae inueniantur conceptuum formae praeter praedicamenta, inde obiecta, quà noumena, per hosce conceptus puros cogitari posse nobismet ipsis facile persuademus, indefinitamque de ente mere intelligibili notionem pro conceptu definito entis per merum intellectum cognoscibilis habere inducimur. Quare quid de noumeno in genere modoque, quo illud in mente nostr. exhibetur, recte sentiendum sit, iam nunc erit disquirendum.

§. 1.

Noumenon quid sit, a) *sensu negatiuo*, b) *sensu positiu*

Rem quatenus non est obiectum intuitionis per sensus, noumenon dicere licet sensu negatiuo; quatenus vero eadem repraesentatur vt obiectum intuitionis non - sensualis (i. e. intelligibilis) *noumenon foret sensu positiuo.*

In noumeno per ſignificationem negatiuam cogitato abſtractionem fieri videmus a noſtro obiecta intuendi modo per formas ſenſualitatis et intellectus determinato; in Noumeno poſitiuo inſuper aſſumitur alia intuitionis forma, quae non a ſenſualitate pendens per intellectum fieri cogitatur. Hac de re quid ſentiendum ſit ſtatim videbimus.

§. 2.

Noumenon ſenſu poſitiuo cogitari nequit.

Conceptum de Noumeno ſignificatione poſitiua omni realitate obiectiua carere facile eſt intellectu. Cogitari enim, vti ſaepiſſime iam monuimus, idem eſt ac intuitionem datam ad obiecta referre per praedicamenta. Ademta intuitione omnis ſimul praedicamentorum tollitur realis ſignificatio, nihilque ſupereſt praeter formam logicam cogitationis obiectorum in genere, ſecundum diuerſos quantitatis, qualitatis, relationis et modalitatis reſpectus. Obiectorum igitur hisce praedicamentis correſpondentium poſſibilitas non ex ſola contradictionis in conceptu eorumdem abſentia comprehenditur, ſed ad eam conſtituendam intuitio conceptui correſpondens requiritur, quippe per quam ſolam obiectum fit cogitabile. Omnis enim intellectus puri vſus ad intuitionem ſenſualem adſtrictus eſt, per quam obiecta nobis praebentur, a qua ſi receſſeris, omnis praedicamentorum ad obiecta tollitur relatio.

Ex quo efficitur, ſi ad comprehendenda cogitatione obiecta, quae non vt phaenomena ſed vt entia per ſe conſiderantur, nihilominus praedicamenta adhibere poſſe ſtatuimus, aliam ſimul ſtatui intuitionis formam a conditione ſenſuali remotam i. e. intelligibilem, in qua Noumenon ſenſu poſitivo (videatur §.) exhiberetur. De eiusmodi autem intuitionis intellectualis poſ-

sibilitate, — nedum realitate — quum per nostram facultatem cognoscitiuam nihil omnino statui possit, inde efficitur, praedicamentorum vsum vltra experientiae (i. e. obiectorum in experientia dabilium) fines extendi non posse. Statui igitur omnino noumena debent, vt phaenomenis correspondentia; alia quoque si quis noumena fingere sibi velit omnino sensuali intuitionis facultati non correspondentia (i. e. sub forma phaenomeni non apparentia), nihil officimus, at sanam et limites suos probe cognoscentem philosophiam profitentes de noumenis sensu positiuo nihil liquere asserimus, atque de ipsis omnino per nostri intellectus conditionem, ad experientiae possibilitatem adstricti, aliquid cogitari comprehendique posse negamus. Quidquid igitur de noumenis dicetur, de ipsis sensu negatiuo, secundum quem obiecta significant quatenus non exhibentur in intuitione sensuali, erit intelligendum; quo quidem sensu negatiuo nihil de eo, quid sint obiecta per se aut quomodo cogitari debeant, statuitur, sed limes tantum et terminus ponitur cognitionis humanae, quae vltra experientiam possibilem egredi non potest, ita vt noumena ponere quidem vt phaenomenorum substrata cogetur, at eorum ne possibilitatem quidem nedum naturam atque vim cogitare et comprehendere queat. Per noumenon igitur haud conceptus de obiecto aliquo per intellectum cognoscibili determinatur, sed ea quaestio resoluitur, annon obiecta a lege intuitionis sensualis soluta dari possint? Cui quidem quaestioni ita respondemus, posse quidem talia haud abnegari, quoniam alia quam sensualis intuitio sine contradictione cogitari possit; at haec obiecta dum per praedicamenta cogitari nequeant, non vt obiecta cognitionis nostrae considerari posse. In qua quidem expositione subsistentes, propius eam paragrapho insequenti illustrabimus.

§. 3.

§. 3.

Noumeni conceptus problematicus est et limitans. Limitat enim cognitionem, i. e. intra fines sensualitatis includit.

Problematicum vocamus conceptum, qui a) nulla contradictione interna laborat; simulque b) cum cognitis per intellectum, quibus correspondens in intuitione obiectum datur (i. e. realibus), ita cohaeret, vt finem terminumque legitimum cognitionis possibilis constituat, de quo autem c) nulla comprehendi potest obiectiua realitas. Tria haec, quibus conceptus problematicus absoluitur, praedicata in noumenon cadere, facile est intellectu. Conceptus enim entis, quod non vt obiectum sensuum sed per se cogitari debet, 1) nullam inuoluit contradictionem; audaciae enim foret asserere, nullam omnino praeter sensualem intuitionem dari posse. Cohaeret autem 2) talis noumeni conceptus cum cognitione reali, dum fines eiusdem determinat, omnemque obiectiuam cognitionis realitatem limitibus cognitionis sensualis — includit. Per ipsam enim Noumenorum denominationem id indigitamus, cognitionum non aeque latum esse campum ac eorum, quae per intellectum problematice cogitantur, nec per cognitionem sensualem, (qui vnicus cognitionis modus est in homine) ad rerum per se naturam determinandam perueniri posse. Obiectiua autem 3) realitas seu noumenorum possibilitas, vti iam demonstrauimus, nullo modo comprehenditur, sed cognoscibilium campus vltra phaenomena egressis vacuus est; vnde intellectus vsum problematicum latius patere, quam assertorium, qui obiecto eget per sensualitatem praebito, intelligitur. Praedicamenta enim, quatenus per ea obiecta cogitantur in genere, nulla adhuc ratione habita modi intuitionis, in quo cognoscibilia nobis praebentur, amplioris sunt ambitus quam

formae ſenſualitatis. Omni enim intuitione ſublata, tamen forma cogitationum originaria reſtat ſiue modus multiplicia intuitionis poſſibilis ſub vnitatem intellectus comprehendendi.

At mera hac poſſibilium cogitatione obiectorum tamen non latior definitur ambitus, quam qui per intuitionem ſenſualem deſcriptus erat. Nam extra hanc egreſſi ſi cognitionem tamen quaerimus, obiecta per intellectum purum cogitata per intuitionem intellectualem dari oporteret, quam quidem nullo vnquam iure ſtatuere poterimus. Ergo quod per praedicamenta pura repraeſentatur, nihilominus realitate caret obiectiua, conceptusque Noumeni limitans eſt, ad prohibendum cognitionis ſenſualis vltra terminos ipſius applicationem; quare vſus ipſi praeter *negatiuum* nullus conceditur. Limitat igitur intellectus per conceptum Noumeni ſenſualitatem, ſed propterea proprio ipſi dominio nihil accedit. Cognoſcendo enim ſenſualitatem ad phaenomena tantum pertinere, ipſorum transſcendentale aliquod obiectum cogitat, quod vt phaenomeni cauſſam (proptereaque non ipſum phaenomenon) conſiderat. Hoc autem transſcendentale obiectum nec vt ſubſtantiam nec ſub praedicamentis vel quantitatis vel realitatis cogitari poſſe intelligens, (quoniam horum nulla eſt praeter obiecta ſub forma ſenſualitatis praebita (phaenomena) applicatio) de eo, an in nobis aut extra nos exiſtat, an ſimul cum ſenſualitate tollatur, aut ea ſublata vna concideret, breui de omni quodcunque eſſe poſſit, eiusdem attributo, nihil omnino ſtatuere poteſt. Repraeſentatio igitur talis Noumeni vacua plane eſt, et locum tantum deſignat, vbi cognitionis noſtrae quippe ſenſualis vis atque realitas ceſſare debet.

§. 4.

§. 4.

Obiectorum distinctio in phaenomena et noumena sensu positiuo non potest admitti.

Conceptuum in sensitiuos et intellectuales iusta manet divisio, dantur enim conceptus mere intellectuales; at propter conditionem sensibilitatis, cognitioni necessarie adhaerentem, nec obiectum ipsis correspondens dari, nec obiectiuus aliquis valor assignari potest. Hanc ipsam vero ob caussam obiectorum diuisio in phaenomena et noumena sensu positiuo, ex quibus mundi in sensibilem et intelligibilem distributio orta est, concidit. Mundus enim, quem dicunt, intelligibilis, vtpote qui per nullum praedicamentorum vsum cognosci potest, terminum sistit cognitionis, vltra quem tendere per ipsas cognoscendi leges fas non est; quodcunque igitur sub nomine noumeni cogitatur non nisi per incognitum aliquod nec vnquam cognoscibile potest definiri.

§. 5.

Reiicienda est nouorum quorumdam de mundo sensibili atque intelligibili declaratio, quae cardinem rei non tangit.

Alia adhuc exstat apud recentiores quosdam philosophos de mundi sensibilis atque intelligibilis denominatione explicatio, quae quidem per se nulla difficultate laborat, sed ad rem ipsam, quae tali distinctione petitur, non pertinet; quare etiam, ne conceptus ambiguitate perturbentur, reiicienda nobis videtur esse. Mundum enim sensibilem complexum dicunt esse phaenomenorum, quatenus ea dantur in sola intuitione; quatenus autem nexus eorumdem secundum vniuersales intellectus leges cogitatur, eundem mundum

dum appellant intelligibilem. Sic e. g. in astronomia *theoretica*, quae obseruata in coelo stellato simpliciter exponit, mundus *sensibilis*, in *contemplatiua*, quae astrorum inter se relationes et systemata docet secundum leges aut Copernici aut Newtonii, mundus *intelligibilis* repraesentaretur. Quamquam autem pro certo habendum sit, leges tam intellectus quam rationis ad phaenomenorum cognitionem adhiberi et posse et debere, tamen hoc non est quod quaerimus, quando de obiectis agitur phaenomenis et noumenis; sed id volumus, (nisi subterfugium tantum quaeratur spinosae et difficultatis non nihil exhibentis quaestionis) an vltra phaenomenorum complexum aliquis cogitari possit legum istarum vsus realis; id quod hac disquisitione satis iam pertractatum esse censemus.

Commentatio ad Analytices transscendentalis librum II accessoria de ambiguitate conceptuum reflexionis, ex vsus intellectus empirici cum eiusdem vsu transscendentali permutatione oriunda, siue de Topica transscendentali.

§. 1.

Reflexio transscendentalis quid sit, exponitur.

Reflexio (transscendentalis) *ea est animi operatio, per quam habitum repraesentationum datarum ad fontes cognitionis in nobis, (siue diuersas vires cognoscitiuas) exploramus; ut inde quaenam sit ipsarum inter se relatio, siue quomodo connecti inter se componique debeant, efficiatur.*

Per reflexionem proprie animi significatur ad se ipsum quasi reclinatio, dum repraesentationes exhibitas ante iudicium de obiectis formandum ad diuersas cognoscendi vires applicat, vt inde, ad quodnam forum pertineant siue quonam modo connectere eas debeamus, eluceat. Talis autem reflexio in philosophando maximi sane momenti est, eiusque neglectus errores grauissimos peperit, dum quae ad sensualitatem pertinerent vt in intellectu puro fundata inter se connecterentur, et vice versa. Inde vero iudiciis obiectiuis, ex tali permutatione oriundis, vitium inhaesit, eo latentius, quo difficilius menti humanae persuadebitur, vt, quae vel e consuetudine vel secreta animi propensione praeiudicata altioris cognitionis iactatione sibi blandiuntur, tanquam falsa erroneaque dimittat.

A quo vt nobis vitio caueamus, antequam repraesentationes datas in iudicio aliquo connectamus, adcurate inquirendum erit, ad quam facultatum cognoscitiuarum pertineant, an scilicet ab intellectu vel a sensualitate inter se comparari debeant.

§. 2.

Conceptus reflexionis tales sunt, qui relationem repraesentationum datarum, secundum quam in vna eademque facultate cognoscitiua coniunguntur, determinant. Relatio autem, secundum quam conceptuum inter se habitus definiri potest, quadruplex datur: primum identitatis et diuersitatis, dein concentus et repugnantiae, porro interni et externi, denique materiae et formae.

Singulare forsan atque mirum lectori videri poterit, quare hosce conceptus identitatis, diuersitatis, concentus, repugnantiae etc. non conceptus potius com-

comparationis quam reflexionis appellauerimus. Vtimur enim iisdem in comparandis conceptibus, antequam hosce in iudicio seu vniuersali, — quando identitas adest multorum repraesentationum sub vno eodemque conceptu, — seu particulari, — propter earumdem diuersitatem — aut assertorio, — propter concentum, — negatiuo denique propter repugnantiam — coniungimus. Talis autem comparatio mere *logica* est, in qua ad formam tantum logicam haud vero ad argumentum conceptuum respicitur. Quando autem de argumento siue materia conceptuum agitur, i. e. quando quaeritur, an res ipsae identicae sint aut diuersae, an concordent sibi vel repugnent, tunc ad duplicem omnino attendendum erit rerum ad facultates cognoscitiuas relationem, secundum quam aut ad sensualitatis aut ad intellectus iudicium pertinent. Modus enim, secundum quem inter se connexae cogitari debent, a loco pendet, quem ipsis in mente cognoscenti assignaueris. Aliud enim, si ad sensualitatem (vt phaenomena), aliud si ad intellectum purum pertinent (vt noumena), de ipsis iudicium ferendum erit. Ex quo patet rerum identitatem et diuersitatem, concentum et repugnantiam etc. non ex logica statim comparatione, sed ex transscendentali demum reflexione diiudicari posse, quae quum relationem earum ad vnam vel alteram facultatem cognoscitiuam sistat, per id ipsum opportunitatem sistit iudicii de rerum habitu interno ferendi, quod absque eiusmodi reflexione haud foret possibile. In hac igitur transscendentali reflexione, quae ante omne de rebus iudicium a priori ferendum necessarie debet institui, iam nunc versabimur, conceptuum supra expositorum ad iudicia de rebus vel ad sensualitatem vel ad intellectum purum pertinentibus applicationem paucis demonstraturi.

§. 3.

§. 3.

1. De identitate et diuersitate.

Principium Leibnitianum identitatis indiscernibilium tantum de obiectis intellectus puri (Noumenis), haud vero de phaenomenis valet.

Obiectum, quod animo saepius semperque sub iisdem secundum qualitatem et quantitatem determinationibus offertur, hoc, quando per intellectum purum consideratur, vnum est idemque, atque de eo numerica praedicari debet identitas. Idem vero si quoad phaenomenon consideramus, tunc locorum diuersitas, in quibus phaenomenon vno eodemque tempore apparet, quamquam omnia, quae spectant ad conceptus sub quibus cogitatur, paria sint atque aequalia, sufficit, vt diuersitatem numericam de ipso praedicemus. Quare si, abstractione facta ab omni interna quantitatis aut qualitatis diuersitate, duae penitus aequales guttae reperirentur, de his tamen numerica haec diuersitas iure praedicaretur, si duobus *simul* locis earum exhiberetur intuitus. Illud igitur Leibnitii principium identitatis indiscernibilium ex neglecto inter phaenomena et noumena discrimine deriuabatur. Sensibus enim occurrentia, quae nos phaenomena, ille pro noumenis i. e. obiectis intellectus puri habebat, cui quidem fundamento superstructum principium concuti non poterat. At quum phaenomena sint, in quibus cognoscendis intellectus non purum sed empiricum tantum vsum exserit, inde diuersitatem et numericam ipsorum pluralitatem iam per spatium ipsum, in quo vt conditione omnis externorum intuitionis ea comprehensa intuemur, colligimus. Spatii enim quaelibet pars, etsi ipsi omnimodo par et aequalis tamen extra alteram sita est, et ob id ipsum ab hac diuersa, cui si addatur maiorem eam efficiet. Parilis autem ratio debet esse eorum, quae vt in spatio posita apprehendun-

duntur, in cuius diuersis locis quae vno eodemque tempore intuemur ob id ipsum quoad phaenomenon diuersa esse iudicamus.

§. 4.

2) *De concentu et repugnantia.*

Quatenus realitas vt noumenon repraesentatur in intellectu puro, nulla cogitari potest realitatum inter se repugnantia i. e. talis earum erga se habitus, secundum quem; in vno subiecto coniunctae, effectus inuicem vna alterius tollant. Reale autem, quod obiectum est intuitionis, (realitas scilicet phaenomenon) vtique sibi repugnare potest, ita vt duobus in vno eodemque subiecto coniunctis vnum effectus alterius aut penitus tollat aut saltem ex parte, quemadmodum in actione et reactione aequali virium motricum, aut si exemplum vis ex animo humano repetitum, in gaudio vides quod per dolorem ipsi fere aequalem temperatur; ex quo non perturbatio illa, quae merum affectum vel laetitiae vel doloris sequitur, sed animi quaedam media exsistit dispositio, quae in pectore bene praeparato aequabilitatem aliquam serenam et inter varios vitae humanae fluctus sibi constantem producit.

§. 5.

De interno et externo.

Monadologia Leibnitii siue doctrina substantiarum simplicium originem ex falsa conceptus de interno applicatione cepit; dum scilicet hunc conceptum eo, quo tantum de noumenis valet, significatu, ad phaenomena siue mundum sensibilem referret.

Conceptus de interno alia prorsus est significatio si de phaenomenis, alia si de substantia vt obiecto in

tel

tellectus puri agitur. Substantia enim, quatenus in spatio apparet, (quam materiam solemus appellare) tantum secundum vires cognoscitur, quarum effectus aut in attrahendo alias aut repellendo easdem e spatio (quae attractio est et impenetrabilitas) vertitur; nec alia eiusdem nouimus attributa. Quare quum omnis substantia quoad phaenomenon nihil sit nisi relationum complexus, proinde etiam quae eius internae dicuntur determinationes, nihil sunt praeter relationes in spatio, quae tantum propter remotiorem earum cognitionem, et communem omni materiae notam comparatiue internae dicuntur, vt ab iis distinguantur relationibus, quas, propius sub oculos cadentes, et in diuersis materiis diuersas et variabiles, externas solemus appellare.

Sin autem conceptum interni ad rem per se aut obiectum intellectus puri referimus, tunc id tantum internum vocatur, cuius quoad existentiam nulla est ad aliud extra se positum et ab ipso diuersum relatio; quare substantiae, vt per se existentes et ab omni externa relatione liberae, simplices (μοναδες) esse debent; compositio enim externa est relatio, quae ad statum earum per se, nulla externorum ratione habita, non pertinet. Quatenus igitur substantia ab intellectu puro cogitatur, inesse ipsi vires necesse est, quae ad internam eiusdem realitatem spectant, siue accidentia interna, per quae status eius internus, — quem nec in loci, nec figurae, vel motus aut contactus relationibus ponere possumus, quoniam hae relationes omnes externae sunt — determinetur. Nullum autem internum nobis accidens fingere possumus praeter id quod in sensu interno exhibetur, cogitationem scilicet, in qua entis nostri, vt per se realis et liberi ab omni relatione externa, conscii nobis euadimus. Quare etiam Leibnitius, phaenomena mundi sensibilis pro noumenis habens, ipsis, quatenus cogitatione om-

nem eorum relationem externam, compofitionem adeo, remouerat, cogitandi aliquam vim tribuit, ita vt omnes fubftantiae, quas percipimus e partibus fimplicibus et vi repraefentatiua praeditis conflatae cogitarentur. (conf. inprimis „Leibnitii principia philo„fophiae, feu thefes in gratiam Princip. Eugen. „Thef. 1 — 17. Opp. Tom. II. Edit. Genev. 1768. „4to, nec non: Principes de la nature et de la grace „fondés en Raifon. 1 — 5. Opp. Tom. II. p. 32 — 34.„)

§. 6.

4. *Forma et Materia.* (μοϱφη και ὑλη)

In conceptu intellectus puri (qui res per fe, noumena cogitat) *materia formam rerum praecedit, eamque determinat, in intuitione fenfitiua forma* (phaenomeni) *anteit materiam; ex quo diuerfitas inter fyftema cognitionis rerum intellectualis,* (Leibnitii) *et Aefthetices transfcendentalis placita circa fpatium et tempus originem traxit.*

Materia in genere omne determinabile fignificat cuius determinatio forma vocatur. Sic a logicis in iudicio formando conceptus dati *materia*, modus autem quo per copulam fibi apponuntur, *forma* appellatu iudicii. Metaphyfici philofophi in explicanda entis natura, quae eius reputantur effentialia, (i. e. fine qui bus eiusdem conceptus formari nequit) materiam modum autem, quo haec effentialia in vno eodemqu fubiecto coniuncta funt, formam dicunt effe fubftantiae. In poffibilitate autem rerum in genere explicanda, infinita realitas pro materia omnis poffibilis, eiu dem vero limitatio per negationem pro forma habetu fecundum quam vna res ab altera in conceptu tran fcendentali diftingui poteft. Et iure quidem fecundu hanc definitionem forma materiam fubfequitur; a

qu

quod enim ſibi datum determinabile intellectus poſtulat, antequam id aliquo modo determinare poſſit. Quod quidem rite intelligens Leibnitius, dum omne de rebus vt per ſe exiſtentibus (noumenis) iudicium ad intellectum purum referret, primum monadas induxit, vi aliqua repraeſentatiua praeditas, deinde autem hoc ſuper fundamento formam earum ſeu externam monadum inter ſe relationem, et variorum in vna quaque individua ſtatuum (i. e. repraeſentationum) habitum expoſuit, ita vt ex ipſius ſententia ſpatium in relatione ſubſtantiarum virtuali, tempus in variarum ſubſtantiae determinationum (ſeu repraeſentationum) nexu, quo inter ſe vt cauſſae et effectus cohaerent, conſiſteret. Cui quidem theoriae nihil omnino obiici poſſet, ſi intellectus purus immediate ad obiecta referri, i. e. ſi obiecta qualia ſunt ſiue per ſe cognoſci poſſent. Tunc enim et ſpatium et tempus determinationes rerum per ſe forent. Quum vero, vti in Aeſthetica transſcendentali vidimus, intuitio ſenſualis ab intellectu puro penitus diſtinguenda ſit, et pro ſeparato, eoque praecipuo cognitionis humanae fonte habenda; nec per intellectum, (quippe cuius vſus ad ſenſualitatis conditionem formalem in ſpatio et tempore reſtrictus eſt) aliquid poſſit cognoſci, niſi quod in ſpatio et tempore prius exhibitum ſit, inde efficitur, in ſenſitiua hac cognitione formam intuitionis, quae tanquam conditio ſubiectiua intuitionem phaenomenorum poſſibilem reddit, materiam, (ſenſationem ſcilicet, qua nos affectos eſſe percipimus,) praecedere, ſiue quod idem eſt, ſpatium ac tempus omni phaenomeno in experientia dabili priora in mente exiſtere, experientiamque ipſam per ea primum fieri poſſibilem.

§. 7.

Quare hunc tractatum Topicam transſcendentalem appellauerimus, indicatur.

Topices ex Ariſtotele notiſſima eſt ſignificatio. Hic enim, quum generaliores conceptus, ſub quorum quaſi titulo multae diuerſae continerentur cognitiones, *locos* appellaret *logicos* (τοπυς λογικυς), topicen congeſſit logicam, qua quid de ſingulis quaeſtionibus diſputabilibus ſentiri poſſit ad ſingulos locos expoſuit, quo quidem libro maxime rhetores et ſophiſtae ad concinnandas orationum et diſputationum argutias vſi ſunt, quippe in quo copioſe et in vtramque partem diſſerendi materiam paratam ſibi reperirent.

Nos autem Ariſtotelis tantum vocabula non propoſitum ſequuti, *locum* appellamus *transſcendentalem* eam, quae vnicuique conceptui aut in ſenſualitate aut in intellectu puro aſſignatur, ſedem. *Topica* autem *transſcendentalis* doctrina nobis eſt de locis, vnicuique conceptui ſecundum vſum eiusdem vel purum vel empiricum aſſignandis, quae ſi rite expleta foret, certisque reflexionis transſcendentalis fundamentis ſuper exſtructa, ab omni conceptuum et vſurpatione et abuſu intellectum eſſet praeſeruatura. Nos autem eiusmodi topices ſchema aliquod in ſuccincta hac commentatione exhibuimus, quatuor nimirum eiusdem titulos, ſub quibus omnis conceptuum comparatio et diſtinctio debet inſtitui, ita vt per eos omne topices transſcendentalis argumentum plane abſoluatur, breuiter perſtringendo; et quonam vnusquisque eorum pondere valeat, ſi ad eum conceptus vel ſenſitiui vel intellectuales in comparatione admouentur, oſtendendo. Logica enim comparatio conceptuum, quae ad eorum inter ſe vel concentum vel repugnantiam et in genere coniunctionis modum determinandum pertinet, per ſe

pot-

potest institui; at si de obiectis aliquid per hosce conceptus iudicare velis, transscendentalis accedere debet reflexio, qua ad quamnam facultatum cognoscitiuarum obiectum pertineat, an ad intellectum purum aut sensualitatem, definiatur. Qua omissa, vitia in philosophiam inrepere, dum synthetica adsciscerentur principia, quae vt oriunda ex amphibolia transscendentali, seu permutatione obiecti intellectus puri cum phaenomeno, per quam attributa, quae huic tantum competunt, priori decernebantur, et versa vice, censuram rationis non sustinent. Ad quam nostram assertionem probandam exemplum sumemus systematis intellectualis, quod Leibnitium autorem refert.

§. 8.

Systema mundi intellectuale a Leibnitio conditum vitio laborat omissae reflexionis transscendentalis, omniumque obiectorum sine discrimine, secundum conceptus intellectus puri vt solius, quem agnoscebat, cognitionum fontis, inter se comparatorum.

Leibnitius dum intuitum per sensus non pro separato repraesentationum fonte, e cuius cum intellectus puri principiis a priori per schematismum coniunctione solidum de obiectis conflatur iudicium, sed pro obscura tantum atque confusa intellectus nondum distincte cogitantis operatione haberet, quae per sensus apprehendebantur pro obiectis cognitionis intellectualis, phaenomena pro rebus ipsis (noumenis) habere debuit, quas confuse primum in apprehensione sensitiua, deinde clarius per intellectus subsequentem operationem statuit cogitari. *) Inde ortum est,

*) In contrarium illapsus vitium Lockius omnem cognitionem a sensibus vnice deriuari, nec vllos nobis intellectus conceptus puros inesse, sed omnia ab experientia vnice esse repetenda cen-

vt obiecta omnia vnice per conceptus inter se compararet, eorumque nullas alias diuersitates inueniret, praeter eas, quas in conceptibus puris diiudicandis intellectus distinguit. Vnde ineuitabile hoc defluxit vitium, vt principium identitatis indiscernibilium, quod de rebus secundum conceptus in intellectu puro cogitatis vnice valet, supra mundum quoque phaenomenon extenderet, nulla loci transscendentalis (an scilicet obiecta coram sensualitate aut coram intellectu puro comparentur) ratione habita, quam nec habere poterat, dum essentiale inter cognitionem sensitiuam et intellectualem discrimen tolleret.

Ex talibus autem praemissis principium illud constanter satis deducebatur.

Nam si per intellectum *res per se* (v. c. folia arboris) plane et secundum omnimodas earum determinationes perspectas habeo, quemadmodum Leibnitius

censuit. Sicut igitur Leibnitius phaenomena ad intellectum, sic iste intellectus notiones ad sensus reuocauit, nihil esse in intellectu asserens, quod non antea fuerit in sensu. Videat B. L. librum,

An Essay concerning human Vnderstanding by Iohn Locke Lond. 1753. Vol I. Book II. Chap. I. §. 2., vbi sic habet:

„Let vs then suppose the Mind to be, as we say, white Paper, „void of all Characters, without any Ideas. How comes it to „be furnished? — Whence has it all the Materials of Reason „and konwledge? — To this I answer in a word *from experience*. In that all our knowledge is founded, and from that it „vltimately deriues itself. Our obseruation employed either „about external sensible Obiects, or about the internal Operations of our Minds, perceiued and reflected on by ourselues, „is that, which supplies our Vnderstandings with all the Materials of Thinking. The two (external and internal sense) „are the fountains of knowledge from whence all the Ideas, we „have or can naturally haue, do spring.

tius censebat, tunc omnino, quarum conceptus plane sibi congruunt, pro diuersis et numerice compluribus habere non possum. Sin autem folia ista vt phaenomena considerantur in spatio, tunc ad externam et sensualem intuitionem pertinent, in qua si diuersum occupant locum; necessarie pro multis (nec pro vno et identico) haberi debent; omnimoda ipsorum aequalitate nihil immutata.

Nam locus physicus in spatio in interna rerum determinatione nihil omnino innouare valet, et locus aliquis = b. obiectum aliquod, alteri obiecto in diuerso loco = a. constituto plane aequale, aeque posse recipere censendus est, ac si diuersissimum esset.

Sic quod principium rationalem naturae legem esse Leibnitius putauerat, ad simplicem comparationis rerum per conceptus normam redigitur.

B) Secundo loco, de obiectis sensibilibus praedicando, quae tantum de conceptibus in intellectu comparatis valent, Leibnitius illud principium condidit, quod iam supra indigitauimus, *realia scilicet sibi ipsis repugnare non posse.*

Quod quum de logica conceptuum inter se relatione verissime dicatur, (logicae enim realitates i. e. *assertiones* sibi oppositae summam positiuorum augent, haud vero comminuunt aut tollunt) tamen nullam ad cognitionem naturae, quatenus obiecta eius phaenomena sunt, applicationem permittit. Realis enim in hac repugnantia inuenitur, quando realitates duae in vno subiecto vna alterius effectum tollunt, (A — B = O) quod quam saepissime fiat in rerum natura, per virium in ipsa actionem et impedimentorum reactionem continuam, cuius principia et leges docentur in Mechanica vniuersali, luculentissime apparet. Eodem principio ad mundi moralis contemplationem adducto implicitus, nollet omne malum pro negatione tantum i.

 e. per-

e. perfectionis absentia et realitatis defectu habendum, et ex limitibus imperfectae naturae humanae deriuandum esse censuit, quum tamen pro positiuo habendum sit malum, quemadmodum quanta Mathematicorum negatiua, sub quibus non negationes, sed quanta opposita intelliguntur, quorum vtrumque in altero tantum quantitatis, quantum in ipso est, tollit, ita vt ambo respectu alterius negatiua sint. (cf. §. 4.) Ponamus enim, hilaritatis in mente aliqua quoad intensitatem gradus esse = 4a; accedat casus tristitiam ipsi afferens. Haec si animi indispositio mera esset negatio, (laetitiae absentia) tunc status animi huiusce nunc ita aestumari deberet, vt sit = 4a + o); negatio autem cum nihil commutet, status animi semper adhuc idem foret, qui fuerat antea; id quod contradictionem inuoluit. Sin autem tristitiam pro reali laetitiae opposito habemus = — a; tunc statum animi videmus esse = + 4a — a = 3a, et gradu vno iam comminutam hilaritatem videmus.

Ex eodem fonte deriuatum est vniuersale illud omnium fere philosophorum placitum, secundum quod, nullam realium inter se repugnantiam veriti, (nec de quibus sic statuerent, an intelligibilia sint an phaenomena discrimen facientes,) omnes realitates in vno ente summo conciliarent; quod quidem iam nunc magna difficultate laborat, si consideramus, repugnantiam contradictionis logicam non esse solam, quae cogitari possit, sed esse quoque repugnantiam mutui realium conflictus, dum realitates oppositae inuicem effectus suos tollunt.

C) Supra iam (§. 5.) expositum est, eam, quam Leibnitius proposuit, circa monadas sententiam ex neglecto eo, quod inter noumena et phaenomena intercedit, discrimine, originem traxisse, quum scilicet conceptus reflexionis de interno et externo vnice secundum eam, qua circa obiecta in intellectu puro

cogi-

cogitata valent, vim, haud vero reſpectu altero, quatenus ad ſenſualitatem pertinent, explicarentur; ſenſuque priori ad ſubſtantias vt noumena referrentur. Ex hac autem theoria neceſſarie principium illud *harmoniae inter ſubſtantias praeſtabilitae*, quod ad explicandam rerum naturalium inter ſe communionem et correſpondentiam Vir ſummus propoſuit, neceſſarie debebat profluere.

Quum enim ſecundum ipſum omnia e monadibus conſtarent, quarum ſtatus internus vnice in repraeſentando verſatur, nexusque efficax ſiue virtualis repraeſentationum vnius ſubſtantiae cum alterius nullus concipi poſſet, neceſſarie inde tertium aliquod coniunctionis aſſumi adſciſcique debebat, per cuius in omnes monadas aequalem influxum ſtatus ſubſtantiarum ſibi correſpondentes et cauſſalitatis cuiusdam naturalis (e. g. animi in actiones corporis) ſimulacra iſta producerentur, quae faciliori interpretatione ab aliis philoſophis per influxum phyſicum explicata fuerunt, quem tamen intellectuale philoſophi noſtri ſiſtema non patiebatur. Hoc autem tertium conciliationis Leibnitius in cauſſalitate voluntatis diuinae poſuit, in qua vti exiſtentiae et perdurationis ita et correſpondentiae ſubſtantiarum fundamenta inuenirentur; in hoc a Carteſii ſyſtemate aſſiſtentiae recedens, quod non ſicut ille, in quouis caſu dato vi diuina correſpondentiam iſtam conciliari ſed omnia legibus ſemel ſtatutis atque ſtabilitis procedere, arbitraretur.

D) Quid circa notiones tam ſpatii quam temporis Leibnitius ſtatueret, dum vtramque pro formis rerum per ſe haberet, §. ſeptima iam expoſitum eſt. Omne ſcilicet hac de re ipſius placitum ex eo oriebatur, quod, quid externa ſibi velit relatio, quid interna, vnice per intellectum iudicaret, eamque, qua ibi

pollent, significationem ad res ipsas, vt vnice in intellectu (haud vero in sensualitate) constitutas referret.

Hoc autem primo fundamento posito cetera omnia rite et quasi sponte sua fluunt. Nec enim relationes externae rerum ab intellectu aliter, quam per conceptum mutuae earumdem caussalitatis, nec statuum diuersorum in eadem substantia nexus aliter, quam per caussarum et effectuum seriem repraesentari possunt. Naturali igitur ratiocinii consecutione Leibnitius spatium pro ordine habuit, in quo substantiae secundum virtualem ipsarum correspondentiam constitutae essent, tempus autem esse dynamicam statuum diuersorum in vnaquaque consecutionem professus est, intelligibilem hanc rerum connectendarum formam ad phaenomena transferens, Quod quidem aequo se iure facere posse existimabat, quoniam sensualitati nullum ipsi proprium intuitionis modum, sed repraesentationum intellectus perturbationem confusionemque tribuens, omnem adeo empiricam cognitionem ab intellectu repetebat.

LOGICES TRANSSCENDENTALIS PARS ALTERA.

Dialectica transscendentalis seu Noologia. *)

Quam belle est, velle confiteri potius nescire, quod nescias, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere! Cicero de Nat. Deor. l. I.

INTRODUCTIO.

De ratione quatenus principium est cognoscendi.

SECTIO PRIOR.

De ratione in genere.

Ratio est facultas cognitionum syntheticarum ex conceptibus; siue facultas principiorum. Cognitiones enim syntheticae ex conceptibus principia vocantur rationis.

Patefactis iam duobus istis fontibus, sensualitate atque intellectu, e quorum quasi confluxu omnis conflatur legitima certaque cognitio, accedamus iam ad tertiam

*) Vnde deriuatum hoc Dialecticae transscendentali nomen imposuerimus, facillime patet; *νοος* enim siue *νους* Graecis rationalem et purissimam, quam putabant, animae partem designabat, quae *entia vniuersa* contemplatur. Recte igitur vocabulum ad doctrinam de ratione vltra fines suos sese efferente eiusque regimine adhiberi visum est. Conf. Log. transscendent. Prooem. paragr. 6.

tertiam facultatem cognoscitiuam rationem scilicet, quae summa est in homine, cuius ope materiam cogitationis in intuitione praebitam sub vnitate consummatissima comprehendit. Omnis enim cognitio incipit a sensu, perficitur ab intellectu, terminatur in ratione. Pari autem fere modo, quo intellectus a sensualitate, etiam ratio ab intellectu differt. Intellectus enim phaenomena sub regulas siue leges, cui omne cognoscibile congruum esse debet a priori, subsumit; ratio autem has ipsas intellectus leges sub altiori comprehendit vnitate principiorum. Principii autem ambigua esse videtur significatio. Per haec igitur, quae rationis propria sunt, principia, syntheticas intelligi debere diximus cognitiones ex *conceptibus*, quos ipsa ex se ratio promit, nulla nec per sensus nec per intellectum earumdem materia praebita; qua quidem definitione satis ab iis distinguuntur, quae sensu quodam comparatiuo principia intellectus puri appellari poterant. Licet enim quamlibet propositionem generaliorem, qua vt propositione maiori in ratiocinio vti possumus, principium appellare, quatenus scilicet sub ipsa casus dati subsumi possunt. Maiori adhuc iure axiomata ista Mathematicorum, quae a priori certa sunt, (vti inter duo puncta vnam tantum lineam rectam duci posse etc.) eaeque propositiones vniuersales, quas supra fundamentales appellauimus intellectus puri, quibus omnis experientia superstrui debet, principiorum videntur sibi titulum vindicare posse.

Facile autem intelligimus, eo quo nos principia rationis definiuimus sensu, hunc istis titulum minime competere. Intellectus enim syntheticam cognitionem conceptibus meris superstructam comparare non valet; quin potius axiomata ista mathematica in intuitione pura, propositiones autem fundamentales in conditionibus experientiae possibilis fundatae sunt.

Nam

Nam e. g. omnia, quae fiunt, a caussa aliqua pendere, hoc minime ex conceptu eius, quod fit, concludi potest, quin potius hoc intellectus principio primum docemur, quomodo de eo quod fit, conceptum experimentalem conficere i. e. continuo id experientiae filo innectere possimus. Satis igitur id, de quo hic agimus, principiorum genus a comparatiuis istis principiis secerni poterit, modo cognitiones syntheticas *ex conceptibus* per illud designari fixum mente tenamus. Sin autem forent, qui mirabundi forsan quare abiecta vetere ista logicorum definitione, secundum quam esse rationem facultatem consequentiarum mediatarum (immediatae enim consequentiae non ad rationem sed ad intellectum pertinent, conf. Sectio II.) professi sunt, nouam prorsus difficilioremque de ipsa interpretationem inducere voluerimus, e nobis quaererent, hoc sibi dictum esse existiment, definitionem istam essentiali hoc laborare vitio, quod definito suo longe sit angustior. In vsum enim rationis logicum siue formalem vnice cadit; quum autem eius, sicuti intellectus, realis quoque existat vsus, secundum quem fons est conceptuum atque principiorum aeque a sensibus atque ab intellectu independens: (ad quem hucusque, singulis videlicet cognoscendi viribus haud satis a philosophis distinctis secretisque parum animaduersum fuit) altior nobis quaerenda erat notio, ex qua vt fonte ambobus communi et logica illa et transscendentalis haec virtus deriuari poterat. Quod autem ad obscuritatem definitionis nostrae attinet, nihil hucusque officimus, hanc enim ex iis quae sequentur, satis perspicuam fore et speramus et iure aliquo nostro confidimus; praesertim quum haec in genere quaestionum philosophicarum sors sit atque conditio, vt singula ex totius argumenti complexu, vniuersa e singulis primum illustrentur, atque lucem desideratam accipiant. Iam nunc igitur ad rationis, qui primus eius est atque

notis-

notiſſimus vſus, logicum puta, nos conuertamus, deinde purum ſiue transſcendentalem contemplaturi.

Sectio Altera.

De rationis vſu logico ſiue formali.

§. 1.

Rationis vſus logicus cernitur in concludendo, quod quidem fit dum ſpecialia ex vniuerſalibus per conceptus cognoſcimus.

Poterat igitur, vti ſupra dictum eſt, ratio quoad vſum eius logicum ita definiri, vt ſit facultas conſequentiarum mediatarum. Diſtinguendum enim eſt inter conſequentias mediatas et immediatas. Quarum vt differentia rite intelligatur, ratiocinium in elementa ſua reſoluendum erit. In quouis ratiocinio primum regula ponitur vniuerſalis per intellectum, quam propoſitionem maiorem appellare ſolemns. Deinde per facultatem iudicatiuam ſubiectum aliquod cognitionis ſubſumitur ſub conditionem, in propoſitione maiori expreſſam, ex quo propoſitio minor efficitur; poſtremo ſubiectum hoc per praedicatum regulae determinatur, i. e. praedicatum propoſitionis maioris ipſi decernitur a priori; haec autem functio conſequentiae deducendae propria eſt rationi; ex conceptibus enim ſecundum principium efficitur.

Tres igitur diuerſas ineſſe cuiuis ratiocinio repraeſentationes videmus, primam, quae ſubiectum conſtituit regulae vniuerſalis, et conditionem exprimit, ſub quam altera, ſubiectum ſcilicet cognitionis in propoſitione minori expreſſum, ſubſumitur: eum in finem, vt propter ipſius cum regula conformitatem huic cognitioni praedicatum regulae, quod tertia eſt

eſt et ab vtraque priori diuerſa repraeſentatio, decernatur. In quouis igitur iuſto ratiocinio conſequentia non niſi per medium aliquod iudicium, per quod eiusdem ſubiectum ſub conditionem regulae ſubſumitur, e propoſitione vniuerſali deriuari poteſt. Sin autem iudicium conſecutiuum ſiue conſequentia aperte iam in propoſitione vniuerſali continetur, ita vt ad eam eliciendam medio aliquo iudicio opus non ſit, tunc conſequentia vocatur immediata, ſeu conſequentia per intellectum; ſin minus, vti in ratiociniis proprie ſic dictis, mediatam vocaueris. Vt exemplis vtamur rem illuſtrantibus, ponamus propoſitionem vniuerſalem, qua omnes homines eſſe mortales aſſeritur. Ex hac propoſitione immediate i. e. nulla aſſumta tertia et quaſi conciliatrice duarum repraeſentatione hae deduci poſſunt conſequentiae, v. c. quidam homines ſunt mortales, nihil morte exemtum homo eſt, quaedam mortalia homines ſunt. Earum igitur ex vniuerſali propoſitione deriuatio non ad rationem pertinet, ſed ad intellectus iudicium. Verum ſi, reges eſſe mortales, hoc nobis iudicium ex altiori iſto repetendum eſſet iudicio, tertia foret aſſumenda repraeſentatio hominis in genere, quae conceptum regis cum conceptu mortalis conciliaret; et altera propoſitio formanda, per quam conceptum regis ſub notionem hominis, tanquam conditionem, propter quam ipſi mortalitatis praedicatum attribuitur, ſubſumeremus, in hunc ſenſum:

Omnes homines ſunt mortales
Reges ſunt homines
Ergo reges ſunt mortales.

Haec autem conſequentia ex conceptibus regis et mortalis, mediante repraeſentatione hominis, elicita, rationis eſt, et mediata vocari debet.

§. 2.

§. 2.

Ratiocinia sunt vel categorica vel hypothetica vel disiunctiua.

Vidimus subiectum consequentiae determinari per praedicatum regulae, eam ob caussam, quoniam conditionem regulae (in subiecto eius expressam) in illud cadere per intermediam propositionem minorem statutum erat. Specifica igitur ratiociniorum diuersitas ex diuerso, quo elementa propositionis maioris constituta esse possunt, habitu deriuanda est. Vnde elucet, totidem esse debere ratiocinia, quot diuersae in propositione maiori cognitionum cogitari possunt relationes. In quouis autem iudicio triplex esse potest cognitionum in ipso habitus, secundum quem aut categorica aut hypothetica aut denique disiunctiua existunt iudicia, et quo totidem ratiociniorum genera effici per se patet. (Conf. Analytices conceptuum Cap. I. Sect. 2. §. 4.)

§. 3.

Obiectum rationis (siue materia, circa quam facultatem suam logicam ratio exercet,) plane diuersum est ab obiecto intellectus.

Obiecta intellectus sunt intuitiones, per sensualitatem praebitae, quas ille sub vnitatem sublumit praedicamentorum ad experientiam ex iis legitimam efficiendam. Vnitas igitur, quae perficitur ab intellectu, ad possibilitatem spectat experientiae, et plane diuersa est ab vnitate rationis, quae experientia, ad quam omnis per intellectum cognitio adstricta est, omissa, iudicia intellectus sub altioribus comprehendit principiis. Materia igitur, circa quam ratio exercetur, non petitur a sensibus, sed in conceptibus et iudiciis intellectus quaerenda est; quaecunque igitur rationis

ad

ad obiecta phaenomena apparere possit relatio, *indirecta* est, nec nisi per intermedium conceptuum iudiciorumque intellectus cogitabilis.

§. 4.

Norma rationis, cui omnis eiusdem functio logica superstructa est, sic habet, vt absoluta quaerat principia, sub quibus conditionata intellectus cognitio, ad summam, quam capere potest, vnitatem perducatur.

Functionem rationis in concludendo accuratius considerantes facile rem ita se habere, intelligemus. A specialibus enim ad generaliora ascendens ratio conditionem quaerit, sub qua iudicium aliquod a generaliori regula possit deriuari. Fit enim ita plerumque, vt id, quod in conclusione ratiocinii exprimitur, iudicium iam propositum nobis ante oculos habeamus, praemissa autem, ex quibus deduci possit post factum vti dicunt quaerantur. Tali autem in intellectu conditione reperta iudicium sub vnitatem regulae vniuersalioris subsumitur, a qua praeter hanc multae aliae quoque cognitiones vt a principio communi pendent; itaque rationis in concludendo eam functionem cernimus, vt magnam cognitorum per intellectum copiam per conditiones pluribus communes ad regularum vniuersalium quam minimum numerum reducat.

Ea autem ipsa, a qua more iam nunc explicato conclusio nostra deriuata erat, regula vniuersalior eidem rursus rationis tentamini subiicitur, quae eam, quae prima fuerat, in conclusionis loco constituit, vt appareat, num et ipsa non fortassis per prosyllogismum ab altiori adhuc deriuari, eaque conditio inuestigari possit, a qua quod conditionatum in ipsa est pendeat. Sic conditiones quaeruntur conditionum, et ratiocinatio polysyllogistica inducitur, quae continuo ad

ad altiora progreſſu tendit, donec in aliquo non-conditionato ſeu abſoluto, quod cauſſam inuoluat cauſſarum, poſſit ſubſiſtere.

Haec vt exemplis illuſtremus, agedum ab illo, quem ſupra §. 1. propoſuimus, ſyllogiſmo incipientes, per proſyllogiſmum aſcendamus vsque ad abſolutam aliquam conditionem, in qua totius argumenti ſeries abſolute terminetur.

Regibus mortalem eſſe conditionem ex generali ea propoſitione deduximus, qua omnes homines eſſe mortales contenditur, ſub vniuerſaliorem hominum conceptum reges quoque ſubſumentes. Rationem autem ſi quis a nobis reddi ſibi velit, quare hominum genus eſſe mortale contendamus, altior quaerendus erit conceptus, cui mortalitatis praedicatum competit, et ſub quo hominum genus comprehendi poſſit. Formandus itaque proſyllogiſmus hunc ferme in ſenſum: omnia animata terreſtria mortalia ſunt. Atqui ſub conditione animati terreſtris hominum genus comprehenditur, ergo etc.

Iſtam autem vniuerſaliorem propoſitionem iterum ſi in conſequentiae loco conſtitui aliquis velit, et conditionem inueſtigari, a qua pendeat, hanc in compoſiti natura omnino poſitam eſſe dicemus; omne enim compoſitum deſtructioni ſeu in partes ſimpliciores reſolutioni obnoxium eſſe debet, ex quo rite animalia terreſtria eſſe mortalia deducitur, quoniam ſub vniuerſali compoſitorum genere comprehenduntur. Quum autem compoſitorum vniuerſaliſſimum ſit genus, nec in cognitionem humanam propter inhaerentem ipſi intuitionis formam aliud praeter compoſitum obiectum poſſit incidere, (conf. Analytic. transſc. Lib. II. cap. 2. Sect. 3. Apot. §. 1.) in hoc vtique vt omnis in hoc genere quaeſtionis termino legitimo ſubſiſten-

ſtendum erit; altius enim, ſub quo compoſita ſubſumantur, genus non datur in rerum natura. In compoſitionis autem et elementa et cauſſas inquirentes, continuo rationis progreſſu ad partes ſimplices, quibus illa conſtant, et ad primum aliquem motorem, a quo omnis in rerum natura ordo pendeat, cauſſarumque ſeries incipiat, in ipſo non cauſſata, deducimur.

Hisce exemplis ratiocinatio polyſyllogiſtica per proſyllogiſmos ſatis explicata videtur. Non ſolum autem per *proſyllogiſmos* in conditiones inquiritur conditionum, ſed aliud eſt ratiocinationis polyſyllogiſticae genus, in quo conditionata aliqua cognitione poſita conſequentias ex ipſa per conſecutiuam ratiociniorum ſeriem (per *epiſyllogismos*) deducimus. Eiusmodi epiſyllogismorum ſeriem *deſcendentem*, ſicuti proſyllogiſmorum *aſcendentem* appellare licet. Quorum quoad ſeriei complementum memorabilis exſiſtit differentia. Nam in proſyllogismis ad cognitionem conſequentiae, quam ratiocinando colligimus, — quippe conditionatam, — perueniri non poteſt a priori, niſi totalitate conditionum, quae abſolutum includit, ſuppoſita; *alias enim iudicium conſecutiuum in concluſione non foret poſſibile a priori.* Quonam enim modo reges, qui ſub conditione comprehenduntur hominum, mortales eſſe liceat concludere, ni homines eſſe mortales certum ſit. Hoc autem niſi a conditione animantium ſub qua ſtat humanum genus deriuetur, ipſum numquam pro fundamento conſequentiae i. e. regula ſyllogiſmi haberi poſſet, et ſic porro. In epiſyllogismis autem, in quibus a cognitione a parte priori certa proficiſcimur potentialis tantum cernitur progreſſus, nec ſeriei a parte poſteriori totalitas requiritur, ſed in indefinitum produci poteſt; non enim conditionatae cognitionis certitudo a multitudine aut totalitate conſequentiarum, ſed a ſtabilitate conditio-

 num

num (ſeu praemiſſarum) pendet, quae nullibi niſi in vltimo aliquo et abſoluto firmari poteſt.

Sectio Tertia.

De rationis vſu puro, illuſionis transſcendentalis ſede.

Duplicem eſſe rationis vſum, formalem vnum ſiue logicum alterum realem ſiue purum, in ſectione huiusce introductionis priori iam oſtendimus. Quid de vſu rationis logico ſentiamus iam eſt expoſitum; iam igitur ad purum rationis vſum conſiderandum tranſeamus.

§. 1.

Ratio ſecundum vſum eiusdem purum (ratio pura) *vt fons conſideratur conceptuum atque principiorum ſyntheticorum a priori, per quae conſtitutiua ipſi ad obiecta aſſignatur relatio. Nititur autem hic rationis vſus purus illuſione transſcendentali, quare non pro reali ſed vſurpatorio habendus eſt.*

Grauiſſima haec et ad detegenda metaphyſices ſophiſmata fonteſque errorum, a quibus variae ſibique inuicem repugnantes philoſophorum circa ſupra ſenſibilia opiniones manauerunt, aptiſſima quaeſtio, ad quam diſcutiendam iam nunc accingimur, in eo potiſſimum haeret, vt ſtatuatur, an praeter eum quem iam nunc expoſuimus logicum rationis vſum, per quem cognitiones intellectuales ſecundum principium vniuerſalitatis ſibi inuicem ſubordinantur, alius adhuc ipſi, isque realis aſſignandus ſit vſus, ita vt quae ſubiectiuae ipſi inſunt leges ad vſum logicum moderandum pro principiis obiectiue realibus et circa re-

rum

rum naturam definiendam conſtitutiuis a priori haberi debeant? —

Hanc circa quaeſtionem in genere quid ſentiendum ſit, ex iis quae hucusque circa leges cognoſcendi omnisque cognitionis fundamenta expoſita ſunt facili opera colligere poſſumus. Quum enim praeter eam, quae ab intellectu perficitur, obiectorum *intuibilium* cognitionem, nulla alia veri nominis cognitio poſſibilis ſit, inde colligimus, eam quae meris conceptibus ſuperſtructa foret cognitionem, vtpote quae omnis experientiae poſſibilis terminum excedat, vanam illuſoriamque eſſe. Decipimur enim ſpecie quadam veri, dum *ſubiectiuas* conceptuum inter ſe connectendorum leges pro *obiectiuis* rerum per ſe neceſſarie determinandarum principiis habemus, quare etiam in logices transſcendentalis prooemio (§. 6.) Dialecticam transſcendentalem logicam eſſe diximus ſpeciei, in qua refellenda praecipue iam nunc elaborandum eſt. Quae quidem ſpecies, quam transſcendentalem vocamus, quoniam puram nobis ab omni ſenſualitatis conditione liberam nullisque empiricis reſtrictam conditionibus cognitionem promittit, quamquam ineuitabilem afferat illuſionem, ſicut quaedam oculorum phantasmata, quae etiam aſtronomo maiorem repraeſentant lunam orientem quam ſi in medio coeli ſpectatur, aut medium mare excelſius quam quod oram alludit: tamen pari modo, quo aſtronomus ille in illuſione optica, ſic et nos in hac transſcendentali erroris conſcii nobis fieri, eiusque cauſſas explorare, et ne per eam decepti falſis implicemur ratiociniis, cauere nobis omnino poſſumus.

§. 4.

Species transſcendentalis tam a phaenomeno quam a ſpecie et empirica et logica accurate diſtinguenda eſt.

1) Induci fortaffis aliquis poffet per vocabulum phaenomeni, (quod forfam latine per fpeciem vertere liceret) vt cum hac, de qua nunc agimus, quamuis diuerfiffima fpecie eius conceptum confunderet. At in phaenomeno fiue obiecto *quatenus illud intuemur* (conf. Aefthet. transfc. Prooem. §. 1.) nec veritas ineft nec fpecies illuforia; fed in noftro de ipfo iudicio, quatenus fcilicet phaenomenon cogitatur in intellectu. Forma enim veritatis confiftit in congruentia cum legibus intellectus; omnis igitur tam veritatis quam erroris et fpeciei, in errorem inducentis, in iudicio (i. e. in ea relatione in qua obiectum ponimus cum intellectu,) fons quaerendus eft. Senfibus igitur error ineffe non poteft, haud enim iudicatur per fenfus; intellectus quoque, fi per fe confideratur, errare nequit; nulla enim facultas eft in rerum natura, quae a legibus ipfi ftatutis per fe poffit aberrare. Quare etiam corpus per vim aliquam motum quando a recta linea aberrat, alius fenfu contrario ipfum mouentis poteftatis influxum patitur; alias enim a lege motus recti non poffet recedere. Quum autem praeter fenfus et intellectum nulli menti noftrae infint cognitionis fontes, inde elucet, errorem ex claudeftino fenfualitatis in intellectum influxu oriri, fecundum quem erroneum intellectus iudicium ex operatione fenfualitatis, quam fupra intellectum iudicantem exercet, deriuandum eft. Senfualitatis enim, quando eam vt fubftratum paffiuum confideramus, circa quod intellectus functiones fuas exercet, fons eft cognitionum realium, quando autem in ipfum iudicandi actum influit, errores generat. Iudicia intellectus autem praecipue perturbantur per fenfualitatem, dum per ipfius fraudem quae obiecta funt fenfuum pro noumenis aut rebus per fe intellectui obiiciuntur, ex quo abufus fit falfaque conceptuum reflexionis applicatio cui tamen mederi poffumus, fi compofitum intelle-

ctu

ctus sensualitatisque actum in sua resoluentes elementa, cuilibet repraesentationi per reflexionem transcendentalem, iustum in ea ad quam pertinet facultate cognoscitiua locum assignamus, quemadmodum de iudiciis puris a priori in topica transscendentali obseruatum est.

2) Nec vero haec species transscendentalis cum empirica specie (ad quod genus pertinent illusiones opticae) aut cum logica permutanda est; empirica enim species existit, quando facultas iudicatiua in subsumendis sub regulas intellectus empiricas phaenomenis per imaginationis lusum in errorem inducitur. Logica autem, quam et speciem pseudosyllogismi appellare licet, ex defectu iustae animi in regulam logicam intentionis originem trahit. Quare statim euanescit, simulac acumen ingenii intentius ad casum datum adhibetur; ex quo manifestum fit, in pseudosyllogismo imitationem tantum vitiosam inesse formae ratiocinii, quo vitio detecto omnis simul tollitur illusio.

Haec vero, de qua nos agimus, species transscendentalis communem eam habet cum fallacia optica notam, vt quamuis fraude detecta tamen remoueri nequeat. Sicuti enim in opticis phantasma aliquod sensibus occurrens in culpa est, sic intellectus phantasmate aliquo decipitur rationis, tamdiu ipsi ineuitabiliter inhaerente, quamdiu in ratiocinando subiectiuo isto principio progressus a conditionato ad absolutum vtemur, quod supra (Sect. II. §. 4.) vt omnis ratiocinii formam a priori exposuimus, quodque obiectiue expressum speciei transscendentali originem dedit.

§. 3.

Norma rationis logica in principium obiectiuum rationis purae conuersa, sic habet: vbi conditionatum datum est, ibi etiam series perfecta (quae ob id ipsum ab-

 lo-

luta est, nec a conditione vlteriori pendens) *nditionum sibi inuicem subordinatarum data est:* *'eui, vbi est conditionatum ibi et absolutum esse opor-* *t.* A quo principio, dum realis eiusdem ad ob-ctorum contextum diiudicandum sit vsus, illusio-is transscendentalis sedes atque origo repe-ända est.

Hoc autem principium syntheticum esse obuium Nam conditionati si conceptum *analytice* euolui-relationem quidem in ipso contineri videmus nditionem aliquam, a qua conditionatum pen-absoluti vero notionem haud quaquam in ipso citam inuenicmus. Per eiusdem vero principii ria cognitionum genera applicationem synthetica iudicia necesse est, quae intellectus purus plane at, quippe qui vnice in obiectis experientiae pos-versatur, quorum synthesis semper conditiona-; absolutum enim in experientia non reperitur. ɔso autem hoc absoluto, si modo verum de eo iu-n est, multa synthetice a priori pronuntiari po-t cognitionisque nostrae amplificandae campus tissimus patet, dum ipsius determinationes, qui-b omni conditionato distinguitur, philosophicae isitioni submittuntur.

Eiusmodi autem principia synthetica, ex summo, in paragraphi nostrae titulo exposuimus, rationis principio deducta, eo ab omnibus intellectus ɔrincipiis diuersa inueniuntur esse, quod horum in possibilitate experientiae constituenda vis at-gnificatio versatur; ista vero e contrario omni ta experientia, nos cognitionem supra eius fines rasensibilium regionem efferre et inde absolutas ionatorum caussas atque origines repetere iubent. duplicis huiusce principiorum generis diuersitas

vt

vt eo melius animo inhaereat, illa intellectus puri axiomata fundamentalia, *immanentia* (quippe quorum intra fines experientia remanet vſus) haec autem rationis principia *transſcendentia* *) (*quum ex inſtituto* vltra experientiam ſeſe efferant) appellabimus.

Summo autem iſti rationis principio num tribui poſſit obiectiua aliqua realitas, an vero potius omne hoc argumentum per abuſum (dum quae logica ineſt rationi ad altiores conditiones aſcendendi neceſſitas in principium rationis transſcendentale converteretur) — in philoſophiam introductum ſit; — quaenam autem — ſi ita ſe res habet, — falſae ex ipſo et per ſpeciem veri illuſoriae deductae ſint conſequentiae — qualisque hoc ipſo poſito ipſius tamen principii, vt regulatiui, empiricus ſuperet vſus, hoc eſt in quo diſquirendo dialectica noſtra transſcendentalis verſabitur. Huic igitur inhaerentes propoſito dialectices transſcendentalis argumentum duobus libris comprehendere placet, in quorum primo de transſcendentibus rationis purae conceptibus, altero vero de eiuſdem ratiociniis dialecticis tractabimus.

*) Conf. operis introduct. VIII circa cognitionem transſcendentalem, ex quo, quomodo a transſcendenti principio differat, perſpicietur.

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER PRIMUS.

De conceptibus rationis purae.

PROLUSIO.

Ostenditur, quantum conceptus rationis distent a conceptibus per intellectum siue notionibus.

Notiones per intellectum cum conceptibus rationis si comparamus, primum omnium notiones intellectus cogitari quidem a priori, sed applicationem nullam vltra fines experientiae possibilis pati, at conceptus rationis omnem experientiae terminum transgredi, scientiamque affectare suprasensibilem, (i. e. talem cui nullum in sensualitate obiectum correspondet) obseruabimus. Nec obiectiua realitas notionibus, quippe quae nihil praeter experientiae formas intellectuales continent, nisi per applicationem earumdem demonstrabilem ad obiecta empirica conciliatur. Notiones igitur intellectus coecam alias et inutilem perceptionem in cognitionem conuertunt comprehensibilem, sicque materiam praebent ratiociniis; conceptus autem rationis vniuersalitem aliquam scientiae sistentes, in qua quae empirica est cognitio vt pars in toto aliquo absoluto comprehenditur, ad innectendas in nexu aliquo perfecti systematis cognitiones comparati sunt. Sicuti igitur notiones intellectus multiplicia phaenomenorum sub vnitatem obiecti in conscientia empirica subsumunt, sic conceptus rationis varias cogni-

nitiones per intellectum praebitas sub vnitate comprehendunt systematis, quoniam absolutum aliquod continent, in quo omnis cessat animi ratiocinantis meditatio, scientiaque omnis absoluitur. Absolutum autem hoc, quod continent, omnem quidem sub se complectitur experientiam, quippe a qua incipiens ratio per syllogismorum seriem ad absolutum ascendit; ipsum autem in experientiam non cadit. Sicuti igitur conceptus intellectus *cogitatos*, sic conceptus rationis *ratiocinatos* appellare liceret, si modo ipsis obiectiua tribui posset realitas: hac vero obiectiua realitate si destitutos eos inueniemus *ratiocinantium* denominationem merebuntur, vtpote qui ex speciosis iusti ratiocinii praestigiis originem trahant. Hanc autem quaestionem quum in tractatione de ratiociniis dialecticis examini submittendam censuerimus, nouum interim conceptibus rationis nomen *idearum* ponere placet, cuius quidem denominationis iam nunc ratio reddenda est.

Sectio Prior.

De ideis in genere.

§. 1.

Philosophiam interest maxime, vt diuersi conceptus adaequatis denominationibus distinguantur; ex promiscuo enim vocabulorum vsu rerum oriuntur inter se commixtiones.

Omnis fere in re philosophica perturbationis caussae atque origines in conceptuum inter se permutatione quaerendae sunt; quae rursus e denominationum confusione vniusque pro altera positione synonymica profluxit. In nullo autem genere tam noxium

hoc

hoc irrepsit vitium, quam in variis animi cognoscentis operationibus designandis, quum perceptionum, conceptuum, repraesentationum, idearum denique vocabula promiscue fere adhiberentur, syncretismusque obtineret, omne hac de re sanum iudicium funditus euertens. Cui quidem pessimo sane malo si consultare velimus, aptum cuique repraesentationum speciei vocabulum ponendum erit. Huic autem quaerendo intenti saepissime offendimur, quum non tantum paupertas obstet sermonis, quantum incuria hominum negligensque ac promiscuus omnium fere vocabulorum vsus, ex quo etiam iis quae κατ' ἔτυμον, vti dicunt, siue secundum originationem exprimendae cuidam rei aptissime conuenire reperiuntur, ingens tamen adhaesit significationum associatarum copia. Quare reperto aliquo vocabulo conceptui cuidam secundum originem congruo, purgandum hoc ab omni adductarum significationum colluuie, eique certus aliquis atque statutus sensus assignandus erit, ne forsan in tanta expressionum similium copia ea, quae huic expressioni originaliter inhaerebat, notio simul cum vocabulo ipso intereat. Huius autem cautionis in idearum sensu proprio reuocando nos ipsi exemplo esse voluimus.

§. 2.

Idearum vocabulum a Platone potissimum adhibitum inuenimus ad designandos conceptus notionibus intellectus, in quibus maxime Aristoteles elaborabat, longe praestantiores, talesque, quibus congruum in experientia obiectum dari nequit; quare commode ab eodem conceptuum rationis denominationem repeti posse visum est.

Nemo forsan antiquae memoriae philosophus Platone interius necessitatem sensit rationi humanae in-

inhaerentem, qua vltra experientiae angustos limites sese efferre cogitur. In summa entis diuini ratione repositas hasce ideas vt rerum protypa considerabat, secundum quae mundus tam physicus quam moralis formatus sit. Quamquam enim entia singula propter materiae repugnantiam limitesque, quibus finita eorum natura circumscripta sit, huic ipsorum protypo haud adaequata esse cernantur, tamen earum qualem conspicimus constructionem luculenta prodere ideae diuinae, secundum quam veluti ad exemplar perfectionis compositae sint, vestigia, excelsi animi Philosophus opinatus est. In spiritum autem humanum ex diuina mente ideas, quas habet, emanauisse; hunc vero coelestem spiritum non amplius puro, quo olim igne vigere; sed terrestribus impeditum elementis et vinculis quasi teneri; quare et diuinas ipsius ideas, quae quasi obrutae obliterataeque iacerent, per philosophiam, quam omnem in excitatione reminiscentiae ponebat, in memoriam reuocandas esse docuit.

Inprimis autem mundum moralem regi ideis rectissime vir sane omnium φιλοσοφώτατος existimabat, virtutem ante omnia et rei publicae constituendae principia, breui quaecunque fluunt ex libertate entis cogitantis, nec nisi ea assumta possibilia sunt, in ideis reponens. Quod quidem optime factum esse iudicandum est, quantumuis obstrepent aduersarii, vanas induci rerum species, virtutumque imagines, quas ne praestantissimus quidem attingere queat, clamantes. Nam vt in virtute subsistamus, nullo modo concedi potest, id quod quaeritur honestum ab exemplis, passim in experientia temporis praeteriti obuiis, repeti debere. Varium enim tunc atque mobile aliquid secundum tempora et mores hominum valdeque imperfectum, nec certa vmquam lege definiendum foret. Verum e contrario vnusquisque ad mentis in diiudi-

can-

canda virtute operationem paullo attentior, facillime obseruabit, exempla magnorum virorum, in quibus excelsa aliqua virtus laudatur, in mente sua ad ideam aliquam protypam virtutis comparationis caussa quasi admoueri, et quo longius propiusue ab hoc quasi catione distet, eo minori maioriue in pretio haberi, ita vt virtutis consummatae in se repostam ideam sentiat; quae quamquam propter humanae naturae fragilitatem numquam expleri possit, tamen ideo non pro vano aliquo simulacro habenda est. Proditur enim per effectus; quum omne de dignitate aut prauitate actionum humanarum iudicium ab ipsa vnice pendeat, sitque infiniti ad perfectiorem semper virtutem progressus fons atque adhortamen, multo melius in idea pura repositum, quam si ex turbidis experientiae fontibus hauriatur. Experientia enim, quod fit; idea id docet, quod fieri deceat. Pari modo autem in re publica constituenda non deridendus Plato, sed summopere laudandus est, quum eius principia non ab experientia sed ab ideis repeti vellet. Omnis enim rei publicae ordinatio si secundum ius fasque instituenda est, necessarie ab hac proficiscitur idea, vt summa sit in re publica libertas, sub legibus aequis, quae libertatem singulorum cum libertate omnium conciliare valeant. Hoc autem perfectum rei publicae exemplar quamuis numquam sisti poterit in rerum natura, vtiliter tamen proponitur; quantum enim humana patitur conditio, approximatio ad illud tam in re publica regenda quam in singulis legibus ferendis debet institui, nec vnquam nisi hoc protypo duce ad melius rectiusque nos peruenturos sperandum est. Sed sufficiant haec, quae obiter de ideis Platonicis alleganda esse censuimus; satis enim iam demonstratum esse videtur, idearum vocabulum, quale occurrit apud Platonem ob similem significatum apte ad conceptus nostros rationis traduci. Hoc tantum adiicere placet, nos, licet apud Platonem

la-

latior quoque inueniatur ideae significatus, (ita vt et matheseos purae axiomata, quibus tamen obiectum datur per constructionem a priori, pro ideis haberet) hoc vocabulo vnice ad designandum conceptum rationis siue, quod idem est, absoluti, cf. Sect. II §. 1. (qualem supra pluribus descripsimus,) vsuros esse. Placet autem hic, quum in vltimo quasi repraesentationum mentis cogitantis gradu subsistamus, conspectum adiicere variorum repraesentationis specierum, vt vnius cuiusque indolem distinctius adstrictam notis teneamus.

§. 3.

Repraesentationum climax.

Principio inter omnes, quibus philosophicae disquisitiones curae cordique sunt, hoc sine dubio constabit, omnem philosophandi rationem a nobismet ipsis ordiri, mentemque rerum cognoscere caussas cupientem a se ipsa incipere, suique sibi recte consciam esse debere. Quod vt efficiatur, omni rerum externarum cura omissa, ad nosmet ipsos quasi nos reclinare debemus. Ex qua quidem nostrum ipsorum contemplatione hoc ante omnia perspicietur, omnia quae insint nobis rerum signa atque imagines, et quaecunque cogitando vel meditando assequimur, in vno nostrum concurrere atque conciliari subiecto cogitante, cuius vt nobis conscii fiamus per repraesentationes efficitur. Obiecta enim si admouentur sensibus, interne nos commotos sentimus, fitque status eius, quo antea affecti fuerimus, commutatio; dum nouam interne recipimus obiecti impressionem. Hoc autem, per quod obiectum in mente exhibetur, ipsamque commouet (i. e. statum internum commutat,) *repraesentatio* vocatur, quoniam obiectum quasi praesens in mentem sibi conscium recipitur. In repraesentando igitur tria sunt,

funt, quae mens ftatus interni commutati fibi confcia neceffario diftinguit: primum, fe ipfam quatenus recipit, et confcientiae admouet effectus ab obiectis profectos, fiue fubiectum repraefentans: fecundo loco obiectum quod repraefentatur, tertio denique id per quod relatio conftituitur fubiecti repraefentantis cum obiecto repraefentato, repraefentatio fcilicet, aeque a fubiecto, ac obiecto diuerfa. Haec tria funt, quae in quauis cogitatione, cuius nobis ipfi confcii fumus, accurate diftinguuntur. Quaecunque igitur ftatus mentis interni modificationes commutationesque exiftunt, ad repraefentationes in genere poffunt reduci, fub quibus, vti dictum eft, correlatum intelligimus obiecti cum fubiecto cogitante, quod in mente fibi confcia ab vtroque diftinguitur. Poteft autem fieri, vt repraefentatio adhibeatur menti aliis curis intentae, ita vt eius diftincte fibi confcia non fiat. Talem repraefentationem obfcuram coecamque appellare licet. Repraefentationem autem cuius diftincte nobis confcii fumus, *perceptionem* vocamus, quae, quatenus vnice fecundum relationem ad fubiectum, cuius ftatum commutat, confideratur, *fenfationis*; quatenus autem ad obiectum id refertur, quod per ipfam menti fibi confciae admouetur, *cognitionis* nomine compellanda eft. *Cognitio* autem, quando fingula eft et immediate ad obiectum refertur, *intuitiua*, quando autem mediata eft per notam pluribus communem, *intellectualis* eft; illam intuitionem hunc conceptum rite vocaueris. Conceptus vel ab experientia tenet, vel formalis eft a priori: illum *empiricum* conceptum, hunc *purum* fiue notionem dixeris. Rationis autem, qui notiones ad vfum empiricum reftrictas fuperat, conceptus, omnem experientiam transfcendens, *idea* vocatur, cuius naturam fupra fufius explicauimus.

SEC-

Sectio Altera.

De ideis transscendentalibus.

§. 1.

Conceptus rationis purae siue idea in genere est conceptus de absoluto, quatenus hoc continet fundamentum syntheseos conditionati; i. e. synthesin seu appositionem praedicati ad subiectum cognitionis conditionatae in conclusione possibilem reddit a priori.

Quemadmodum in analytica transscendentali a forma cognitionis logica ad notiones seu praedicamenta intellectus puri traducebamur, ita exspectandum est, functionem quoque rationis logicam in concludendo nobis aditum esse aperituram ad aliud conceptuum genus a priori, quod idearum nomine a reliquis distinximus. Sicuti autem praedicamentorum eam esse vim nec significationem diximus, vt multiplicia intuitionum sub vnitate synthetica obiecti comprehendant, affectionesque, quas receptiuitas sensus interni patitur, spontanea hac operatione in cognitionem de obiectis empiricam conuertant, ita conceptuum rationis hunc fore vsum augurari licet, vt cognitione empirica ad vnitatem ex principiis perducta totalitas aliqua syntheseos et finitum experientiae systema comparari possit. (Conf. prolusio.) Quare duplex cogitari potest phaenomenorum vnitas synthetica in subiecto cogitante; prior, quae continetur in praedicamento, sub quo data per intuitionem ad conceptum obiecti reducuntur; quam quidem vnitatem intellectus licet appellare, intellectus enim synthesin operatur multiplicium intuitionis in imaginatione, ex quo conceptus nascitur obiecti, et indigesta coecarum intutionum moles in cognitionem comprehensibilem conuertitur. Altera est vnitas rationis synthetica, per quam vnitas obiecti ex-

perientiae, quae cogitabatur in praedicamento, cuique ab origine nota inhaeret conditionalitatis vsque ad absolutum omnis experientiae principium perducitur. Coram ratione enim quaecunque per intellectum cogitantur obiecta experientiae vt partes considerantur perfecti cuiusdam systematis cognitionum empiricarum, quod terminatur absoluto seu conditione vltima non conditionata. Subsumuntur igitur phaenomena per intellectum cogitata sub vnitatem conceptus de absoluto, in quo omnis experientia possibilis consummatur. Haec est ea, quam diximus, vnitas phaenomenorum, quae efficitur per conceptus rationis, quorum deductio subiectiua (obiectiua enim dari nequit, qualem praedicamentorum, quoniam ipsis obiectum nullum congruit,) ex functione rationis logica iam nunc instituenda est.

Functionem rationis in concludendo, quae formam constituit ratiocinii, eo tendere vidimus, vt particularia ex generalibus eliciat, i. e. obiectis cognitionis particularis praedicata assignet, ex cognitione vniuersali sub conditione aliqua, cui obiectum congruit, deriuata. Consequentia itaque iudicium est, ex toto ambitu conditionis in ipso expressae deductum. Haec vt exemplo illustremus, si Caium aliquem mortalem esse syllogismo probare velimus, quaerendus foret conceptus, in quo conditio ea contineretur, sub qua praedicatum subiecto tribuitur. Cui si conditioni in vniuerso ipsius ambitu expressae congruum Caium inuenerimus, rite ipsi praedicatum assignandum esse iudicabitur. Caium esse mortalem ex conditione hominis deriuatur; consummatus itaque huic conditioni atque vniuersalissimus ambitus dandus est, et propositio maior formanda in hanc sententiam:

Omnes homines sunt mortales.

Sin

Sin enim ambitus limitaretur, ita vt quosdam homines esse mortales diceremus, tunc ex conditione hominis, Caium esse mortalem, deduci nequaquam posset. Subsumendus deinceps Caius sub conditionem hominis

Caius est homo;

tuncque praedicatum, quod conditioni sub qua subiectum cogitabatur in vniuerso ipsius ambitu competit, iure ad singulum hoc subiectum restringi transferrique poterit.

Ergo Caius est mortalis.

Restringitur igitur in consequentia praedicatum ad conditionatum aliquod subiectum, cuius conditioni vniuersaliter (i. e. secundum omnem ipsius ambitum) cogitatae competere idem praedicatum ex propositione maiori constabat.

Perfectus autem hic conditionis ambitus, quem *vniuersalitatem* conceptus appellabimus, in synthesi intuitionum correspondentem sibi requirit *vniuersalitatem* seu totalitatem conditionum. Idea igitur rationis totalitatem inuoluit conditionum, a quibus conditionata pendet cognitio. Totalitas autem conditionum non possibilis est nisi assumto absoluto, et hoc necessarie inuoluit, quum expleta totalitas per se absoluta sit; quare ideam rationis, vti in paragraphi titulo positum est, per conceptum absoluti definire licet. *) In hoc au-

*) Obseru. Supra iam de vocabulo *ideae* obseruauimus, rectum eiusdem vsum annexis aliis cognatis quidem et diuersis tamen significationibus peruersum primaeuae puritati restituendum ipsique vim certam atque stabilem assignandam esse. Idem circa vocabulum *absoluti* conqueri licet, similisque medela adhibenda esse videtur. Modo enim absoluti vocabulum de eo vsurpatur, quod de re aliqua, quatenus per se consideratur, i. e. *interne* valet, ita vt v. c. absoluta possibilitas de eo quod per se inter-

ne

autem absoluto synthesin conditionati qua talis fundatam esse a priori diximus; conditionati enim sufficiens ratio nisi in absoluto inueniri nequit. (Conf. Introduct. Sect. II. §. 4.)

§. 2.

Totidem sunt ideae rationis, quot ratiociniorum quoad formam genera. Quaeritur igitur 1) absolutum syntheseos categoricae in subiecto, 2) absolutum syntheseos hypotheticae membrorum in serie, 3) absolutum syntheseos disiunctiuae, siue partium cognitionis in systemate.

Recordabitur lector beneuolus quod supra allegauimus, (Introduct. ad Dialect. transsc. Sect. II. §. 2.) tria scilicet esse debere ratiociniorum genera, categorica, hypothetica, disiunctiua, ex triplici cognitionis cum conditione, sub qua praedicatum ipsi attribuitur, relatione oriunda. Formam autem ratiocinii nos ad conceptum rationis de absoluto ducere, paragrapho praecedenti dictum est; igitur quot ratiociniorum sunt genera, totidem de absoluto conceptus inde oriri necesse est. In quolibet enim ratiocinii genere a conditionato fit progressus per prosyllogismos, vsque dum ad absolutum perueniatur, in quo necessarie subsistitur. Sic in ratiociniis categoricis, in quibus praedicati ad subiectum sistitur relatio, ad subiectum vsque pro-

ne possibile est praedicetur, modo id absolutum esse dicunt, quod *omni respectu* absque vlla restrictione valet. Nos autem, ne diuersas significationes sensus diuersus sequatur, vocabuli sensu vtemur latiori ita vt per absolutum id designetur, quod omnimode valet et omni respectu absque vlla restrictione; conditionato illud opponentes, de quo non nisi comparatiue et certo respectu i. e. sub conditione aliqua praedicare aliquid licet.

procedimus, quod vt abſolute poſitum non amplius pro praedicato haberi poteſt; in hypotheticis vsque ad conditionem vltimam, quae a nulla conditione vlteriori pendet; in disiunctiuis vsque ad perfectam membrorum diuidentium totalitatem, in qua nihil deeſt, quod ad totius cognitionis ambitum pertinét. (Conſ. Analyt. concept. Cap. I. Sect. II. §. 4.)

Ex quo patet, hosce rationis conceptus de totalitate ſyntheſeos conditionum, quae regreſſum poſtulat ad abſolutum, non eſſe commenta ſuppoſiticia ex arbitrario rationis auſu profluentia, ſed neceſſaria atque in rationis humanae indole naturali fundata. Problematum igitur loco habendi ſunt, a natura nobis propoſitorum, per quae quam altiſſime poſſumus in conditionibus cognitionum exquirendis aſcendere iubemur. Nam etiamſi ad infinitum illud atque abſolutum, quod quaeritur, propter cognitionis ad ſenſualitatem reſtrictae indolem nequeamus peruenire, nullusque foret harum idearum vſus in concreto — id de quo paullo infra tractabimus — tamen regulam propoſitam in ipſis haberemus, qua omnis intellectus vſus regeretur, infinitique cognitionum progreſſus earumque inter ſe ordinatio ſyſtematica compararetur.

§. 3.

Ideae rationis §. 2. propoſitae purae ſunt et transſcendentales, quoniam nullum ipſis in experientia ſenſitiua congruum obiectum dari poteſt. (Conſ. proluſ. ad Dialect. transſc. Lib. I.)

Sectio Tertia.

Idearum transscendentalium conspectus systematicus

§. 1.

Ratio pura per ideas transscendentales tres condit disciplinas rationales, psychologiam puta rationalem, cosmologiam rat. et theologiam transscendentalem.

Id proprium esse rationis antea diximus, vt a synthesi conditionata repraesentationum, cui semper intellectus adstrictus est, ad absolutam ascendat vnitatem sub principiis, summasque et vltimas exquirat conditiones, a quibus pendens cognitio nostra ad vnitatem systematis perduci possit. Ideae enim transscendentales, vti vidimus, in constituendo absoluto versantur, in quo vt summa vnitate synthesis omnium conditionum perfecta consummataque sit.

Omnium autem repraesentationum, qualiscunque demum generis sint, duplex tantum esse potest relatio, aut ad subiectum in quo continentur, aut ad obiecta quae ipsis materiam praebent. Obiecta autem quum iterum dupliciter distingui possint, in phaenomena scilicet et obiecta cogitationis in genere, inde duplex exiltit repraesentationum respectus. Quam si subdiuisionem generaliori isti apponimus, inde triplex oritur repraesentationum humanarum relatio possibilis, ita vt repraesentatio considerari possit in relatione 1) ad subiectum repraesentans, 2) ad multiplicia, quae exhibentur in obiecto phaenomeno, 3) ad obiecta cogitationis possibilis (res omnes) in genere.

Ex quo tres oriuntur omnis scientiae possibilis partes. Meditari enim licet omnino, 1) de subiecto, 2) de obiectis phaenomenis, 3) de obiectis cogitatio-

tionis possibilis seu rerum cogitabilium in genere complexu.

Ratio haec circa tria genera facultatem suam exercens summaque inuestigans principia, ex quibus conditionata, quam intellectus comparat, cognitio perfecte absoluteque deduci possit, 1) vnitatem absolutam poscit subiecti cogitantis, 2) vnitatem absolutam, in qua series conditionum a phaenomeno conditionato ascendens terminetur, 3) vnitatem absolutam, in qua conditio summa omnium obiectorum cogitationis possibilis contineatur.

Sic igitur emensum videmus rationis purae campum, qui tribus ideis transscendentalibus modo enumeratis necessarie absoluitur. Cum enim praeter triplicem istam, quam supra exposuimus, repraesentationum relationem nulla cogitari possit amplius, inde efficitur, omne quod sciri cognoscique potest a nobis ad vnum de tribus istis generibus pertinere, quorum cognitionem per ideas transscendentales consummare ratio studet.

Primam autem, quae de subiecto cogitante agit doctrinam, psychologiam, alteram quae de phaenomenorum complexu vniuerso tractat, cosmologiam, tertiam denique, quae supremam perdocet possibilitatis omnium cogitabilium conditionem (doctrinam de ente summo) theologiam rationalem appellamus. Quae igitur haec circa obiecta *ex ideis per rationis vsum purum* transscendentalis affectatur cognitio, tribus hisce doctrinis rationalibus omnis comprehenditur.

Quomodo autem ratio, 1) per eiusdem functionem logicam in ratiociniis categoricis ad absolutam vnitatem subiecti cogitantis, 2) ex forma ratiocinii hypothetici ad absolutum aliquod, quo series conditionum datorum claudatur, 3) ex forma ratiocinii dis-

instinui ad supremam de ente summo ideam necessarie deducatur, quique sint horum rationis purae conceptuum *modi*, ad filum praedicamentorum decurrentes, haec in subsequenti de ratiociniis dialecticis libro fusius vberiusque exponenda nobis reseruamus.

§. 2.

Rationis commentum de totalitate seriei conditionatorum descendendo progredientis inter ideas transscendentales referri non debet.

Idearum transscendentalium hunc tantum esse vsum vidimus, vt per ipsas series conditionum ad absoluta perducatur principia. Nititur autem hicce vsus necessaria suppositione rationis, quae vt conditionati alicuius positionem explicare queat, seriem completam requirit conditionum, a qua constanti inuestigationis filo conditionatum illud possit deduci. Hac autem semel posita et a parte anteriori perfecta, ad progressum potentialem episyllogismorum conceptu rationis non egemus, sed omnia ex legibus intellectus per rationis vsum logicum ad ipsas applicatum eliciuntur. Haud enim conditio a serie conditionatorum, quae in infinitum continuari potest, (caussa ab effectibus) sed conditionatum a conditionibus a summa aliqua et definitiua deducendis (effectus a caussa) pendet; firmataque a parte ante serie, progressus infinitus a parte posteriori institui potest. (conf. Introduct. Sect. II. §. 4.) Quare si quis absolutam syntheseos progressiuae per episyllogismos totalitatem (v. c. completam seriem omnium futurarum mundi commutationum aut omnium successiuarum humanae speciei generationum) fingere sibi velit, tale commentum pro ente rationis arbitrarie excogitato, haud vero pro idea transscendentali, cuius semper in natura rationis fundata esse debet necessitas, habendum est.

§. 3.

§. 3.

De idearum transscendentalium nexu interno.

Cognitiones nostras per hasce ideas transscendentales in systematicum aliquem nexum redigi et ad vnitatem principiorum reuocari, nemo est qui dubitare possit. Quin ipsarum quoque inter se nexus aliquis apparet, et aptissima vnius cum altera cohaerentia. A cognitione enim sui (subiecti scil. cogitantis) ad cognitionem vniuersi, et ab hoc ad ens summum originarium tam apte proceditur, vt simile aliquid logico a praemissis ad consequentiam progressui fieri videatur. Haec autem similitudo quomodo se habeat, et quomodo ab vna ad alteram rite transeatur, harum quoque quaestionum solutio ex subsequenti tractatione emerget. Satis sit in hoc libro dialectices primo, idearum transscendentalium ortum atque originem explicasse, a ceteris eas conceptibus, quibuscum confusae hucusque commiscebantur, certa definitione secreuisse, et quantae sint numero, qualique inter se stent relatione determinasse. Iam igitur hac parte absoluta, ad alteram, qua de ratiociniis dialecticis tractabitur, nos conuertamus.

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER SECUNDUS.

De ratiociniis dialecticis.

Prolusio, epitomen sistens totius argumenti eiusque in partes distributionem.

De ratiociniis dialecticis in genere.

§. 1.

Ratiociniis dialecticis id omnibus est commune, vt in ipsis ratio ab eo, quod per intellectum cognoscitur, ad id colligendo procedat, de quo conceptum formare non licet, cuius tamen ideae per illusionem ineuitabilem obiectiua tribuitur realitas.

Ad ideas rationis purae per ratiocinia propter subiectiuam rationis formam necessaria peruèniri, speciemque exinde illusoriam oriri, vberius iam in superioribus explicatum est. (Conf. Introduct. ad. Dial. transscendent. Sect. III. coll. c. Dial. transsc. Lib. I. Sect. II. §. 2.) Propterea autem, quod e ratiociniis subiectiue *necessariis* ideae transscendentales eliciuntur, subiectiua ipsis seu transscendentalis tribuitur realitas, quam ideae de totalitate conditionatorum per episyllogismos, in qua nulla rationis conspicitur necessitas, negauimus. (Conf. Lib. I. Sect. III. §. 2.) Ab hac autem transscendentali realitate ad obiectiuam non nisi per sophisticationem aliquam fraudemque rationis con-

concludi, iam exinde colligi poteſt, quod ideae qualicunque rationis purae, per ipſius naturam transſcendentem, congruum in experientia obiectum exhiberi nequit. (Conf. Introd. ad Dial. transſc. Sect. III. §. 3.) Quare de obiecto ideae rationis correſpondente nullum conceptum nobis eſſe, ſiue tale obiectum per *intellectum* comprehendi non poſſe, iure contendimus. Omnis enim cognitio per intellectum ſuapte natura ita comparata eſt, vt in experientia poſſibili demonſtrari, i. e. ipſius ad obiectum intuibile relatio ſiſti poſſit.

§. 2.

Ratiocinia dialectica totidem ſunt, quot formae exiſtunt logicae concludendi.

Horum autem ratiociniorum dialecticorum, per quae neceſſario ad ideas transſcendentales formandas deducimur, totidem eſſe debere conſtat, quot ſunt formae ratiociniorum in genere, ſecundum quas ratio abſolutam ſeriei conditionum totalitatem inueſtigare poteſt. Triplex autem quum ſit (vti vidimus Lib. I. Sect. III. §. 1.) omnis cognitionis poſſibilis relatio, ad ſubiectum, ad obiecta phaenomena, ad vniuerſalitatem obiectorum cogitabilium in genere; inde quaecunque ineſt nobis cognitio, quaecunque excogitari poteſt repraeſentatio poſſibilis, a triplici parte conditionata erit: 1) a parte ſubiecti, cui inhaeret, ſeu in quo exhibetur, 2) a parte obiecti, quod repraeſentatur, quatenus phaenomenon, 3) a parte obiecti quatenus ad vniuerſalitatem cogitabilium in genere id eſt mundum pertinet.

Huic autem triplici conditionum ſeriei, quae per cognitionum in quouis iudicio triplicem relationem ſiſtitur, (Conf. Dial. transſc. Lib. I. Sect. II. §. 2.) perfecta et in abſoluto definitiue terminata quaeritur

to-

totalitas per ratiocinia dialectica, secundum analogiam formarum ratiocinii logicarum, quibus in quauis conditionum serie constituenda ratio vtitur, comparata. Forma autem ratiocinii logica triplex esse inuenitur, aut categorica, aut hypothetica, aut denique disiunctiua: ex quo tria esse ratiociniorum dialecticorum genera, quorum quodque singulae formae superstructum erit, rite colligitur.

§. 3.

Ratiocinia dialectica primi generis, formae syllogismi categorici correspondentia, paralogismos transscendentales; secundi, quod forma syllogismi hypothetici inducti constituimus, propter discordantiam rationis sibi ipsi repugnantis *), *antitheses rationis purae; tertii deinde generis ratiocinium syllogismi disiunctiui formae superstructum, ratiocinium prototypi transscendentalis appellabimus.*

Horum ratiociniorum vt breuiter argumentum perstringamus, in paralogismo transscendentali a conceptu transscendentali de subiecto, cui nulla inest determinationum pluralitas, ad vnitatem absolutam subiecti ipsius concluditur; alterum genus ad constituendam vnitatem absolutam conditionum obiectiuarum phaenomeni dati comparatum est, in qua inuestiganda ratio in dogmatum e contrario oppositorum antithesin repugnantesque sibi inuicem opiniones abripitur, quae antinomiam istam rationis, de qua supra dictum est, caussantur; in tertio denique genere ratio-

*) Ἐν ἀντινομίᾳ κατακειμένης: quare et Kantius hunc rationis, inter duo contraria ancipitis, statum *antinomiam rationis purae* vocauit.

tiocinii dialectici, ad analogiam syllogismi disiunctiui instituto, ab ea, quam ratio postulat, totalitate conditionum obiectiuarum, sub quibus obiecta in genere dari possunt, ad vnitatem absolutam conditionum possibilitatis rerum in genere, in summo aliquo ente (prototypo transscendentali) rerum omnium origine atque fonte supremo reponendam, inducimur.

In tria igitur capita haec de ratiociniis dialecticis tractatio distribuenda erit, quorum primum de paralogismis rationis purae, alterum de eiusdem antinomia, tertium de prototypo transscendentali aget.

CAPUT PRIMUM.

De paralogismis rationis purae, quibus psychologia rationalis nititur.

SECTIO PRIOR.

Confutatio paralogismi psychologici. (Conf. Analyt. transsc. Lib. I. Cap. III. Sect. II. §. 2.)

§. 1.

Psychologiae rationalis thema atque argumentum simplici hoc iudicio: „Cogito," continetur; in quo vti vidimus omnis conscientia mei haeret. (Conf. Analytic. transscend. Cap. III. Sect. II. §. 2.) *Obiectum igitur psychologiae rationalis breuiter expressum hoc est: „Ego ens cogitans;" ipsaque, quatenus rationalis doctrina, nihil de anima docet amplius, praeter id, quod*

quod ex hac repraesentatione „Ego,„ quatenus omnem cogitationem concomitatur, deduci potest.

Originalis, quae omnem cogitationem vt nostram menti sibi consciae vindicat, repraesentatio ea est, secundum quam omne cogitatum vt inhaerens subiecto alicui nostrûm, in quo cogitatur, repraesentamus. Id igitur mei quod cogitat, (ego cogitans) vt obiectum sensus interni, ab eo distinguitur, quod vt obiectum sensus externi *cogitari* vnice potest, non ipsum *cogitare*. Illud *animam*, hoc corpus appellamus.

Illud autem iudicium „*ego cogito*„ quamuis cum omnibus conceptibus, etiam transscendentalibus *vt nostris*, (in vnitate conscientiae transscendentali exbibitis) immediate coniunctum appareat, tamen conceptuum transscendentalium tabulae inseri non debuit. Haud enim in ipso vnitas illa synthetica comprehenditur, per quam multiplicia *intuitionis* ad obiectum referuntur in cognitione, qualem in praedicamentis exhiberi didicimus; sed vehiculum tantum est et medium, cuius ope ipsi conceptus transscendentales, (sicut omne in genere cogitatum,) conscientiae admouentur. Praedicamenta igitur cognitionem efficiunt; synthetica vero apperceptionis vnitas, quae in relatione ad identitatem subiecti cogitantis consistit, eas in vna eademque conscientia nostri coniungit. — Obiici autem nobis haud sine specie quadam veri posset, eam, quam supra rationalem diximus, psychologiam hoc nomine haud satis dignam videri, quum ipsum id, cui super extruitur, iudicium, in quo me cogitare pronuntio, apperceptionem sui exprimat, quae non nisi per experientiam internam possibilis est, propterea que ea ipsa, quae in hoc omnis fundata est, psychologia rationalis non pura sit sed principio empirico innitatur. Verum quae ad experientiam inter-

ternam in genere eiusque possibilitatem spectant, quaeque de perceptionis conditionibus in abstracto cogitantur, (dummodo nulla perceptionum diuersitas, secundum obiecta, in disquisitionem immiscetur,) haec non ad cognitionem empiricam, sed ad possibilitatem omnis experientiae omnino indagandam pertinent, de qua transscendentalis est disquisitio.

§. 2.

Ex hac enuntiatione facti, quod cogito, si ad obiectum (me ipsum scilicet tanquam subiectum cogitans) refertur, nulla huius obiecti deriuari possunt praedicata, nisi transscendentalia; quoduis enim praedicatum empiricum rationalem psychologiae puritatem continuo corrumperet.

§. 3.

Praedicata transscendentalia entis cogitantis (animae) secundum tabulam praedicamentorum ex ipsius notione (vt cogitantis) explicita topicam sistunt psychologiae rationalis, seu titulorum, ad quos omnes in eam cadentes cognitiones redigi debent, indicem.

In qua topica sistenda, quoniam ens cogitans (ego qui cogito) datum habemus, incipiendum est a categoria substantiae, sicque, ordine tantum inuerso, omnia praedicata transscendentalia ad filum praedicamentorum exponentur.

1.

Anima (quoad relationem) est substantia

2.	3.
(quoad qualitatem)	(quoad quantitatem)
est	est
simplex.	numerice identica.
	(vnitas, non pluralitas.)

4. quo-

4.
(quoad modalitatem)
est
in commercio ad obiecta possibilia in spatio, at libera ab ipsis et independenter existens.

Hi sunt elementares et secundum ordinem praedicamentorum redacti psychologiae rationalis de anima conceptus, qui de ipsa necessarie praedicari debent, quando subiecti cogitantis conceptus per eiusdem praedicata, *qualia in intellectu puro cogitari debent*, determinatur. Quod enim in intellectu puro vt subiectum tale cogitatur, quod nunquam vt praedicatum alii inhaerens considerari potest, ab ipso sub notionem puram substantiae subsumitur, haec autem substantia, quatenus vnice vt obiectum sensus interni et ab omni externa relatione liberum cogitatur, compositionis, quippe quae externa est relatio, expers, igitur *simplex* esse debet. (conf. topica transsc. §. 5.) De hac autem substantia, quatenus quae diuersis temporibus ipsi data sunt sub vna eademque conscientia sui comprehendit, iure praedicatur numerica identitas; quoad modalitatem autem, dum se ab omnibus aliis in conscientia sui distinguit, libera ipsi et ab omnibus ceteris rebus extra subiectum cogitans positis (ad quas etiam corpus pertinet) independens existentia tribuitur.

§. 4.

Ab hisce elementis per simplicem compositionem eorum cum obiecto sensus interni (cogitante) omnes psychologiae rationalis de anima conceptus formantur.

Primum enim obiectum sensus interni, per praedicamentum substantiae cogitatum, *immateriale* esse debet; ex conceptu vero substantiae simplicis eiusdem *incorruptibilitas* aperte prodit; identitas denique subiecti

iecti cogitantis, si substantiale — *personalitatem* eiusdem constituit; quae tria praedicata sub notione generali spiritualis naturae (*spiritualitatis*) comprehenduntur. Quatenus autem substantia spiritualis quoad relationem cum externis, tanquam libere exsistens et nihilominus in commercio cum corporibus constituta, consideratur; eandem vt principium vitae in omni materia consideramus, cui quidem principio animalitatis propter spiritualem substantiae intelligentis naturam *immortalitas* quoque tribuitur.

Hoc demum modo mundum sensibilem transgressi in intelligibili pedem fixisse videmur, exstructaque apparet non sine specie quadam veri transscendentalis scientia de noumeno, (ente cogitante vt substantia) quae si bene fundata inueniretur, spem sine dubio excitaret in hac, quam penetrationi nostrae penitus occlusam modo credideramus, parte posse quoque aliquanto longius procedi. Verum primo statim obtutu haec nos mirifice perturbare debet difficultas, quonam tandem more a simplici repraesentatione eius, quod cogitat, ad tantam cognitionum a priori copiam peruenerimus. Eius enim quod cogitat (ego, subiect. cogitans) nihil amplius nobis praebetur in apperceptione quam subiectum aliquod transscendentale cogitationum, quod non per se, sed vt inhaerens cogitationibus nostris comprehenditur, dum scilicet eas ipsas in mente nostra ponit; de quo consequentur non quid demum id sit, sed id tantum cognoscitur, esse hoc omnis cogitationis nostrae vehiculum, per quod cogitationum nobis conscii sumus. Haud igitur in hac nostrum apperceptione, per quam omnis cognitio fit possibilis, repraesentatio aliqua continetur obiecti extra cogitationem per se exsistentis, sed forma aliqua cogitationis, per quam quae repraesentantur in sensibus, in cogitationem conuertimus,

timus, nobisque ipsis quasi vindicamus; quae, si a cogitatione eam separaueris, omni penitus argumento destituta erit. Iam igitur augurari licet in psychologia rationali in eo peccari, vt logica cogitationis expositio per paralogismum pro metaphysica obiecti determinatione habeatur. Hic igitur paralogismus iam nunc nobis sistendus erit.

§. 5.

Omnibus ratiociniis, quorum ope ad 4 ista, quae §. 3. exposuimus, psychologiae rationalis elementa peruenitur, commune hoc inest vitium, vt ab eo, quod est in conceptu, ad id quod est in realitate concludatur, logicaque et subiectiua realitas in metaphysicam et obiectiuam conuertatur.

Quam quidem assertionem nostram per quatuor paralogismorum psychologicorum examen probabimus.

1) Primum igitur subiectum cogitans esse substantiam ita contendunt:

Cuius repraesentatio in omni iudicio possibili subiecti loco ponitur, ita vt numquam pro praedicato alius subiecti haberi possit, est substantia. Atqui id mei, quod cogitat, (ego qui cogito) absolute subiectum est, nec in vllo iudicio possibili praedicati loco potest constitui.

Ergo id mei, quod cogitat, est substantia. (Anima)

Quod si ratiocinium examini subiicimus, inueniemus eam quidem propositionem, qua me, qui cogitat, absolute subiectum nec cogitationis vllius praedicatum esse asseritur, apodictice certam esse, quoniam identica est. Dicendo enim „ego qui cogito„ id exprimitur, sine quo nulla vnquam cogitatio existere potest. Hoc igitur apperceptionis subiectum loco

prae-

praedicati in iudicio ponere, idem foret, ac praequiam aliquam cogitationem ante id, quod omnem cogitationem possibilem reddit, velle inducere, eique, quod non cogitat, cogitationem attribuere. Quare in omni quidem iudicio id, quod cogitat, subiectum esse debet nec vmquam praedicati loco poterit constitui; ex quo tamen illud, idem esse substantiam metaphysicam ac obiectiuam, nequaquam efficitur. Nam si ad ratiocinium supra exhibitum paullo accuratius attendimus, in propositione maiori *logicam* tantum sisti substantiae definitionem intelligemus, sine vllo ad conditiones sensualitatis, sub quibus vnice praedicamento substantiae obiectiua tribui potest realitas, respectu.

In praedicato propositionis maioris igitur per substantiam forma tantum cogitationis logicae de subiecto non-praedicabili sistitur, qui logicus conceptus omni argumento reali caret. At in conclusione, qua animam esse substantiam contenditur, omisso isto sensu logico, alius furtim introducitur conceptus de substantia reali, qua obiectum innuitur perdurabile, in quo omne mutabile vt eiusdem accidens seu modus existendi comprehenditur. Quantum autem distent inter se et substantia ista logica et haec metaphysica, luce clarius apparet. Nihil igitur ex ista conclusione emergit amplius, quam, animam esse substantiam sensu logico i. e. subiectum logicum, de quo omnis cogitatio praedicatur, quod ipsum autem non est praedicabile; hic vero conceptus nullam inuoluit obiectiuam realitatem. Quare si, vt plerumque factum est, ea, quae in propositione maiori mere logicae est significationis, substantia, in conclusione pro metaphysica atque obiectiua accipitur, ratiocinium paralogismo laborare, seu in forma peccare, eiusque generis esse intelligemus, quod sophisma figurae dictionis logici appellare solent. Transscendentale autem hoc pa-

ralogiſmorum pſychologicorum genus appellauimus, quoniam ſpecie aliqua communi inducimur, cuius in ipſa rationis noſtrae natura cauſſa latet, de quo infra.

Cur vero tam procliues deferamur ad tribuendam ſubiecto cogitanti obiectiuam ſubſtantiam ſeu perdurabilitatem exiſtentiae obiectiuae, eius haec cauſſa eſt, quod apperceptio noſtrûm ſemper eadem manet, quapropter eam in obiecto aliquo ſubſtantialiter perdurabili collocari debere, facile perſuademur. (conf. obſeru. ad paralog. 3.)

Hoc autem ſi concidit argumentum, quo animam eſſe ſubſtantiam concluditur, cetera, quibus eam eſſe et ſimplicem et ſemper eandem, nec non diſtinctam a mundo materiali ſeu omnibus rebus externis, quibuscum ſtat in relatione, per ſe corruunt; attamen, quo clarius haec eorum inconſequentia perſpiciatur, breuiter hic ea perſtringere iuuat.

2) Subſtantiam cogitantem eſſe *ſimplicem* ita probatur:

Cuius entis actio numquam vt e concurrentia multorum agentium conflata conſiderari poteſt, id ſimplex eſt ſubſtantia. Atqui ens cogitans tale eſt, cuius actionem in cogitando non e concurrentia multorum conflatam exiſtimare poſſis.

Ergo ens cogitans eſt ſubſtantia ſimplex. (Anima)

In quo ratiocinio facili opera ſubiectum cogitationis logicum *ſubſtantiari* intelligitur. In repraeſentatione quidem mei, qui cogito, multiplicitatem non ineſſe analytice certum eſt; ex analyſi enim conceptus „ego„, qui abſolute ſingularis eſt, rite profluit. At in hoc conceptu non contineri vnitatem ſubſtantiae, ſed vnitatem tantum apperceptionis, ex ſupra dictis conſtat. A repraeſentatione igitur mei ſubiectiua ad obiectiuam ſimplicis exiſtentiae realitatem hic conclu-

di

di apparet. Sin igitur nihil quod vltra cognitionis possibilis fines situm est, assumere volumus, in hac propositione: anima est simplex, nihil inuolui aliud cernimus quam: „in repraesentatione mei, qualis datur in apperceptione, non continetur multiplicitas, siue subiectum ego est simplex repraesentatio„. A qua vero apperceptionis simplicitate, antequam ad simplicem substantiam transiri potest, hoc praecedenter erit demonstrandum, per repraesentationem τȣ ego (subiecti cogitationum) substantiam obiectiuam necessarie poni. Id quod, vti supra vidimus, probari nequit; quare vna et hoc argumentum corruit.

3) Parilis est ratio numericae identitatis, quam de subiecto cogitante sic tuentur: quod sibi numericae identitatis sui ipsius diuersis temporibus conscium est, vnum est idemque siue *persona*.

Atqui anima identitatis suae numericae sibi conscia est.

Ergo est numericae identica siue *persona*.

Hoc si ita intelligitur esse animam *vnam* identicamque in omni tempore substantiam, videmus in hoc argumento iam praesupponi perdurabilem eiusdem vt substantiae existentiam, quae, vti supra vidimus, probari nequit. Hac autem detracta nihil ex hac propositione restat, praeter identitatem logicam subiecti cogitantis, quae iam ex ipso apperceptionis mei conceptu analytice profluit. Nam hominem sibi esse conscium, idem est, ac si diceres, hominem de se ipso vt cogitante identicam habere repraesentationem, secundum quam agnoscit, ea, quae nunc a se percipiantur, in eadem concurrere receptiuitate perceptionum, in qua diuersis antea temporibus complures repraesentationes exhibitae fuerant. Haec est ea, quam dicimus, logica subiecti cogitantis identitas seu personalitas; cum qua si eam, quam rationales psychologi volunt, compara-

paramus, eorum argumentationi hoc inesse animaduertetur vitium, quod vnitatem apperceptionis in distincto aliquo et substantiali obiecto collocant, cuius existentiam, dum nulla eiusdem intuitio datur, nullo modo demonstrare valent. Nec eo possunt inniti argumento, quod, nisi substantiae obiectiuae admittatur identitas, vnitas apperceptionis nequeat comprehendi; in quod argumentum maxime prona est ratio humana, quoniam in perpetuo ceterarum omnium repraesentationum fluxu semper vna eademque manet apperceptio nostri, quo facillime inducimur ad perdurabilitatem substantiae obiectiuam ipsi assignandam. Verum etiamsi subiectum cogitans alternationi perpetuae foret obnoxium, ita vt semper aliud insuper aliud exciperet, tamen et in hoc casu dato vnitas apperceptionis asseri posset. Ita enim ex hac nos difficultate expedire licet; sicuti sphaera elastica, in similem impingens, huic eandem, qua ipsa fuerat impulsa, vim communicat; sic, etsi seriem ponimus substantiarum cogitantium, primam earum alteri, hanc tertiae, tertiam sequenti et sic porro, omnes quae ipsi inerant repraesentationes vna cum earum conscientia communicare, consentaneum est. Hac vero hypothesi assumta, nihil laesa apperceptionis vnitate, tamen subiecti cogitantis successus et alternatio perpetua poneretur. Haec autem si forte cuidam displiceat explicatio, sciat, nos nihil hisce de rebus quippe extra cognitionis humanae sortem positis liquere vltro profitentes, ex concessis sic disputando id tantum nobis velle, vt eorum refellamus opinionem, qui mirifice se in argumentando profecisse opinantur, si quae directa argumentatione tueri nequeunt, ex supposita perperam necessitate deriuare student.

4) Distinctam autem animae substantialis ab omnibus ceteris rebus existentiam, ita vt a totius reliquae natu-

naturae complexu non pendeat, contra physicos quos appellant philosophos (materialistas) rationalistae sic solent defendere.

Cuius existentia immediate percipitur, id distincte existit, nec ab eo pendere potest, cuius existentia ex datis perceptionibus, quas ad obiectum vt eorum caussam referimus, colligitur.

Atqui existentia subiecti cogitantis immediate percipitur.

Ergo etc.

Hanc contra probandi methodum id tantum nobis liceat afferre, nos quidem nostram vt entis cogitantis existentiam a ceteris rebus, ad quas etiam corpus pertinet, distinguere, nam *reliquarum* quidem rerum ipsa denominatio hoc innuit, nos hasce res vt diversas a nobis considerare. Vtrum vero haec mei ipsius repraesentatio possibilis sit, nisi res accedant externae, per quas repraesentationes excitantur, haecque mei vt cogitantis distincta repraesentatio principio aliquo obiectiuo inhaereat, per quod, detracta hominis natura, simpliciter vt ens cogitans existere possim; hoc per tale argumentum nequaquam efficitur, nec vnquam poterit effici, dum eaedem conditiones cogitandi cognoscendique manebunt. Sic igitur omnibus psychologorum ratiociniis commune id, quod in paragraphi titulo indicatum est, vitium subesse cernitur, vt ab eo, quod est in conceptu, ad id, quod ponitur in realitate, a subiectiua determinatione ad obiectiuam naturam concludatur. Quo autem lucidius ea, quae hucusque ad quatuor syllogismos a nobis disputata sunt, perspiciantur, sequenti paragrapho eum, qui omnibus communiter inhaeret et in quo omnes generaliter comprehenduntur, paralogismum libet subiicere.

 §. 6.

§. 6.

Paralogiſmus pſychologicus vniuerſalis.

Quod haud aliter niſi ſub notione ſubiecti cogitari poteſt, hoc etiam neceſſarie exiſtit vt ſubiectum, eſt igitur ſubſtantia, eiusque praedicata eſſe debent ſubſtantialia, obiectiua.

Ens cogitans, vt tale, non niſi ſub notione ſubiecti cogitari poteſt; exiſtit igitur vt ſubiectum, atque per conſequens eſt ſubſtantia, et praedicata ipſius ſunt obiectiua.

Huic ſyllogiſmo quatuor ineſſe terminos, vti logici dicunt, conſequentiamque per ſophiſma figurae dictionis induci, lector, ſuperioris paragraphi argumento rite perpenſo, ſtatim intelliget. In propoſitione enim maiori de eo ſermo eſt *in genere*, quod ſub notione ſubiecti cogitari debeat, cogitatioque conſideratur in relatione ad obiectum omnino; reſpicitur igitur ad aliquod dabile in intuitione.

In propoſitione autem minori idem ens ſenſu reſtrictiori, et eo tantum reſpectu ponitur, quatenus ſe ipſum, in relatione ad cogitationem vnitatemque apperceptionis, tanquam ſubiectum ponit, altera vero eiusdem relatio ad intuitionem poſſibilem haud ſimul comprehenditur. In propoſitione igitur prima de entibus tractatur, quae ſub notione ſubiecti neceſſarie cogitantur, in altera de cogitatione, quatenus ſine repraeſentatione ſubiecti non comprehenditur. Quod igitur de entibus valet, obiectiue in cogitatione exhibitis, per paralogiſmum ad repraeſentationem ſubiectiuam mei, quae omni cogitationi inhaeret, transfertur. Quantum autem diſtent hae duo propoſitiones:

In omni cogitatione mei ipſius, qui cogito, (cogitantis ſubiecti) mihi conſcius ſum

et:

et:

Quatenus me ipſum in cogitando vt ſubiectum (cogitationum) pono, ſubſtantia ſum; — hoc quisque, in philoſophando mediocriter tantum verſatus, intelliget. Si enim hoc largimur in propoſitione maiori paralogiſmi, quae vniuerſalem ambitum habet, id ens, quod omni reſpectu etiam ad intuitionem et ſine vlla reſtrictione pro ſubiecto haberi, debeat eſſe ſubſtantiam, exinde nequaquam poterit elici, etiam id, quod vnice in relatione ad cogitationem ſe ipſum vt ſubiectum ponit apperceptionis, ſubſtantiale obiectum eſſe debere. Proinde id, quod in conſequentia ſyllogiſmi ſtatutum vidimus, ſcilicet, „cogitantis nullam „cogitari poſſe exiſtentiam, niſi abſolute ſubiectiuam,„ nihil aliud ſibi vult, ſi ad verum ſenſum redigitur, quam: „exiſtentiam mei cogitando me ipſum vt ſubiectum ta„lis iudicii conſidero„. Haec autem propoſitio mere identica eſt, nec ab ipſa aliquid circa modum exiſtentiae eiusque inhaerentiam ſubſtantialem deriuari poteſt.

Ex quibus omnibus efficitur, omnem pſychologiam rationalem e male intellecta apperceptionis transſcendentalis natura originem trahere. Vnitas enim apperceptionis, quae omnem cogitationem per praedicamenta concomitatur inſeparabiliter, pro intuitiua perperam accipitur ſubiecti cogitantis repraeſentatione, in quam deinceps praedicamentum ſubſtantiae applicatur. Eſt autem vnitas apperceptionis vnitas tantum comprehenſiua cogitationum, quae obiectum nullum conſtituit, proptereaque applicationi categoriae ſubſtantiae, quae ſemper intuitionem datam ſupponit, ad hanc vnitatem quaſi obiectiuam, locus eſſe nequit. *) Subiectum enim praedicamentorum logicum

*) Dicendo igitur: ego, qui cogito, ſimplex ſum, de me, quatenus ſum cogitans, aliquid praedico, quod de me tantum vt obiecto intuitionis valeret, et hac intuitiua de ſubiecto cogitante reprae-

cum ob id ipsum, quod praedicamenta cogitat, se tanquam obiectum per praedicamenta cognoscibile considerare nequit. Ad id ipsum enim, vt praedicamenta cogitet, iam apperceptio pura τȣ ego requiritur, quam deinceps ex istis elicientes petitionem committimus principii. Pari modo subiectum, cui repraesentatio temporis originaliter inhaeret, propterea vt ipsum existens in tempore considerari nequit. Quod qui fecerit, in simile eius incurret vitium, qui naturam subiecti cogitantis per praedicamenta, ad quorum vsum cogitationemque actus apperceptioni necessarie praeuius supponitur, determinare praesumit.

§. 7.

Scholion.

Nulla datur circa subiectum cogitans doctrina rationalis, sed conatus rationis in psychologia, ex conceptibus instituenda, irriti sunt.

Quam

repraesentatione deficiente, probari nequit. Vrgent nihilominus substantialem animae simplicitatem, ad internam subiecti logici in tempore intuitionem confugientes. Verum inepte; interna enim intuitio mere empirica est, et apperceptione nostrûm in cogitando posterior. In hac autem intuitione interna, per quam statum subiecti cogitantis exploramus, diuersasque sensuum externorum repraesentationes in receptiuitate mentis collocamus, nihil est perdurabile. Ego enim, (subiectum cogitans) qui hasce repraesentationes in me ipso (apperceptione mei) pono, modificationesque per eas in hac apperceptione effectas intueor, propterea me ipsum vt substantiam perdurabilem considerare minime cogor. (Conf. §. 5. 3.) Conditio igitur necessaria praedicamenti substantiae in me ipsum applicandi (perdurabilitas scilicet obiecti intuitiui) nobis deest omnino; qua sublata simplicitas obiectiua, quam praetendunt, ad qualitatiuam apperceptionis vnitatem — cuius subiectum siue compositum sit, siue simplex perinde est — reducitur.

Quam igitur a parte rationis purae exſpectaueramus ſcientiam de ſubiecto cogitante demonſtratiuam, nullam ſperari poſſe emergit. Id igitur, quod ſaepius iam monuimus, in caſu nunc dato comprobatur, ſcilicet: per cognitionis noſtrae ſortem atque naturam nobis haud licere, de obiecto experientiae aliquid vltra experientiae terminos, — intra quos omnis humana cognitio continetur — ſtatuere. Sic autem colligendo etiam iis ſpes abſcinditur, qui contrarias partes argumentis aeque fragilibus tueri laborant, dumque de ſpirituali entis cogitantis ſubſtantia a priori demonſtranda deſperari vident, materialismum ſpiritualiſmi ruinis ſuperexſtruere geſtiunt, omnem vnà mortalium vltra huiusce vitae terminos ſpem erectam deſtruere ſedulo intenti. Quicunque enim de impoſſibilitate cognitionis vltra experientiae prouinciam extendendae perſuaſum habuerit ſemel, modeſte nec vni nec alteteri parti — inanibus ſtudiis occupatae vtrique — fauebit; verum e contrario tum demum ſe ſapere reputabit, quando, recte exploratis cognitionis humanae ſorti conceſſae limitibus, antiquum illud et verecundiſſimis omnis aeui philoſophis ſolenne: „non liquet! *quare* et *vbi* pronunciare debeat, rationem ſibi reddere idoneus euaſerit. Tunc enim, ab infructuoſis in prouincia ſibi non conceſſa circumuagationibus deſiſtens, ad frugiferam magis, captuique humano aptiorem partem, philoſophiam practicam puta, ſe conferet, quae quidem ita comparata eſt, vt certitudinem ipſi circa omnia, quae hominis intereſt maxime cognoſcere, afferat, non demonſtratiuam quidem, verum eam tamen, in qua omnis mens bene compoſita, nec ſtulte impoſſibilia appetens, acquieſcere et poſſit et debeat.

Ne igitur ſpem abiiciant ii, quibus haec noſtra philoſophia gratiſſimam generi humano ſub tot tan

tisque vitae terrestris aegrimoniis laboranti conditionis futurae exspectationem auferre videri possit. Iis enim, quae maxime pollent ad persuasionem hominum, argumentis per hanc demonstrationum, a priori intentarum, confutationem nihil est detractum. Subtilia enim eiusmodi argumenta, qualia in scholis plerumque philosophorum pro immaterialitate et perdurabili animae existentia allegantur, ad aures captumque maximae partis hominum non perueniunt. Hisce igitur per sanam facultatum cognoscitiuarum criticam remotis, eo liberiora ab omni censura ista euadent principia decidendi, ex quibus conuictio oritur humano generi magis accommodata; eoque plus lucis accedet probabiliti, quam e rerum natura ad fines supremae cuiusdam intelligentiae aptissime composita desumimus. Quam quidem formam rerum naturalium finalem, quousque experientia patet, prosecuta ratio, plausibilem nec vnquam refellendam inducit immortalitatis nostrae probandae methodum, secundum analogiam scilicet cum aliis naturis viuentibus institutam. Ratio enim, animata in genere considerans, hoc ab experientia petitum principium persequitur, in animatis nullum organon, nec instinctum, nec denique vim aut facultatem inueniri, quibus animal carere possit, aut quae vsui suo haud apta sint, finibusque suis repugnent; quin omnia potius fines suos partesque a natura sibi demandatas egregie et explere et tueri. Ad quorum exemplar si hominum genus comparaueris, in quo solo finis vltimus horum omnium potest contineri, illud vnicum esse inuenietur, in quo ab hac formae finalis aptissime institutae lege facta sit exceptio, si ipsum intra angustos huiusce vitae limites includi contendimus. Egregiae enim ipsius facultates atque dona naturae, quibus prae ceteris insignitus est homo, vsum atque emolumenta, quae ex ipsis hisce in terris capere potest homo,

homo, longe excedunt; ita vt incepti ſtolidi, ineptaeque naturam incuſare liceret profuſionis, ſi nihil ipſi vltra mortalem ſortem ſperandum eſſet. In primis autem lex in homine recti bonique, quam moralem dicimus, ſaepenumero legi felicitatis propriae repugnans, tantum abeſt, quin hac in vita cultores ſuos praemiis meritis remuneretur, vt potius nos, non quo felices euadamus, ſed quonam modo digni ſimus felicitate, nullo ſucceſſus fauſti infauſtiue ratione habita, hoc vnice quaerere iubeat praecipiatque, vt omni lucro mentem recti ſibi conſciam longe anteponamus, virtutemque ſine praemio, imo ſine ſimulacro iſto magni poſt mortem nominis potiorem longe diuitiis et honoribus ſine virtute ducamus.

Sic igitur multa praetermittentes commoda, multaque vltro ſuſcipientes mala, ſecundum legem moralem ſic inſtituimur, vt per noſtram in hac vita probitatem nos ad meliorem, quam in pectore gerimus, in futura demum aliqua vita explicandam conditionem praeparemus. Hoc euidentiae moralis argumentum, non externe petitum, ſed ab intimis animi humani, recti bonique capacis, receſſibus depromtum, coniunctumque cum ea, quam diximus, finalis in rerum natura formae cognitione, immenſitateque vniuerſi, quae aeque immenſum cognitioni noſtrae in infinitum progredienti campum aperit, ſemper nobis rationabilem et humanae ſorti accommodatam de vita futura perſuaſionem ſuppeditabit; quam quidem perſuaſionem, vti in poſteris (conf. canon. rat. purae) videbimus, reſpectu morali adeo *neceſſariam* iudicare debebimus; ſecuriorem vero multo theoreticis iſtis argumentis, a cognitione demonſtratiua ſubiecti cogitantis deductis, quibus oppoſita ſemper ſub eadem ſpecie obiici poſſunt, iam nunc iudicabimus.

§. 8.

§. 8.

De animae cum corpore commercio quid sentiendum sit.

Vetus est omniumque fere philosophorum, qui in metaphysicis operam praecipuam collocauerunt, communis querimonia, nobis in rerum omnium natura exploranda nihil praeter accidentias i. e. praedicata rerum posse cognosci; subiectum vero ipsum, cui hae accidentiae inhaerent, *substantiale* videlicet *rerum*, penitus incognitum esse. A quo tamen cognitionis defectu, in mundum potius corporeum cadente, eam quae de subiecto cogitante nobis sit cognitionem generaliter eximi debere opinabantur; subiectum scilicet logicum, eo, quem supra ostendimus, more in substantiam intelligibilem conuertentes.

Huius autem dum ab omni, quod corporeum est, essentialem diuersitatem ex eo demonstrarent, quod nullum eorum, per quae mundus materialis cogitatur, praedicatorum ad puram quam posuerant et intelligibilem substantiam transferri posse sentirent; variae oriebantur nec vnquam solubiles quaestiones, disputationibus perennem suppeditantes materiam, aeternum, vti videbatur, philosophiae problematibus proponendis satis aptae, resoluendis impari, opprobrium. Quaerebant enim, quomodo tandem commercium inter tam disparia, qualia spiritum et materiam credebant possibile sit? et quomodo fieri possit, vt ab ente intelligenti motus in materiam, a materia repraesentatio in spiritum transeat? — quinam fuerit animae ante corpus natum aut in nascendo status? — quisnam futurus sit, quando olim hoc vtriusque commercio per mortem soluto corpus in elementa redeat animaque non amplius per ipsius intermedium repraesentationes accipiat? Ad eiusmodi vero et similis generis infinitas quaestiones, quibus hucusque philosophorum scholae a Stoa ad Cynosargen vsque personabant,

bant, terminandas, modumque infinitis ſuper hac re diſſenſionibus — dum hircum mulgebat alter, cribrum ſupponente altero — imponendum, id quod in ſuperioribus inſtituimus pſychologiae rationalis examen egregie comparatum nobis eſſe videtur.

Primum enim, quod ad communem, cuius ſupra mentionem fecimus, philoſophorum querelam circa cognitionis de ſubſtantiali defectum attinet, ſane incontinentis iſta atque cognitionis humanae naturam plane ignorantis animi eſſe videtur. Natura enim intellectus noſtri quum ita comparata ſit, vt intuitio intelligibilis non detur, ſed omnis cogitatio *diſcurſiua* ſit ſiue talis, quae fiat per conceptus, in quibus *praedicata* rerum continentur, exinde aperte prodit, quodvis ſubiectum, quod per praedicatum aliquod cogitatur, rurſus praedicatum alterius eſſe debere, ſicque propter ipſam intellectus noſtri naturam ad ſubiectum praedicatorum abſolutum non poſſe perueniri. Quaecunque vero de anima vt ſubiecto abſoluto ſubſtantiali commenta paſſim inueniuntur apud philoſophos, ea ad meram ſubiecti cogitationum logici (quod omni quidem cogitationi inhaeret, haud vero vt *obiectum* (per intuitionem aliquam) cognitioni praebetur, ideoque nullam per praedicamenta obiectiuam determinationem patitur) repraeſentationem redire ex ſuperioribus conſtat. Quam paralogiſmi pſychologici ſolutionem qui bene intellexerit, in promtu habet, quid ad quaeſtiones iam nunc a nobis propoſitas reſpondeat. Omnis enim circa commercium animi cum corpore, quaeque ex hoc deriuantur problemata, difficultas ex ſuppoſita obiecti ſenſus interni (animi) ab obiectis ſenſuum externorum abſimilitate differentiaque, ſi verbo licet vti, ſpecifica originem trahit; quam exinde dicebant emergere, quod anima tantum in tempore, corpora vero ſimul in ſpatio exiſterent,

Ve-

Verum ex hac difficultate facillime sese expediet quicunque ex superioribus hoc alta mente repositum tenet, per hanc obiectorum quoad modum intuitionis diuersitatem non internam aliquam ipsorum seu essentialem differentiam dari, (quum de obiectis qualia sint per se, nihil omnino scire possimus,) sed modi tantum eorum percipiendorum diuersitatem iudicari. Id igitur incognitum, (= x Conf. Aesthet. transscend. Sect. I. §. III. 3 ad eand. Epilog. obseruat. 3.) quod phaenomeno materiae vt reale eiusdem substratum fundamento est, forsan haud ita absimile ab obiecto reali sensus interni aeque incognito esse poterit; reditque omnis in hac quaestione difficultas ad vltimum illum nodum, quomodo commercium aliquod atque communio inter substantias in genere possibilis sit? cuius quidem problematis solutio substantiarum per se penitus ignaris nec exspectari nec postulari aequo iure posse videtur.

RATIOCINIORUM DIALECTICORUM

CAPITIS PRIMI

Sectio Altera, Continens

Obseruata generalia ad paralogismi psychologici expositionem.

In omni philosophica disquisitione iure postulamus, vt constanti orationis filo, quae ad rem faciunt maxime, percurrantur, ne si parerga admisceantur, argumentorum series interrupta lectoris animum fatiget vimque debilitet et neruum probationis. Huic igitur legi obtemperantes, quaedam rem non proxime tangen-

gen-

gentia, ſcitu tamen vtilia ſecreuimus, quae nunc tribus digeſta obſeruationibus lectori perpendenda praebemus.

Obſ. I. Circa Mendelsſohnii de perſiſtentia animae demonſtrationem.

Exſtat celeberrimi Mendelsſohnii, viri de philoſophia meritiſſimi, argumentum de perſiſtentia animi, quam exinde probare ſtudebat quod animam vnquam poſſe deſinere cogitari nequeat. Exhibuit hoc ſuum argumentum in praeſtantiſſima illa dialogo de immortalitate animae, quam, Platonem imitatus, Phaedonem inſcripſit. *) Praeſuppoſita autem animae ſubſtantia ſimplici, (quam hic vti ex conceſſis diſputantes ipſi largimur,) impoſſibile eſſe ens ſimplex vt vnquam deſinat, ſtudet euincere. Viderat autem vir acutiſſimus vulgare illud, quo rem omnem tranſigi credunt, argumentum, ſcilicet animam ſimplicem non poſſe interire, quoniam non diuidi nec diſſolui poſſit, ad hanc ſententiam tuendam minime ſufficere. Nam quod non poteſt interire per partium diuiſionem tamen per totius euaneſcentiam ſubitamque in nihilum conuerſionem perire poſſe, forſan aliquis crediderit. Huic obiectioni obuiam iturus philoſophus noſter continuum ait eſſe fluxum commutationum quemadmodum temporis, ita vt, ſicuti temporis nulla duo momenta proxima ſed aliquod ſemper intermedium reputare debeas, ſic et duo non ſint ſtatus in eadem re, in quibus vbi prior deſinat alterque incipiat determinari poſſit; ſed aliquid ſemper intermedium hocque iterum diuiſibile. Si autem in anima ſimplici, quae vt talis nequit comminui, (partium quippe imo omnis plurali-

*) Phädon, oder über die Unsterblichkeit der Seele, in drey Gesprächen von Moses Mendelssohn. Vierte Auflage. Reutlingen 1789. S. 57 — 72.

litatis expers,) nec per consequens decrescendo paullatim in nihilum abire potest, interitum per euanescentiam tamen cogitare vellemus, necessarie admittendum foret, inter esse et non esse nullum intercedere statum intermedium, et per consequens inter momentum quo adhuc existit, alterumque quo non existit amplius, nullum esse tempus intermedium. Tale autem temporis vacuum quum cogitari non possit, etiam successionem non-existentiae post existentiam reiiciendam, propterea que animam numquam esse defecturam, concludit. In quo quidem argumento id ambabus largimur, in ente simplici interitum nec per comminutionem nec vero per euanescentiam posse cogitari. At tertium superest, ad quod philosophus noster non attendit. Animae enim, etiamsi simplicem ipsius naturam, secundum quam nullas continet partes extra se positas, et per consequens magnitudo extensiua de ea praedicari nequit, concedimus, — intensiua tamen magnitudo (seu gradus realitatis quoad facultates, quae existentiam eius constituant) tribuenda erit; ipsa enim apperceptio gradum habet, qui semper comminui potest, et per consequens etiam facultas appercipiendi, omnesque ceterae facultates. Hic autem intensiuae gradus realitatis per infinitum graduum minorum numerum extenuari potest, ita vt ea, quam contendunt, substantia, quamuis non per diuisionem, attamen per remissionem insensibilem virium, quam elanguescentiam liceret dicere, in nihilum conuertatur. Quamuis igitur in hac vita animae, vt subiecti logici, persistentia per se pateat, tamen eiusdem vt substantiae (personae) perdurabilitas, quam psychologi ex meris conceptibus adeo vltra huiusce vitae terminum probare student, nullo modo demonstrari potest.

Obs

Obf. II. Oppofita fibi materialismi et fpiritualismi fyftemata ad probandam animae diftinctam aliquam exiftentiam aeque incompetunt.

Iam quidem ex iis, quae fuperiori fectione contra rationalem pfychologiae doctrinam in genere allegata funt, nihil circa modum exiftendi naturamque entis cogitantis ex mero eiusdem conceptu demonftrari poffe patet; attamen hic in fpecie ad duas iftas oppofitas fibi opiniones refpiciemus. Quo vero clarius perfpiciatur de neutra aliquid fperari poffe, libet hic quatuor analyticae euiusdem pfychologiae, — quippe vnicae quae nobis conceffa fit, momenta eodem modo fubiicere, quo fupra (Sect. I. §. 3.) momenta pfychologiae rationalis exhibuimus. In eo tantum hanc noftram tabulam a fuperiori differre neceffe eft, quod, quum rationaliftae a fynthetica ifta propofitione, fcilicet animam effe fubftantiam, egreffi, huiusce praedicata fecundum ordinem categoriarum determinent, nos e contrario a fimplici hoc facto apperceptionis,, cogito,, incipientes, quid in eo contineatur, analytice euoluimus. Omne igitur, quod vere de nobis vt cogitantibus praedicari poteft, ad quatuor haec momenta redit:

Cogito

vt fubiectum — vt fubiectum fimplex

vt fubiectum

identicum in quauis cogitatione.

In altera harum propofitionum fubiectum fenfu mere logico accipimus; id enim tantum exprimitur, quod datum eft in apperceptione, hominem fcilicet fe ipfum quatenus cogitat femper vt fubiectum numquam vt praedicatum confiderare. Quantum autem inter fe differant hoc: cogito me vt fubiectum; et illud ra-

tionalistarum: existo vt substantia cogitans, per se patet. In nostra enim propositione nihil definitur circa subiecti huius vel subsistentiam vel inhaerentiam i. e. an hocce subiectum quoad existentiam substantialiter aut vt praedicatum alteri inhaerens cogitari debeat, in medio relinquimus.

Si autem in propositione tertia simplicitas mei vt cogitantis subiecti asseritur, hoc per se maximi momenti est aduersus materialistas, quamuis nihil de subiecti natura aut subsistentia statutum sit. Apperceptionis enim simplicitas, per quam id innuitur, omnem in cogitando functionem ad repraesentationem mei vt vnius et singularis, qui cogito, referri, (conf. Sect. I. §. V. a.) ex systemate materialismi explicari nequit. In spatio enim nihil est reale (materiae) quod simplex sit; puncta enim — per quae simplicitas cogitatur in spatio — non partes sunt spatii constitutiuae, sed limites tantum figurarumque describendarum termini. Sic igitur mei vt subiecti simplicis cogitantis natura per reale spatii (materiam) comprehendi nequit. Sin autem materialismi systema haud idoneum esse intelligentes ad explicandam transscendentalis cogitationum subiecti existentiam, ad oppositas spiritualismi partes nos conferimus, simili hunc laborare insufficientia videbimus. Hoc enim, e quo omne, quod de subiecto mei sciri potest, elici debet, momentum primum, „cogito,„ vti saepissime monitum fuit, non id sibi vult: sum substantia cogitans, sed id tantum innuit: existo cogitans. Haec autem propositio empirica est, enunciatur enim, meam existentiam mihi ipsi tantum exinde percipi, quod repraesentationes obiectorum empirice mihi datae sunt. *Quinam* igitur existam sensu transscendentali, penitus ignoro, existentiae enim meae tantum per repraesentationes empiricas mihi conscius fio. In hac autem mei apperceptione nulla da-

datur perdurabilis intuitio, per quam ad exiſtentiam ſpiritualis ſubſtantiae ponendam peruenire poſſem. Hoc igitur, vt exiſto, in eo, quod cogito, implicite continetur, verum modus, *quo* exiſto, an vt ſubſtantia an denique vt accidens, ex ſimplici apperceptione, quae ſemper ad repraeſentationes empiricas relata eſt, minime efficitur. Quare de natura animae in genere et poſſibilitate diſtinctae ipſius exiſtentiae nihil omnino liquere fatendum eſt.

Obſeru. III. E deductione praedicamentorum in analytica tranſcendentali exhibita patet, apperceptionem puram transſcendentalem, (illud omni repraeſentationi inhaerens cogito,) excitari in nobis per obiectorum perceptionem empiricam. Nequit igitur haec apperceptio pura exſeri, antequam multiplicia intuitionis, in apperceptione transſcendentali coniungenda, menti praebentur. Intellectus enim multiplicia intuitionis ipſi praebita percurrens, eaque ſub vnitatem cogitationis comprehendens, ſenſum internum afficit; per quam affectionem ſtatuum mentis diuerſorum et ſucceſſiue ſe inuicem excipientium (dum repraeſentationes varias ſucceſſiue recipimus et in apperceptione coniungimus,) conſcientia excitatur, eoque ſenſu de nobis ipſis vt phaenomeno ſenſus interni empiricam formamus repraeſentationem. Hoc ſenſu nosmet ipſos quatenus phaenomenon ſenſus interni a ſubiecto apperceptionis tranſſcendentali et incognito diſtinguimus. Haud igitur negamus, eſſe aliquod huiusce in ſenſu interno exhibiti noſtrum ipſorum phaenomeni ſubſtratum reale; ſed hoc tantum contendimus, cognitionem eiusdem tanquam noumeni nobis nullam concedi. Ad hanc enim efficiendam apperceptioni tranſſcendentali intelligibilis ſubeſſe deberet intuitio, qualem naturae humanae haud conceſſam eſſe vidimus.

Dum autem, quemadmodum in subsequentibus indicabitur, ratio per legem moralem legislatiuam sibi sumit autoritatem a priori, voluntatique nulla ratione habita affectuum cupidinumque, quibus empirice determinamur, imperat, legibusque eam intelligentiae purae adstringit; inde facultas proditur altior libertatis, cuius caussalitatem in obiectum mundi sensibilis — quod necessitatis legibus semper adstrictum est, — transferre non licet, et prospectus aperitur in mundum intelligibilem, cui id obiectum adscribere cogimur, quod phaenomeno sensus interni, quod animam vocamus, substratum subest. Vlterius autem progressis, et methodum demonstratiuam, qualem affectat psychologia rationalis, sequentibus, nihil de ipso scire continget. Cuius enim nulla datur intuitio, hoc per consequens sub nullo praedicato per intellectum potest cogitari; quare dum hisce cognitionum formis vtimur, vano eius cognoscendi studio vt valedicamus necesse est.

DIA-

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER SECUNDUS

CAPUT SECUNDUM.

De antinomia rationis purae circa cosmologiam rationalem.

Sectio Prior.

De ideis cosmologicis in genere.

§. 1.

Cosmologia rationalis (conf. Dialect. transsc. Lib. I. Sect. III. §. 1. Lib. II. Prolus. §. 3.) *conditur, dum secundum formam ratiocinii hypothetici a conditionato ad absolutum ascendimus, perfectam conditionum obiectiuarum phaenomeni vnitatem quaerentes.*

Capite superiori eam perscrutati sumus speciem transscendentalem, quae rationem inducit ad substituendam vnitati apperceptionis mere subiectiuae absolutam aliquam atque obiectiuam substantiam, in qua vltima omnis cogitationis quoad subiectum cogitans conditio reponatur, et categorica synthesis praedicati ad subiectum, in subiecto aliquo absoluto, quod non amplius praedicato esse possit, (non praedicabili) terminetur. Accedimus iam ad alterum ratiociniorum dialecticorum genus, in quo secundum formam syllogismi hypothetici absoluta quaeritur syntheseos condi-

tionatae membrorum in ferie afcendenti totalitas. Confiderantur igitur nunc repraefentationes in relatione ad obiecta phaenomena, horumque poffibilitas e perfecta conditionum regreffiuarum ferie explicanda praefumitur. (Conf. Dial. transfcend. Lib. I. Sect. III. §. 1. Prolus. §. 3. Lib. II.)

§. 2.

Ideas transfcendentales, quatenus ad abfolutam totalitatem conditionum phaenomeni dati fpectant, ideas cofmologicas appellamus. Mundus enim, qui Graecis κοσμος, eft complexus omnium phaenomenorum feu vniuerfum phaenomenorum mathematicum, in quo totalitas cogitatur eorum tam fecundum compofitionem cunctarum in fynthefi progreffiua quam fecundum fingularum in partes diuifionem.

Hae ideae cofmologicae quantum diftent ab idea tam pfychologica quam theologica, in aprico pofitum eft. Spectant enim ad fynthefin phaenomenorum empiricam perficiendam; ad obiecta igitur intuitionis vnice pertinent, nec ambitum fphaeramque intuibilium relinquunt, fed feriem tantum vnamquamque conditionum, quas intellectus circa conditionatum (phaenomenon) cogitare poteft, perficere et ad abfolutum vsque perducere tendunt. Quotuplex autem cogitari poffit conditionum feries, a quibus conditionatum pendeat, et quotuplices confequenter fint ideae cofmologicae, fubtus indicabitur. Abfolutum vero fyntheseos categoricae in pfychologia rationali (anima fubftantia) inter obiecta intuitionis minime referri poteft, quin potius omnem experientiam transfcendens, in mundum intelligibilem nos abripit; parique modo idea prototypi transfcendentalis, quae abfolutum continet fyn-

synthefeos disiunctiuae, in quo fumma rerum poffibilium in genere conditio reponitur, aeque ac pfychologica intuibilium obiectorum excedit prouinciam.

Huius vero intra limites ideae cosmologicae continentur, quamquam ipfis obiectum in experientia congruum dari non poffit; quoniam regreffus quidem in infinitum patet, abfolutum vero illud, in quo totalitas conditionum perfecta confummataque claudatur, in experientia dari nequit. Exinde autem contradictio oritur, quae quomodo diffolui debeat, in pofterum videbimus.

§. 3.

Ratio circa abfolutum fynthefeos hypotheticae feu perfectam conditionum phaenomeni feriem ftatuens in antitheticam fiue certamen cum femet ipfa ineuitabile abripitur.

Circa probalitatem ratiociniorum dialecticorum maxima haec cernitur diuerfitas, quod paralogifmo pfychologico fimplex tantum ineft fpecies, in ratiociniis autem cofmologicis in diuerfas partes fpecie aeque illudenti abripimur. In paralogifmo enim pfychologico quamquam fpiritualifmum demonftrari non poffe patet, omne tamen in eum confertur ftudium, omnisque ab hac parte probabilitas pendet; materialifmi enim fyftema propter vnitatem apperceptionis in extenfo materiali haud cogitabilem vltro reiicitur. At in obiectiua phaenomenorum fynthefi ad abfolutum vfque conditionis progrediendo, hoc abfolutum dupli ci modo cogitari poffe apparet. Primum enim in vniuerfa et perfecta conditionum ferie hoc abfolutum poteft reponi, ita vt omnia eiusdem membra conditionata, et totalitas tantum feriei abfoluta effet; fecundo autem loco abfolutum, quod quaeritur, in primo

mo seriei membro eodem iure collocare possumus, ita vt huic cetera omnia membra vt summae et communi conditioni subordinata cogitentur, ipsum vero a nulla conditione vlteriori pendeat. Sic autem antinomia aliqua naturalis rationis efficitur, dum circa quamlibet cosmologicam quaestionem ex duplici hac possibilitate opposita sibi oriuntur argumenta eiusdem ponderis, et quaelibet pars alteram aequo vtrobique iure contradictionis incusat. Per hanc quidem cum semet ipsa discordiam rationi ab illusoria ista persuasione veri, qualem vnigena species excitat (in psychologia) cauetur; at maximum imminet periculum, ne aut, scepticorum in morem, de cognitione veri penitus desperetur, aut pertinacia quaedam inimicitia inducatur, in vnam alteramue partem inclinantium, rationique ius summum decidendi, quod penes ipsam est, auferatur; ex quo credulitas oritur et vana superstitio. Sana autem philosophia, siue scepticorum obtineant seu dogmaticorum hac in re placita, concidit; quamquam gloriosior apud scepticos mors ipsius et εὐϑανασία quodammodo rationis appellari possit. Criticae igitur nostrae est, quid in re sit, quaeque vltima demum sub hac rationis discordia caussa lateat, exquirere, huius autem decisionem ne anteuertamus hoc tantum libet adiicere, pertinacissime communiter de nihilo disputari.

§. 4.

Ad recte diiudicandum dirimendumque circa ideas cosmologicas rationis cum semet ipsa certamen, primum ideas cosmologicas nexu systematico exhibere, dein opposita partium argumenta sine ira et studio exponere, tunc certamen ipsum dirimere, et quidnam vere constanterque de omni hoc argumento sentiri possit, depromere oportebit.

AN

ANTINOMIAE RATIONIS PURAE

Sectio Secunda.

Idearum cosmologicarum conspectus systematicus.

§. 1.

Ideae cosmologicae totidem sunt, quot series conditionum phaenomeni in praedicamentis cogitantur.

Ideae rationis, quas forma ratiocinii hypothetici rationi suppeditat, ad absolutum seriei conditionum, sub quibus phaenomenon cogitatur, in intellectu complementum spectant.

Quamcunque igitur seriem conditionum intellectus in praedicamentis circa phaenomena cogitat, eam ratio perfectam tendit explere, principium id sequens, quod ipsi proprium supra constituimus: vbi conditionatum, ibi etiam integra et perfecta conditionum series, in qua absolutum comprehenditur, data est.

§. 2.

Obiectum intuitionis phaenomenon in praedicamentis cogitatur vt conditionatum. Idea transscendentalis absolutum continet, in quo totalitas conditionum perfecta est. Principium igitur demonstrationis idearum transscendentalium, quae cosmologiam rationalem adstruunt, habemus, tabulam praedicamentorum; ex qua si eas desumimus categorias, in quibus obiectum vt conditionatum vna cum conditione eiusdem cogitatur, hisque absolutum, qualem ratio postulat, ambitum damus, ideae transscendentales cosmologicae prodibunt.

Haec

Haec vt probe intelligantur pauca illustrationis caussa adiicienda sunt. Multiplicia intuitionis empiricae per praedicamenta sub nexu necessario comprehendentes, obiectum cogitamus intuitionis. Huic autem obiecto cogitato notio inhaeret conditionati; quodcunque enim cogitatur per praedicamenta, limitatum est quoad quantitatem, qualitatem, relationem et modalitatem. Sin autem in cogitando obiecto per praedicamenta ipsum vt conditionatum repraesentatur, in eo iam regressus propositus est ad conditionem eius, id est ad obiectum intuitionis, a quo ipsius existentia determinetur. Hoc autem obiectum n) si per praedicamentum cogitatur, ipsum rursus vt conditionatum alterum supponit obiectum m), a quo vt conditione sui pendeat. Sicque in praedicamento regressus sistitur in serie conditionum vsque ad absolutum. Ratio autem per notionem absoluti in idea transscendentali notiones intellectus ab ea restrictione liberat, quibus necessarie propter experientiae possibilis naturam adstrictae sunt. Continet igitur idea notionem intellectus illimitatam, absolutam. Quare, vti supra diximus, idearum transscendentalium conspectus secundum tabulam praedicamentorum exhibendus est. Hanc igitur sequentes eas e certis eligemus, in quibus synthesis conditionum subordinatarum vsque ad obiectum conditionatum quod, datum habemus in intuitione, cogitatur. In his enim simul totalitas conditionum supponitur, quam exprimendo ideam transscendentalem tenebimus.

§. 3.

Obiectum intuitionis (phaenomenon) secundum praedicamenta quantitatis, realitatis, caussalitatis et contingentiae conditionatum esse cogitatur; ex quo regressus patet ad quatuor conditionum series, quarum vnius-

cu-

cuiusque secundum principium rationis absoluta postulatur totalitas. Quam si unicuique in idea transscendentali assignamus, quatuor hae efficientur ideae cosmologicae.

1) *Idea cosmologica de absoluta totalitate compositionis uniuersi phaenomenorum secundum spatium et tempus praeteritum. (idea de absoluta magnitudine uniuersi.)*

2) *Idea de absoluta totalitate diuisionis totius phaenomeni.*(absoluta materiae in partes diuisio.)

3) *Idea de absoluta totalitate, ex qua phaenomenon, quatenus fit,* (κατα τὸ γινεσθαι) *explicari possit,* (absoluta caussalitas seu totalitas in serie caussarum.)

4) *Idea de absoluta totalitate, ex qua existentiae mutabilium in phaenomeno dependentia perfecte deriuari possit.* (necessitas absoluta.)

Ad hanc idearum transscendentalium ex praedicamentis deductionem clarius intelligendam, quonam modo obiectum in praedicamentis vt conditionatum cogitatur, vlterius est explicandum. Quod igitur ad quantitatem attinet, obiectum phaenomenon secundum eam in tempore et spatio cogitatur. Tempus enim et spatium quanta sunt originaria omnis intuitionis, in quibus vnumquodque obiectum exhiberi oportet. In tempore autem series cogitatur a priori, et formalis conditio omnis seriei obiectiuae in intuitione. In tempore igitur quando aliquod praesens exhibetur, antecedentia huiusce praesentis (praeterita) vt eiusdem conditiones a sequentibus (futuris) distinguuntur a priori. Quod igitur praesenter exhibetur, eo ipso vt conditionatum a parte anteriori repraesentatur. Idea igitur transscendentalis, totalitatem sistens conditionum, omne tempus praeteritum vt necessariam

mo-

momenti praesentis conditionem considerat. Tendit igitur ad absolutum aliquod in tempore (exordium primum) ex quo possibilitas praesentiae, quae non nisi ex praeterito concipi potest, perfecte explicari possit. Quare ea, quam ratio postulat, totalitas ad synthesin seriei phaenomenorum *regressiuam* (i. e. ad synthesin a parte conditionum) spectat; eius autem syntheseos seriei, quae ad consequentia (conditionata) pertinet, quam synthesin *progressiuam* appellamus, totalitas in idea cosmologica non cogitatur, sed problema est rationis, de quo quidnam opinemur, nihil refert. Rationi enim ad obiecti phaenomeni possibilitatem explicandam perfecta tantum antecedentium serie opus est, haud consequentium, nec quod praesens est e futuris, sed e praeteritis deriuatur. (Conf. Dialect. transsc. Lib. I. Sect. III. §. 2. coll. c. Introduct. ad Dialect. transscend. Sect. II. §. 4.

Quoad spatium autem quaeuis definita eiusdem portio, in qua obiectum intuitionis praebetur, limitibus certis inclusa cernitur. Hi limites rursus vt partes eiusdem spatii vlterioribus inclusi partibus definiuntur, nec ad remotiores partes nisi per synthesin intermediarum perueniri potest. Quatenus igitur quaeuis spatii portio non nisi sub conditione certorum finium, quibus includitur, possibilis est, synthesis quoque partium et regressus a conditionato (spatio definito) ad conditiones patet, sicque ratio absolutam quoque conditionum totalitatem in phaenomeno, quatenus exhibetur in spatio, postulat. Ea tantum inter synthesin partium temporis et spatii distinguitur diuersitas, quod quum spatium non, sicuti de tempore vidimus, seriem successiuam, sed vnum et simultaneum constituat, partesque eiusdem non *subordinatae*, sed sibi coordinatae sint inuicem, regressus in ipso a progressu non distet essentialiter. Sed hoc nihil impedit, quin nihilominus verum in ipso a conditionato

ad

ad conditiones regressum statuamus. Nam synthesis multiplicium spatii partium quum fiat in tempore, successiua est, et seriem inuoluit; nec vnquam definitum spatium possibile foret, nisi limitibus certis, qui et ipsi partes sunt spatii, aliis partibus rursus circumscriptae, inclusum apprehenderetur. Totalitas igitur phaenomeni in spatio (finis mundi) aequo iure ac totalitas temporis (primum exordium) postulatur.

Iam igitur seriem conditionum phaenomeni, *quoad quantitatem*, persecuti, quaenam inde prodeat idea transscendentalis, intelligimus. Omne autem phaenomenon etiam sub praedicamento realitatis cogitatur; phaenomenon autem, quatenus vt sensationi correspondens i. e. *reale* cogitatur in spatio, conditionatum est, eiusque internae possibilitatis conditiones partes sunt, quae iterum non nisi per partes remotiores concipi possunt. Est igitur haec regressiua synthesis a parte ad partem, cuius absolutam totalitatem postulans ratio, reale spatii siue materiam aut in partes simplices resoluit, aut denique infinitam partium multitudinem statuit, vti infra pluribus videbimus. Quod ad praedicamenta relationis attinet, ex iis vnica tantum categoria caussalitatis seriem ascendentem a conditionato (vt effectu) ad conditiones offert, locumque dat rationi ad formandam ideam cosmologicam de absoluta caussarum totalitate, per quam possibilitas effectus dati vnice explicari potest.

Categoria autem substantiae cum ipsius ad accidentia relatione ideam suppeditat rationis, quam psychologicam esse, non cosmologicam diximus. In ipsa enim nullus a conditionato ad conditiones regressus cernitur. Accidentia enim, quatenus vni eidemque substantiae inhaerere cogitantur, sibi inuicem coordinatae sunt, non subordinatae; seriem itaque nullam constituunt. Conceptus autem de substantiali

qua-

quatenus in eo conceptus de obiecto subsistenti in genere, i. e. transscendentale subiectum = x sine vllo praedicato cogitatur, hic in computum venire nequit. In ideis enim transscendentalibus, quatenus ad cosmologiam pertinent, sphaeram non excedimus intuibilium, sed tantum seriei phaenomenorum absolutam totalitatem, quam experientia non suppeditat, rationis auxilio supplere studemus. Parilis est ratio categoriae commercii substantiarum. In hac enim non simul cum conceptu ipso regressus ad conditiones cogitatur. Quin potius substantiae in commercio accidentiarum constitutae, vt aggregatae tantum, non vt subordinatae, quaeque vna conditionem possibilitatis alterius constituant, considerari debent; quare nulla in ipsis syntheseos regressiuae a conditionato ad conditiones totalitas cogitari, nec per consequens idea transscendentalis formari potest.

Quod autem ad praedicamenta modalitatis pertinet, quae ad existentiam spectant phaenomenorum, in eis tantum regressiua inuenitur synthesis, quatenus existentia phaenomeni vt contingens considerata, conditionem vlteriorem, a qua haec eius contingentia pendeat, requirit, haecque iterum vt contingens ab altera elici debet. Hoc more regressus instituitur, quem secundum ipsius principium persequens ratio in idea demum transscendentali absolutae necessitatis, in qua contingentium continetur totalitas, subsistere cogitur.

Sic quatuor tantum ideas transscendentales circa cosmologiam rationalem dari patet, dum absoluta totalitate in compositione vniuersi, absoluta materiae diuisione, absoluta caussalitate, absoluta denique necessitate, quadruplex ista conditionum series, a qua omne conditionatum in phaenomeno pendet, perfecta completaque sistitur.

§. 4.

§. 4.

Ideae cosmologicae secundum analogiam praedicamentorum aut mathematicae sunt, aut dynamicae siue virtuales. Illas, ideas cosmologicas sensu strictiori, has autem, ideas transscendentales circa naturam licet appellare.

Meminerit lector beneuolus duo a nobis constituta esse praedicamentorum genera, alterum mathematicorum, quae ad obiecta pertinent, quatenus exhibentur in intuitione, alterum dynamicorum, quae ad existentiam ipsorum, quatenus haec vel in relatione obiectorum inter se vel in relatione ad intellectum ponitur, respiciunt. (Conf. Analytic. concept. Caput II. Sect. II. §. 4.) Eadem quoque diuisio in ideas transscendentales cosmologicas cadere debet, quum hae ideae nihil inuoluant aliud, praeter praedicamenta, conditione restrictiua liberata, et ad absolutum vsque notionis perducta. (conf. sect. huiusce §. 2.) Sunt igitur secundum hanc analogiam eae ideae *mathematicae*, in quibus ad totalitatem conditionum intuitionis obiecti respicitur, et consequenter duae priores; duae autem posteriores (conf. §. 3.) *dynamicae* sunt siue *virtuales*, quoniam ab absolutam phaenomenorum existentiam, tam in relatione inter se, quam in gradu virtuali, quo intellectus hanc ipsorum existentiam ponit, respiciunt. Priores sensu proprio *cosmologicas*, posteriores *conceptus* circa rerum naturam *transscendentes* appellauimus, quoniam eo mundus (κοσμος) et natura differunt praecipue, vt per *mundum*, vniuersum phaenomenorum mathematicum, per *naturam* autem complexus phaenomenorum, quatenus a communi existentiae ipsorum principio pendet, intelligatur. Natura sensu obiectiuo siue *formaliter* spectata, nexum significat determinationum rei alicuius, secundum prin-

cipium internum caussalitatis: eadem sensu substantiali seu *materialiter* spectata complexum significat phaenomenorum, quatenus haec secundum principium internum caussalitatis inter se cohaerent. Sensus prior adhibetur, quando de natura ignis, fluidi, etc. loquimur; sensu posteriori *de rebus naturae*, vt totius in existentia omnimode determinati, loquimur.

§. 5.

Transitus ad sectionem tertiam, in qua antithetica rationis purae sistitur.

Quod igitur primum erat (conf. Sect. I, §. 4.) examinis nostri circa antinomiam cosmologicam instituendi, iam nunc absolutum est. Ex communi enim principio deriuatas ideas cosmologicas conspectu systematico exhibuimus.

Transeundum igitur iam nunc ad exponendam rationis purae circa ipsas discordiam. Cuius quidem opinionum inter se discrepantiae vt origo praesens animo lectoris obuersetur, breuiter, quae sectionis prioris §. 3. hac de re dicta sunt, resumere atque illustrare libet. Ratio per ideas cosmologicas absolutum quaerit, in quo synthesis hypothetica conditionum phaenomeni expleta cernatur. Hoc autem absolutum considerari potest dupliciter. Primum enim cogitare licet, illud contineri in conditionum serie perfecta, cuius omnia membra conditionata, totalitas autem ipsorum absoluta foret; tuncque regressus patet in infinitum: aut hoc quod quaerimus absolutum, ipsum partem facit seriei, i. e. summum atque vltimum membrum, cui cetera membra subordinata sunt, quod ipsum vero a nulla conditione pendens, absolute per se stat. Quibus prior placuit sententia, hi igitur seriem accipiunt a parte priori nullis finibus inclusam, (sine exordio) et per consequens infi-

infinitam, quae feries quamquam in quouis conditionato cogitationi exhibeatur, tamen in fynthefi regreffiua numquam percurrendo abfolui poteft; alias enim vltimus eiusdem foret terminus, nec infinita maneret feries. Qui e contrario fecundam tuentur opinionem, primum aliquod fiue, quoad regreffum a conditionato incipientem, *vltimum* accipiunt feriei, quod, quoad tempus praeteritum, *exordium mundi*, quoad fpatium *finis mundi*, quoad partes totius limitibus certis inclufi (corporum fiue materiae) *pars fimplex*, (μονας) quoad cauffas ab vltimo aliquo principio deriuandas, *fpontaneitas abfoluta*, (libertas) quoad exiftentiam commutabilium *neceffitas abfoluta naturalis* appellatur.

Sic explicato controuerfiae ftatu ad argumenta vtriusque partis exponenda progredimur.

ANTINOMIAE RATIONIS PURAE

SECTIO TERTIA.

De antithetica rationis purae.

PROLUSIO.

Antithetica transfcendentalis eft expofitio antinomiae rationis purae, fiue controuerfiae ipfius circa ideas, de quibus, quum obiectiua ipforum realitas experientia probari nequeat, in vtramque partem feu demonftrando feu refellendo aequa veri fpecie difputare licet.

Hane definitionem, quamuis iam ex ipfa inftitutione fupra expofita pateat, propterea expreffe adducendam rati fumus, ne quis forfan antitheticae vocabulo in falfas de propofito noftro opiniones defe-

 ratur.

ratur. Nam *thetica* quum sit complexus dogmatum more doctrinali et positiuo enunciatorum, sub *antithetica* aeque decisiuam sententiarum e contrario oppositarum assertionem liceret intelligere. Verum quicunque paullulum tantum meditationum nostrarum filum persecutus, facile, quantum ab eiusmodi antithetica nostrum abhorreat inceptum, perspiciet. Id enim agit nostra haec antithetica, vt thesin sistat cum anthithesi, aequo marte ambas, nulli partium fauens. Haud igitur in aream descendimus ipsi, sed sedemus controuersiae spectatores, e qua si neutra pars victa abierit, et in infinitum extendi posse certamen apparuerit, tunc si qua tantae lites per saeculorum iam seriem continuatae possint componi, videbimus. Hanc autem methodum, quam in exponenda circa ideas transscendentales antinomia adhibemus, *scepticam* appellare licet, quia definitiuam sententiam suspendimus, vsque dum ambarum partium fortissimis argumentis expositis nodum resoluere et reconciliare liceat partes, quas a communi errore profectas de indisputabilibus disputare demonstrabimus. Haec sceptica autem methodus quantum differat a scepticismo, quem dicunt, i. e. positiua eorum decisione, qui nihil vere certique hisce de rebus sentiri posse dicunt, per se patet. Nos enim verum ex controuersiis ipsis elicere studemus, cuius inueniendi impossibilitatem pyrrhonistae contendunt.

Propria autem est philosophiae transscendentalis sceptica haec methodus. Quum enim in aliis disquisitionibus aut nullus sit, at saltem haud necessarius eiusdem vsus; haec nostra, quam tractamus, philosophia tali methodo carere nequit. In mathematicis nullam eiusdem fieri posse applicationem patet; falsae enim in horum scientiam opiniones sub specie veri nequeunt irrepere, quum demonstrationes per synthesin euidentem in intuitione pura probari debeant, nec

sub

ſub hac error diu latere aut ſpeciem veri contrariae opinioni ſimilem (vt in ideis transſcendentalibus) affectare poſſit. Philoſophiam vero experimentalem quod attinet, in hac dubium quidem iudiciique ſuſpenſio admittitur, attamen error facili opera detegi poterit, quum experientia eiusdem inueniendi certaminisque dirimendi fundamenta contineat. Philoſophia morum principia atque placita ſua cuncta in concreto in experientia ſaltem poſſibili ſiſtere, ſicque, ne quae in abſtracto propoſita ſunt male intelligantur, cavere ſibi valet. Quae autem in philoſophia transſcendentali iudicantur a priori circa obiecta omnem experientiae poſſibilis prouinciam longe ſuperantia, ea ita comparata eſſe patet, vt eorum ſyntheſis abſtracta nec in intuitione ſiſti a priori, nec ſi quid ſecus in ipſa cogitetur, in experientiae progreſſu vnquam detegi poſſit. Rationi igitur nihil reſtat, niſi vt diuerſa ipſius et diſcordantia inter ſe placita conciliare inter ſe ſtudeat; id quod, niſi hiſce placitis antea expoſitis et ab vtraque parte validiſſimis argumentis firmatis, fieri nequit. Quare ad hanc expoſitionem iam nunc nos conferamus.

Sectionis Tertiae
APOTOME PRIMA.

De antinomia rationis purae circa ideas de vniuerſo mathematicas.

§. 1.

Antithetica rationis purae circa ideam mathematicam primam.

I. THESIS.

Mundus exortus eſt in tempore, (incepit) circumſcriptus in ſpatio.

PROBATIO.

Duae sunt, quae in thesi nostra comprehenduntur, propositiones. Statuitur enim mundi exordium, quoad tempus, eiusdemque limitibus spatii circumscriptus ambitus. Vnamquamque harum sententiarum seorsim probabimus.

1) Quod ad exordium mundi attinet, eius statuendi necessitatem ex oppositae opinionis absurditate demonstrant, hunc ferme in modum. Si, inquiunt, hoc ponimus, mundi nullum esse exordium in tempore, nosque retrogradientes in nullo vnquam temporis momento primo posse subsistere, inde efficitur, vsque ad quoduis temporis momentum datum aeternitatem seu tempus infinitum praeterlapsum esse. Cogitando autem tempus aliquod praeterlapsum in hoc ipso conceptu totum aliquod atque absolutum definimus temporis, cuius omnes partes aliquando praesentes fuerunt. In repraesentatione igitur temporis infiniti, praeteriti, synthesis seriei perfecta cogitatur. Hoc autem contra ipsum temporis infiniti conceptum pugnat. Tempus enim, sicuti quoduis quantum infinitum, tale est, cuius synthesis successiva numquam absoluitur. Mundus igitur a parte ante infinitus esse nequit, exordium igitur eius, quam remotissimum velis, aliquando tamen statuendum est, vt existentiae eiusdem conditio expleatur. *) Pari modo altera propositio demonstratur. Quicunque negat, mundum quoad extensionem in spatio, finitum seu

*) Iuuat hic adiicere, quae de mundi exordio statuendo Baco censuit Verulamius: (N. O. Aph. XLVIII.) „Neque sursus cogitari potest, quomodo aeternitas defluxerit ad hunc diem, „quum distinctio illa, quae recipi consueuit, quod sit infinitum a parte ante et a parte post, nullo modo constare possit, „quia inde sequeretur, quod sit vnum infinitum alio infinito „maius, atque vt consumatur infinitum et vergat ad finitum.„

ſeu limitibus circumſcriptum eſſe, ex oppoſito refellitur. Ponamus enim mundum eſſe infinitum. Qui mundum dicit eſſe infinitum, eundem tamen vt totum datum ſeu exſiſtentem in aliquo temporis praeſentis momento ponit. Qui *totum datum* ſupponit, tale ſupponit, cuius ſyntheſis, dum vnitas altera alteri inſuper continuo quodam progreſſu additur, perfici poteſt. Occurrunt igitur in conceptu mundi infiniti contrariae ſibi determinationes, dum eius ſyntheſis, vt exiſtentis dati perfici poſſe debet, vt infiniti nequit. (vide ſupra.) Mundus igitur infinitus ſibi contradicit et ſe ipſum tollit, ergo finitus eſt.

Obſeruatio ad demonſtrationem theſeos.

Alia adhuc exſtat eaque vulgo recepta methodus, qua mundum non eſſe infinitum probant. Infinitum enim aiunt, id eſſe quantum, quo maius non poſſit cogitari. Quum autem nullum omnino quantum maximum ſit, quoniam quouis quanto dato maius cogitare liceat, abhinc nullum quantum maximum eſſe, mundumque nec ſecundum tempus nec quoad ſpatium infinitum eſſe poſſe, concludunt. Huic vero demonſtrationi hoc ineſſe cernitur vitium, quod pro vero infiniti conceptu conceptum *maximi* ſubſtituunt, quum tamen in quaeſtione de infinito non de abſoluta totius magnitudine agatur, ſed id tantum poſtuletur, vt in quanto infinito ſucceſſiua partium ſyntheſis i. e. vnitatis ad ſe ipſum repetita additio numquam finiri perficique poſſit. Potior itaque noſtra eſt demonſtratio, cuius neruus in eo continetur, quod quantum illud infinitum, quale poſtulant aduerſarii, ſimul vt datum conſiderari debet. Quicunque enim mundum ſecundum tempus et ſpatium infinitum eſſe aſſerit, ſimul tamen contendit: 1) eo ipſo quo loquitur momento omne tempus, quo mundus exſtiterit, vsque ad illud momentum praeterlapſum eſſe. Dat igitur nobis quantum aliquod defini-

finitum temporis, dum vere quoduis temporis momentum vsque ad terminum, quo loquitur, praesens fuisse et praeteriisse concedit. Tale autem quantum datum definitumque non pro infinito potest haberi. Quatenus enim datum est, synthesis in eo perfecta cogitatur, quatenus infinitum, eandem vnquam perfici posse negatur. Ex qua notionum repugnantia mundum infinitum in tempore non posse cogitari emergit. Porro qui ait 2) mundum secundum spatium infinitum esse, simul tamen mundum totum existere ponit, esse igitur momentum supponit, quo nulla ad ipsum pars accedat amplius, sed perfectus existat. Hoc autem dum cogitatur, synthesin quoque partium eiusdem perfici posse apparet. Eadem itaque in notione mundi in infinitum extensi occurrit determinationum repugnantia, quam supra in tempore infinito inuenimus. Ex quo mundum non esse infinitum quoad spatium, ergo finitum, concluditur.

II. ANTITHESIS.

Mundus nec exortus est in tempore, nec circumscriptus in spatio; sed infinitus ab vtraque parte.

Probatio.

Iisdem armis, quibus pro mundo finito pugnatum fuit, aduersarii eundem esse infinitum tuentur. Bipartita horum quoque est demonstratio.

1). Mundi nullum in tempore exordium statui posse, sic probant. Ponamus mundi aliquando exordium fuisse, in conceptu exordii seu primi rei alicuius initii existentia cogitatur, quam tempus aliquod praecesserit, vbi res nondum erat. Inde si hic conceptus ad mundum transfertur, tempus aliquod cogitatur praeteritum, in quo mundus (i. e. rerum omnium complexus) nondum erat; igitur tempus vacuum in ipso mundi

mundi exordio praeterlapſum ſtatuitur. Tempus autem praeterlapſum cogitari nequit, niſi in ſerie commutationum *perſiſtentis obiecti*, quod commutatur. Idem igitur tempus praeterlapſum ſimul et vacuum contradictionem inuoluit. Praeterea in tempore vacuo aliquid exoriri impoſſibile eſt, quoniam nulla eiusmodi temporis pars conditionem diſtinctiuam exiſtentiae, ſecundum quam in *hac* potiſſimum exiſtentiae cogitetur exordium, continet. Duplici igitur ratione patet, mundi nullum exordium cogitari poſſe in tempore; mundus itaque a parte temporis praeteriti infinitus eſt.

2) Quod ad alteram partem attinet, mundum ſcilicet nullis ſpatii finibus incluſum eſſe, ſic colligunt. Si mundus quoad ſpatium finitus eſt, et limitatus, inde ſequitur, ipſum circumdari ſpatio vacuo illimitato. Duplex igitur ponitur rerum relatio, primum ſingularum inter ſe in ſpatio, deinde vniuerſarum ad ſpatium vacuum. Hoc igitur ſpatium, mundum amplectens, vt correlatum obiectorum quae mundum conſtituunt, et per conſequens vt obiectiuum aliquod conſideratur; ſimul autem quoniam extra mundum, rerum omnium complexum, nullum datur obiectum, negatur. Relatio igitur mundi ad ſpatium vacuum relatio eſt ad aliquod, quod nihil eſt. Talis autem aſſertio quum ſe ipſum tollat, inde efficitur, cogitationem de mundo, vt per ſpatium vacuum limitato, vanam eſſe, mundumque quoad ſpatium non eſſe limitatum, ſed infinitum.

Obſeruatio ad demonſtrationem antitheſeos.

Schola Leibnitiana conſequentiam noſtram, qua, ſi mundus finitus ſit, eum vacuo infinito temporis et ſpatii circumſcribi debere, contendimus, ita ſtudet eludere, vt pro mundo ſenſibili, qualis datur in intui-

 tui-

tuitione, mundum fubftituat intelligibilem, in quo ab omni intuitionis conditione plane abftrahitur. Sic pro exordio (quo exiftentia fignificatur, quam tempus aliquod non-exiftentiae praecedit) exiftentia abfolute infertur, nullam aliam conditionem requirens; pro finibus mundi fecundum extenfionem limites abfoluti ponuntur ad fpatium omnino non pertinentes. Verum in problemate noftro non de mundo intelligibili (ente ifto rationis) fermo eft, *de quo*, quum in eius conceptu conditiones intuitionis a priori omnino tollantur, *nihil fynthetice nec afferi poteft nec negari*; fed de mundo phaenomeno, quem fi finitum effe velis, neceffarie vt vacuo infinito circumfcriptum debes cogitare. Tempus autem ante exordium mundi praeterlapfum, et fpatium obiectiuum (quatenus correlatum eft obiectorum quae in ipfo continentur) fimul et vacuum, quum fine contradictione cogitari nequeant, inde ftat confequentia, mundum infinitum effe debere.

§. 2.

Antithetica rationis purae circa ideam mathematicam alteram.

I. THESIS.

Omnis fubftantia compofita in mundo conftat ex partibus fimplicibus, nihilque exiftit omnino praeter fimplex aut id quod e fimplici compofitum eft.

PROBATIO.

Ponamus, fubftantias compofitas non conftare ex partibus fimplicibus, tunc fi cogitatione omnem compofitionem tollimus, nec pars compofita, nec (quoniam partes fimplices dari negatur) fimplex fupereffet; id quod fuppofitioni fubftantiae datae repugnat. Aut igitur probandum eft, compofitionem cogitatione pe-

penitus tolli non posse, aut concedendum, ea sublata aliquid absque compositione existens i. e. simplex restare. Compositionem substantiae compositae cogitatione tolli non posse qui dicit, aut tollit conceptum substantiae, quae vt persistens per se cogitatur, et in qua per consequens compositio nihil nisi contingentem multarum substantiarum, quarum quaeque per se existit, relationem significat, aut negat compositum reale e substantiis consistere; id quod suppositioni theseos repugnat. Ex quibus quum emergat, omnem compositionem cogitatione remoueri posse, inde efficitur, substantiale compositum in mundo ex partibus simplicibus constare. Sunt igitur res omnes entia simplicia per se, compositioque ipsorum statum tantum externum non internam et realem essentiam constituit, et quamuis substantias elementares numquam perfecte omni compositione liberare possumus; tamen ratio easdem, vt omnis compositionis subiecta simplicia, ante compositionem existentia cogitare debet.

Obseruatio ad probationem theseos.

Partes constitutiuas compositi realis esse substantias per se, in hoc omnis huiusce probationis cardo vertitur. Agitur enim hic de toto ex substantiis conflato, quod proprie compositum vocari debet. Compositi enim conceptu totum designatur, cuius possibilitas a partibus pendet; quare proprie spatium non est compositum, sed totum absolutum, quippe cuius partes haud extra totum possibiles sunt; totum autem non per partium synthesin efficitur. Quod si nihilominus spatium vt compositum considerare velimus, nomine compositi idealis a reali substantiarum composito aptissime distinguetur. In hoc autem potissimum compositum spatii a composito reali differre cernitur, quod, quum partes eius tantum in toto possibiles sint, si compositionem spatii tollas, nihil, ne punctum quidem,

dem, relinquitur. Punctum enim vnice, qua terminus spatii alicuius compositi, possibile est. Nec spatii igitur nec temporis partes simplices cogitari possunt. Nec consequentia nostra, qua a toto composito ad partes simplices concludimus, quum tantum de rebus per se existentibus valeat, ad accidentia referri potest; quamuis in eis gradus aliquis, et per consequentiam quantum cogitetur. (vti v. c. in commutatione.) Quum enim accidentia nihil sint per se, sed vnice, quatenus statum constituunt substantiae, realiter cogitentur, inde efficitur, omni compositione sublata ipsa in nihilum recidere, nec eorum in partes simplices dissolutionem posse cogitari. Argumentum itaque de necessitate partium simplicium vltra composita realia haud debet extendi.

Ceterum nos hic de simplici vnice loquimur, quatenus necessarie datum est in toto, quoniam hoc in partes simplices, tanquam elementa sui, resolui posse debet. Quare ea, qua Leibnitius vsus est, monadis expressio in id, de quo nos agimus, simplex haud bene applicari videtur. Monadem enim substantiam simplicem per se consideratam, quatenus immediate in apperceptione nostri cogitatur, appellabat. Rectius igitur elementum simplex substantiale Graeco vocabulo atomum (ἄτομον) vocabimus.

II. ANTITHESIS.

Nulla substantia composita e partibus simplicibus constat, nihilque datur simplex in rerum natura.

Probatio.

Ponamus, aiunt antitheseos propugnatores, compositum substantiale constare e partibus simplicibus. Quodcunque autem obiectum sub notione substan-

ſtantiae comprehenditur, id vt perſiſtens cogitatur in intuitione externa ſpatii, compoſitioque, quum relatio ſit externa, non niſi in ſpatio eſt poſſibilis. Quot igitur ſunt partes compoſiti, e totidem partibus ſpatium quoque conſtabit, in quo compoſitum continetur. Spatii autem quum partes non ſint ſimplices, ſed iterum ſpatia, inde efficitur, quamlibet compoſiti partem occupare ſpatium; ſi vero elementa cuiusuis compoſiti ſimplicia ſunt, id quod ſimplex eſt, tamen explere ſpatium conſtat. In omni autem reali, quod ſpatium explet, multiplicitas continetur extra ſe poſitorum; omni igitur ſimplici, vt ſubſtantiarum elemento reali, tamen ineſſe debet multiplicitas extra ſe poſitorum, id eſt compoſitio realis; elementum igitur ſimplex ſimul foret et compoſitum. Hoc autem ſibi contradicere in aprico eſt; quare ſubſtantiam compoſitam non conſiſtere e partibus ſimplicibus concludimus.

Quod ad alteram partem antitheſeos attinet, dum in rerum natura ſimplex non dari aſſerimus, id tantum ſignificatur, numquam nobis in experientia aut perceptione poſſibili, ſeu externa, ſeu interna, obiectum poſſe exhiberi abſolute ſimplex; eſſe igitur ens abſolute ſimplex conceptum rationis ſiue ideam transſcendentalem, cuius obiectiua realitas probari nequit. Quod quidem rectiſſime iudicatur; licet enim obiecta darentur, in quorum perceptione multiplicitas non apprehenderetur, (vti ſubiectum cogitans in perceptione interna) tamen exinde, quod compoſitionem nullam apprehendimus in perceptione, ad eius abſentiam in realitate ſeu abſolutam ſimplicitatem minime valet concluſio. Verum ad iſtam, quam theſis poſtulat, ſubſtantiam abſolute ſimplicem, probandam intuitio empirica requiritur obiecti ſimplicis ſiue, quod idem eſt, talis, a quo omnis multiplicitas ad vnitatem coniuncta plane abeſt. Quae intuitio omnino quum in ex-

experientia per naturae humanae indolem poſſibili, dari nequeat, inde rite colligimus, in mundo, vti toto ſubſtantiali phaenomeno, (ſiue complexu omnis in experientia perceptibilis,) elementa ſimplicia non dari.

Obſeruatio ad probationem antitheſeos.

Res in antitheſi nobis agitur cum monadum defenſore, Leibnitiana ſchola. Hanc qui ſectantur, argumento noſtro, quo infinita materiae diuiſibilitas e diuiſibilitate infinita ſpatii probatur, aliud opponunt ſpecioſum ſatis argumentum, at quod euidentiam geometricam deſtruit. Illud enim principium, ſpatium in infinitum diuidi poſſe e fictitiis de ſpatio aliquo puro abſtractum eſſe conceptibus, nec in ſpatium repletum materia cadere poſſe, contendunt. Spatium enim quum non ſit aliquid per ſe exiſtens, quod obiectorum naturam conſtituat a priori, ſed ipſum potius ab obiectis determinetur, quumque eatenus tantum realitas ipſi poſſit tribui, quatenus obiecta data ſunt: inde colligunt, peruerſam nos methodum ſequi, qui principia ex abſtracto ſpatii puri conceptu deriuata ad obiecta applicare velimus, quum tamen ordine inuerſo quicquid de obiectis a priori nulla intuitionis eorum ratione habita iudicari poſſit, ad ipſa, quatenus exhibentur in ſpatio, iure adhibeatur et valeat. In quo quidem aduerſariorum argumento hoc recte monetur et certum eſt, ſpatium per ſe non eſſe obiectum, ſed eatenus tantum reale, quatenus obiecta dantur in ipſo; at in eo peccatur, quod aſſerunt, formam obiectorum praecedi a materia ſiue, quod idem eſt, poſſibilitatem ſpatii a conditione materiae datae pendere. Eſt enim ſpatium (vti pluribus in Aeſthetica transſcendentali monuimus) obiectiua rerum omnium, quarum intuitio eſt empirica, conditio; quicquid igitur de ſpatio valet, etiam de obiectis in ipſo neceſſarie prae-

praedicatur. At peruertunt monadologiae defenſores verum controuerſiae ſtatum. Nos enim dum de toto ſubſtantiali phaenomeno agimus, illi a conditione intuitionis, — quae ſola eſt obiectorum cognoſcendorum in homine poſſibilitas, — recedentes, ſemper entia vrgent rationis noumena, de quibus quoad theſin nihil efficimus. In ſimplici enim entis noumeni cogitatione nihil datur compoſitum, ſed compoſitio infertur ad libitum, ſimplici elemento — ſuppoſito. Vbi autem de ſubſtantiis corporeis vt datis in intuitione agitur, a conditione ſpatii abſtrahi nequit, ſub qua haec obiecta exhibentur, ſed quidquid de conditione videlicet ſpatio valet, id de conditionato quoque (i. e. obiectis in ipſo) praedicari oportet.

De repraeſentatione ſimplici ſubiecti cogitantis iam ſupra diximus, eam nihil probare contra ſecundam antitheſeos aſſertionem, qua nihil omnino ſimplex in rerum natura exiſtere contenditur. Vt enim ab apperceptione ſubiecti cogitantis, cui multiplicitas non ineſt, ad ſubſtantiam ſimplicem concludamus, hanc repraeſentationem ad perdurabile aliquod in intuitione referri poſſe neceſſe eſt. Eiusmodi autem perſiſtentis intuitio non datur, praetereaque certum eſt, eam, ſi foret poſſibilis, per formam ſenſus externi non ſimplicem nobis ſed compoſitam ſubſtantiam exhibituram eſſe.

SECTIONIS TERTIAE

APOTOME SECUNDA.

Antithetica rationis purae circa ideas de vniuerſo dynamicas.

§. 1.

Antinomia rationis purae circa ideam dynamicam primam.

I. THE-

I. THESIS.

Caussalitas secundum leges naturae haud sufficit ad phaenomenorum in mundo originem perfecte explicandam, sed statuenda est, praeter hanc, caussalitas quoque ex libertate.

PROBATIO.

Si nulla alia daretur caussalitas, quam quae pendet a legibus naturae, tunc quodcunque fit, siue quilibet effectus, quem d appellamus, praecedentem supponit statum c, ex quo necessarie deriuatur. Praecedens autem qui sic supponitur status c, exordium ipse quoque aliquando in tempore cepisse, censendus est; si enim semper exstitisset status c, etiam ipsius consequentia, effectus videlicet d, non incipere potuisset, sed semper affuisset. *) Hic igitur status c, quem vt caussam effectus d consideramus, ipse aliquando exortus est, id quod secundum legem naturae non nisi per praecessionem status alius b explicari potest, ita vt in statu b caussalitas productiua, ex qua status c prodierit, reponatur. Haec iterum caussa b praecedentem supponit a et sic porro. Si omnia igitur fiunt secundum leges naturae, comparatiuum tantum

*) Si quis huic assertioni id opponere velit, caussam semper *praecedere* effectum; igitur effectum B non semper fuisse, etsi eius caussa A fuerit semper, caueat, ne sic colligendo aeternitati caussae deroget, quamque semper et absolute exstitisse nobiscum supposuit, limitibus iterum includat temporis. Nam simul effectum B posuerit in puncto aliquo temporis incipientem, inde sequitur, caussam A immediate hoc temporis momentum praecedere; definitur itaque tempus, quo caussa esse inceperit, idque aeternae ipsius existentiae contradicit. Quare quando caussa supponitur, quae fuerit semper, etiam effectus nullum exordium potest cogitari. (conf. Analytic. transsc. Lib. II. cap. 2. Sect. 3. Apotome ada a, §. 12.)

tantum datur, nusquam vero primum aliquod initium, nec series caussarum ascendendo compleri potest. Nusquam enim in vltima aliqua caussa subsisti potest: quippe quae semper altiorem supponit caussam, et sic vbicunque terminum ponamus in regressu, ad vltimum semper aliquod factum peruenimus, quod quamuis exorsum in tempore, tamen caussam non habet. Hoc autem legi repugnat naturae, quae nihil fieri sine caussa sufficienti a priori determinata definit. Vnde emergit, hoc principium, quo omnem caussalitatem vnice secundum leges naturae possibilem esse statuitur, vniuersaliter et sine vlla restrictione intellectum sibi ipsi repugnare; nam dum semper caussa supponitur, terminus omnis in regressu abscinditur, et in serie caussarum descendentium vna quidem ab altera deriuari potest, ipsius vero seriei possibilitas vltimo caussali deficiente nullo modo comprehenditur. Ad perfecte igitur explicanda naturae phaenomena principium eorumdem vltimum in spontaneitate aliqua caussarum absoluta i. e. in caussa, nullam vlteriorem praesupponente caussam collocandum est. Conceptus autem caussae non conditionatae, quae seriem phaenomenorum absolute inchoat, est conceptus de libertate transscendentali, in qua quaeuis phaenomenorum succedentium series determinari debet.

Obseruatio

ad probationem theseos.

In thesi de libertate agitur in tantum, quantum eius ad ideam transscendentalem pertinet. Quaecunque enim huic conceptui empiricae adhaerent notiones faciliores sunt intellectu, at libertas transscendentalis siue absoluta actionum spontaneitas, quae in facultate consistit, seriem rerum successiuarum siue statuum consequentium vltro et actu spontaneo incipiendi,

endi,

endi, a qua omnis imputabilitas pendet, semper philosophis ipsam vrgentibus aerumnas, aduersariis disputandi facilitatem et ansam criminationum exhibuit. Nos quidem eiusmodi libertatem transscendentalem necessarie statui debere probauimus, id quod pro re nostra omnino sufficit; nec vituperio locus est, propterea quod, quonam more existentia caussae liberae existentiam alteram (effectus) producere possit, non explicatum sit. In caussis enim naturalibus eadem difficultas occurrit modi productionis explicandi, agnoscentesque virium nostrarum modulum, eo contenti erimus, si rem ita se habere nobis persuasum fuerit, quamuis *quomodo* possibilis sit caussalitas vel naturalis vel ex libertate comprehendi explicarique nequeat. Necessitas autem primi seriei alicuius phaenomenorum exordii ex libertate a nobis eo tantum respectu probata est, vt origo mundi, quatenus in eo cogitatur omnium successiuorum complexus, inde perfecte explicari possit, et clauus quasi aliquis figatur in quem catenae, a singulis factis in nexu caussali ascendentes, desinant.

Haec autem libertatem sensu transscendentali statuendi necessitas si rite demonstrata fuerit, inde possibilitas quoque emergit libertatis practicae in subiecto intelligente, sub qua eam huiusce subiecti intelligimus facultatem, secundum quam actu spontaneo seriem effectuum in mundo absolute inchoare potest; nec ea nos impedire debet difficultas, quod status alius rerum aliaque rerum successio hanc, quae libere incipitur, seriem praecesserit. Nam hic non de primo seriei exordio in tempore, sed secundum caussalitatem agitur; nec in conceptu successionis praecedentis subiectum intelligens necessarie per ipsam determinatum cogitatur, quin potius ipsi facultas relinquitur, seriem alteram successiuorum libere initiandi.

Sed iam antithesin audiamus.

II. ANTITHESIS.

Non datur libertas; sed omnia fiunt vnice secundum leges naturae.

Iterum ex opposito disputant aduersarii. Ponamus, aiunt, esse libertatem transscendentalem i. e. dari caussam aliquam absolutam, quae seriem rerum seu statuum successiuorum actu spontaneo inchoaret, ita vt etiam determinatio caussae agentis ad operandum (caussalitas ipsius) absolute incipiat, nihilque praecedat, per quod hunc actum ex lege aliqua necessaria fieri appareret: hoc tamen nobis concedi debet, in hac ipsa caussa libera duo diuersos status distingui debere, vnum, qui actum ipsius praecedit, alterum, quo caussalitatem suam agendo exserit. Erit itaque caussalitas commutatio in principio agente; quaeuis autem commutatio caussam supponit congruam ex qua necessarie consequitur. Caussalitas igitur ex libertate caussam supponeret alteram, id quod sibi ipsi repugnat. Nequeunt igitur phaenomena naturae explicari ex libertate; nec datur omnino libertas, ex qua e summo et absoluto principio series consecutionum deduci possit; sed quaeuis caussa a caussa pendet altiori. Nihil igitur habemus praeter naturam, ex quo nexus ordoque consecutiuus omnium, quae facta sunt, suntque, explicari possit, hicque ordo, si libertatem introducis, penitus abrumpitur. Ne dicas enim, leges libertatis locum legum naturalium in nexu rerum posse supplere. Libertas enim non agnoscit leges, a quibus si esset determinata, non foret libertas amplius, sed ipsa natura. Verum in thesi tantum defessae quidem in caussarum exquirendarum regressu, aut ignauae potius rationi requies quaeritur, at vana decipimur specie, dum libertatem absolutam introducere opinantes, caussalitatem aliquam sistimus, quae qua-

tenus commutatio eſt in principio agente, neceſſari
altiorem cauſſam poſtulat.

Observatio
ad probationem Antitheſeos.

Qui omnem cauſſalitatem vnice e legibus natu
rae deriuari poſſe cenſent, (phyſiocratiae transſcenden
talis defenſores) dum exordium mundi virtuale (ex li
bertate) negant, a negatione exordii eiusdem mathe
matici incipiunt. (Conf. Apotom. 1. §. 1. Antitheſis.
Aſſerunt igitur, nullum in tempore primum initium
fuiſſe, ideoque nec primam aliquam eiusdem cau
ſam ſtatui poſſe. Subſtantiae enim mundi quum ſem
per exſtiterint, nihil eſſe aiunt, quod impediat, qui
ſtatuum in ipſis vices perpetuas et per conſequens ſ
riem commutationum ſempiternam fuiſſe accipiamu
Nec aliquid proficiunt theſeos propugnatores, ſi po
ſibilitatem infinitae eiusmodi ſucceſſionis commutati
num absque primo aliquo motore, a quo vt prim
ſeriei membro cetera omnia pendeant, comprehen
non poſſe, nobis obiiciunt. Quod enim comprehe
di nequit, propterea non eſt impoſſibile; et plu
ſunt in rerum natura, quorum realitatem experien
docet, poſſibilitatem intellectus non comprehend
Vt enim in conceptu ſubſiſtamus commutationis,
milis occurrit in ipſo difficultas. Niſi enim, experie
tia edocti, dari commutationes perſuaſum haberem
poſſibilitatem eiusdem a priori minime intelligerem
Quomodo enim perpetua exiſtentiae et non-exiſtenti
conſecutio ſeriesque ſtatuum plane diuerſorum in
dem ſubſtantia poſſibilis ſit, a priori non conſtat.

Sin autem facultatem aliquam libertatis transſce
dentalem in ente aliquo concederemus, cuius ope ſer
commutationum mundi inchoaretur, ſaltem hoc ſem
ex

extra mundi terminos ponendum erit; quamquam et hoc iam ſatis audacter et ſine fundamento ſatis idoneo fieri videtur, vt extra omnis intuibilis complexum ens aliquod conſtituas, quod in nulla omnium perceptione poſſit exhiberi. At in mundo ipſo ſubſtantiis eiusmodi facultatem velle concedere, idem eſt, ac omnem nexum phaenomenorum, ſecundum leges generales inuicem ſibi correſpondentium, (quem *naturam* ſolemus appellare,) funditus euertere. Si enim talis daretur libertas, tunc leges naturae per ipſius influxum continuo commutarentur, nec conſtans ſibi et ad leges generales conſtituta experientia amplius foret poſſibilis.

§. 2.

Antinomia rationis purae circa ideam dynamicam alteram.

I. THESIS.

Ens aliquod exiſtit abſolute neceſſarium, quod cauſſa eſt mundi, ipſumque ad mundum pertinet.

PROBATIO.

Mundus ſenſibilis, vtpote complexus omnium phaenomenorum, ſeriem ſimul continet commutationum, quarum realitas ex ipſa temporis repraeſentatione probatur, cuius empirica apperceptio non niſi per commutationum perceptionem poſſibilis eſt. Quaeuis autem commutatio conditionata eſt, et ab altiori pendet conditione, quae ipſam praecedit in tempore, et ſub qua ipſa commutatio neceſſarie conſequitur. Haec iterum conditio, vt et ipſa conditionata, alteram praeſupponit; itaque ubi conditionatum datum eſt, completa poſtulatur conditionum ſeries in non-conditionato aliquo demum ſubſiſtens, quod abſolute neceſſarium eſt. Oportet igitur abſo-

lute necessarium aliquod existere, a quo series commutationum in mundo, vt a prima origine, deducatur. Hoc autem necessarium ipsum quoque ad mundum sensibilem pertinet. Exordium enim consecutionis alicuius in tempore tantum ab eo potest deriuari quod ipsam in tempore praecedit. Id igitur, quod summam continet conditionem seriei exordientis in tempore, ipsum in eo tempore vt existat necesse est in quo haec commutationum series nondum aderat exordium enim, vti supra iam diximus, existentiam significat, praecessam a tempore aliquo, in quo id quod orditur, nondum erat. Actus igitur caussalis a quo infit series commutationum, et per consequens ipsa huiusce caussa necessaria, ad tempus ideoque ad complexum phaenomenorum pertinet, in quibus solis conditio temporis vt forma ipsorum possibilis est. Supponit igitur complexus phaenomenorum (mundus) aliquid absolute necessarium, siue hoc in parte aliqua ipsius, seu in tota integraque commutationum serie contineatur.

Obseruatio ad probationem theseos.

Ad probandam in cosmologia rationali entis necessarii existentiam, nullo alio nisi pure cosmologico argumento licet vti, in quo a conditionato phaenomeni ad absolutum in conceptu, quod vt necessariam completae seriei totalitatis conditionem consideramus ascenditur. In eiusmodi autem argumento pure cosmologico nihil omnino statui potest hanc circa quaestionem, an id, quod postulatur, ens necessarium sit ipse mundus, vel pars aliqua ipsius distincta. Hi vero, quod regressu empirico relicto saepissime contingentia phaenomenorum concludere voluerunt esse scilicet ens absolutum extra mundum positum nec ad ipsum omnino pertinens, μεταβασιν continuo εις αλλο γενος, nec constanti ratiocinii consecutione

prob

probari poteſt. Nam ſimulac argumentum cosmologice inſtitueris, regreſſu in ſerie phaenomenorum ſecundum leges cauſſalitatis empiricas principii loco poſito, poſtea non amplius hunc licet deſerere, et ad aliud transgredi, quod non ad hanc ſeriem vt membrum ipſius pertineat. Si enim ea relatio, quae intercedit inter conditionatum eiusque conditionem in regreſſu, ſenſibilis eſt, inde efficitur, etiam ſummam conditionem ſeu cauſſam primariam ſub legibus ſenſualitatis comprehendi, igiturque ens quod cogitatur neceſſarium vt ad ipſam mundi phaenomeni ſeriem in tempore pertinens conſiderari debere.

Ii autem, qui quamquam in entis neceſſarii exiſtentia demonſtranda a regreſſu in ſerie phaenomenorum empirico inceperint, tamen ad ens abſolutum extra mundum ſe perueniſſe rati ſunt, conceptui contingentiae empirico eiusdem notionem puram furtim ſuppoſuerunt. Ex commutationibus videlicet mundi rite eiusdem *contingentia empirica* deducebatur, quae nihil aliud ſignificat, niſi dependentiam eius a cauſſis empirice determinantibus. Quum autem in ea conditionum empiricarum ſerie aſcendenti, quae in regreſſu conſtituebatur, nullum exordium, nullus in regreſſu terminus inueniretur, ſubito ad notionem puram contingentiae ſe contulerunt, vt inde ad ens abſolute neceſſarium fieret concluſio. At ab ea, quae de phaenomenis conſtat, contingentia empirica ad hanc intelligibilem concludi non poteſt. Contingens enim, quod cogitatur in praedicamento, id eſt, cuius e diametro oppoſitum poſſibile eſt. In omni quidem mutatione oppoſiti ſtatus (exiſtentia et non-exiſtentia) realiter cogitantur, ideoque etiam poſſibiles ſunt at ſub conditione temporis, ita vt ſtatui praeſenti directe oppoſitus alter poſſibilis quidem ſit, *at in alio tempore.* Quod ſi autem in ſubſtantiam phaenomenon contin-

gentiam notionis purae applicare vellemus, probandum esset, tempore eodem, quo status A in substantia obtinebat, in eadem substantia etiam statum directe oppositum = non A obtinere potuisse, id quod legi nexus caussalis repugnat. Quare notio contingentiae pura in substantiam phaenomenon non cadit, nec alia datur praeter contingentiam empiricam sub lege caussali. Nulla igitur ab hac empirica existentiae omnium mundi phaenomenorum contingentia ad ens absolute necessarium extra mundum intelligibile institui potest conclusio; haec enim tunc primum foret possibilis, si existentia obiecti alicuius empirici per notionem intellectus puri de contingentia cogitari posset; hoc autem fieri lex caussalis vetat. Quo iure vero argumentum cosmologicum a contingentia intellectuali substantiae in genere ad ens necessarium concludat, paullo inferius diiudicabitur. (Conf. Lib. huiusce Cap. III. Sect. 2. Apotom. 3. §. 5.)

II. ANTITHESIS.

Nullum existit omnino ens absolute necessarium, nec in mundo, nec extra mundum, quod caussam ipsius contineat.

Probatio

Ponamus enim, esse aut mundum ipsum ens absolutum, aut hoc absolutum esse in mundo, et in vtraque sententia contradictionem inuolui videbimus. Si enim ens absolutum caussale esset in mundo, vt pars ipsius constitutiua, tunc exordium poneretur absolute necessarium i. e. aliquid in tempore, quod caussam non haberet. Hoc autem repugnat legi dynamicae, secundum quamquicquid est in tempore, a caussa idonea praecedenti pendet. Si mundus ipse (complexus omnium consecutiuorum) esset absolutus, tunc seriem habere-

mus

mus fine initio, cuius omnes partes essent contingentes et conditionatae, at quae tota absoluta foret et necessaria. Hoc autem sibi ipsi repugnat. Existentia enim aggregati cuiusdam necessaria esse nequit, quando nulla ipsius pars necessarie existit. At forsan abluta mundi caussa extra mundum quaerenda est. De hoc quoque quid censendum sit, videbimus. Si caussa mundi extra mundum posita est, ab hac, vt summo in serie caussarum membro, existentia seriei earumdem descendentis incipit. Ipsius autem huiusce caussae aliquando tamen operatio incipere censenda est, haec igitur ipsius caussalitas in tempus cadit, ipsumque propterea ens absolutum, *quatenus caussa est*, in complexu phaenomenorum i. e. mundo constituitur. Pertinet igitur ad mundum. Hoc autem suppositioni nostrae, illud scilicet esse extra mundum, repugnat. Quare nec ens datur absolutum in mundo, nec idem extra mundum, et in nexu cum ipso caussali constitutum cogitari potest.

Obseruatio ad probationem antitheseos.

Quum in thesi entis absolute necessarii existentia vnice respectu cosmologico perhibeatur, vt scilicet exinde possibilitas commutationum siue existentiae contingentis comprehendatur, proinde etiam antithesis respectu cosmologico existentiam entis absolute necessarii negat, quoniam, ea admissa, contra ipsam omnis entis in tempore contingentiam impingitur. Rite igitur in antithesi argumenti mere cosmologici a conceptu entis necessarii mere transscendentali abstrahitur, quoniam thesis idem ens vnice ad vsum intellectus empiricum, quatenusque aliqua eiusdem relatio ad mundum phaenomenon cogitatur, postulauerat. Quomodo autem, quum in vtroque argumento thetico et antithetico ab eodem fundamento contingentia scilicet mundi exeatur, ad ita directe oppositas conse-

 quen-

quentias perueniatur, hoc ex diuerso, secundum quem haec ipsius contingentia consideratur, more explicandum est.

In probatione videlicet theseos ad absolutam totalitatem conditionum respicitur, a quibus haec ipsius contingentia pendet; hanc autem persequentes ad absolutum ducimur et necessarium; in probatione antitheseos ad contingentiam vniuscuiusque conditionis distincte consideratae respicimus, qua etiam eam, quae summa esset, conditionem, quoniam tamen est in tempore, liberare non possumus; quare hoc genus argumenti ad negationem entis alicuius non-contingentis, quod contingentium caussam contineret, necessarie traducit.

ANTINOMIA RATIONIS PURAE

Sectio Quarta.

De solutione antinomiae cosmologicae.

Prolusio.

Exponitur, quinam sit, in hac argumentorum inuicem sibi oppositorum discordia, vtrique parti penes rationem fauor, et in vtram potissimum inclinet? —

Iam propalam vides expositam, beneuole lector rationis cum semet ipsa circa problemata cosmologic discordantis controuersiam. Aequi ponderis pro partibus, e diametro, vti videtur, oppositis, stant argumenta, quibus rite perpensis ancipites haeremus, ne quid statuendum sit, liquet. Nullum igitur iam nun superest consilium, nisi vt mente ab ardore pugnantium alienata ipsum id, de quo decertant, argumentum propius consideremus, examinemusque, nu

fo

ſortaſſis communis vtramque partem ſpecies decipiat, et male intellectum controuerſiae fundamentum tanta vtrobique ſtudia nequicquam excitauerit. Haec enim ſola certaminis dirimendi ſpes, hoc vltimum rationis anxie ſuſpenſae refugium. Antequam autem hanc problematum noſtrorum ſolutionem (qualem Sectio. I. §. 4. promiſimus) aggrediamus, pauca de eo, quod rationis in hoc certamine intereſt, praemonenda erunt. Hucusque enim mathematicorum in morem, qui in examinando problemate aliquo, cuius dubia eſt et in vtramque partem poſſibilis ſolutio, quieti exſpectant neutrum praedilectione aliqua potiſſimum adamantes euentum, ſic nos, quaſi in re prorſus theoretica, absque omni ſtudio et theſin et antitheſin pariter expoſuimus. Attamen primo ſtatim idearum cosmologicarum obtutu apparet, haud perinde iudicari poſſe, quemnam haec lis exitum capiat, nec quietos nos vnquam in tam eximii ponderis diſquiſitionibus ſpectatores poſſe adſtare. Problemata enim, quae tam prope id, quod homini ſanctiſſimum eſt, ethicam puta diſciplinam religionisque doctrinam tangunt, vt eius quaſi totidem fulcra conſtituta eſſe videantur, quomodo ſolui poſſint, hoc maxime intentum optimum quemque tenebit, ſolutioque vna prae altera exoptabitur. Fauor autem hac in re diuiſus eſſe videtur, ita tamen vt maximus in partem verget theſeos. Quare de hoc iam praefari aliquid liceat, propterea quod ſi rationem hasce in partes vt discedat cogi intellexerimus, inde nobis alia fortaſſis via aperietur, qua ad id, quod more demonſtratiuo attingere non licet, reſpectu tamen practico ſtatuendum peruenire poſſimus. Placet igitur ſententiam eorum, qui in argumentis cosmologicis theſin tuentur, *dogmatiſmum*, contrariae autem partis decreta *empiriſmum* purum appellare, quae nomina vnde deriuentur, ab iis, quibus ſuperiora ſatis perſpecta ſunt, facile comprehendetur. Iam igitur quonam

nam vtraque pars fauore se commendet, exponendum est.

§. 1.

Commendat se dogmatismus, euidentiam fundamentalium ethices ac religionis praeceptorum praetexendo, aedificio rationis systematico, in quo perficiendo laborat, coronam imponendo, denique intellectui populari blandiendo.

Respectu practico dogmatismum de meliori se commendare, quis est qui non videat? Fuisse enim aliquod mundi primum exordium; esse id, quod mei cogitat, simplicis ideoque incorruptibilis aeternaeque naturae; idemque ens simplex esse liberum, nec vinculis iisdem legum naturalium, quibus bruta tenetur materies, adstrictum; denique praeclarum hunc vniuersi ordinem, quem admiramur, a summo aliquo ente esse constitutum, in quo omnia contineantur, ab ipso in tanti decoris aedificium, quale mundum cernimus, composita atque inuicem coaptata, quis est bonus, qui eiusmodi doctrinae non faueat solum sed et rem ita se habere vel ardentissime exoptauerit? Hac autem ex parte antithesis omnium studia vt contra se excitet, necesse est, quippe quae haec, quae maxime faciunt ad generis humani tranquillitatem et spem bonorum vltra fragilis huiusce vitae conditionem erigendam, ethices ac religionis fundamenta euertere videtur.

Haud vero censendum est, dogmatismum vnice propterea posse placere, quod a disciplinis practicis in subsidium quasi vocetur. Arridet etiam per se rationi, quoniam terminum promittit, in quo regressus in serie conditionum legitime absoluatur. Ratio autem suapte natura architectonica est, siue omnes cognitiones sub

ſub altioribus principiis comprehendere et ſyſtemate aliquo finito geſtit includere. Huic autem ipſius tentamini egregie ſuccurrit dogmatiſmus, dum vltima ſtatuit principia, quibus omnis ſcientia perfecta abſoluitur; blanditurque vanitati humanae, quae nihil incompertum ſibi relinqui vult, ſed potius vbi cauſſas rerum haud valet comprehendere, ad intelligibilem naturam prouocat, a cuius voluntate ea quae comprehendi nequeunt ita conſtituta ſint. Tunc enim res aliquo ſaltem modo explicata eſt, *) deriuatioque cauſſarum contingentium et conditionatarum comprehendi poteſt, ſi ab abſoluto aliquo incipias. Antitheſis autem, quae nihil vltimum, nihil abſolutum offert, in quo cauſſas rerum inueſtigantibus demum ſubſiſtere detur, male conſulit rationi, ſyſtemati condendo intentae, ex quo omnia perfecte poſſint explicari. Secundum ipſam enim quaeuis conditio, ex qua conditionatum aliquid explicatur, vlteriorem poſtulat inquiſitionem in conditionem altiorem, et ſic in infinitum, nec requies datur. A quouis enim exordio dato ad prius aliquod, aſcendendum eſt; quoduis elementum, in quod compoſita reſolueris, rurſus ipſum debet reſolui, nec aliquod minimum eſt; (ἄτομον non datur.) porro quicquid fit, ſemper altiorem in regreſſu cauſſalitatem habet; exiſtentiae denique conditiones nullibi ſunt abſolutae, ſed quodcunque exiſtit, idem ab alia ſemper exiſtentia pendet, ſicque ſeries a nulla parte clauſa conſpicitur. Captui vero populari in primis aptum quare dogmatismum iudicauerimus, nunc eſt dicendum. Facile autem eſt intellectu. Nam vulgus ho-

*) Concedit in hanc noſtram ſententiam Ariſtoteles, qui in metaphyſicis (A. το μειζον, δ) ſic ait. Αναξαγορας — μηχανη χρηται τῳ νῳ προς την κοσμοποιιαν, και όταν άπορηση, δια τιν' αἰτιαν ἐξ αναγκης ἐστι, τοτε ἑλκει ἀυτον. Ἐν δε τοις ἀλλοις παντα μαλλον αἰτιαται των γιγνομενων ἢ νουν.

hominum a caussis quidem solet ad effectus progredi; at, quod difficilius est, ab effectibus retrogredi ad caussas grauatur. Quare oblato sibi obiecto aliquo absoluto gaudet, a quo incipiens progressum hunc secum possit instituere. Nec circa possibilitatem talis obiecti perscrutando laborat. Nam omnia ad analogiam eorum componere consuetum, quae in sensus ipsius incurrunt, quum nihil fieri sine initio videat, praetereaque in omnibus, quae contemplatur, minimum aliquod comparatiuum inueniat, omnem porro euentum a caussa idonea pendere, denique omne contingens ab altero deriuari debere intelligat, quod respectu eius non est contingens; facile persuadetur, quae de singulis valent comparatiue, de toto absolute accipi debere; itaque theses dogmatismi, quamquam ipsarum obiecta exhiberi non possint in intuitione, sine difficultate et dubio profitetur. Praeterea autem hoc quoque auget popularem dogmatismi fauorem, quod aequalitas aliqua per ipsum inter doctos indoctosque hisce de rebus iudices comparatur. De obiectis enim idearum transscendentalium quum nihil omnino sciri definirique possit, argutire plurima licet, nec ceteroquin quantumuis alter doctior, harum rerum quippe aeque ignarus, commenta alterius spernere aut refutare ausit: de quo enim scire aliquid nemini datur, omnibus aequa est fabulandi licentia.

Hactenus de dogmatismo.

§. 2.

Commendat se empirismus purus consequentia argumentationis et constanti caussarum naturalium exploratione, quae perpetuum experientiae progressum promittit.

In ratione argumentandi, qua dogmatismus vtitur, μεταβασις cernitur εις αλλο γενος, nec princi- pii

pii conseruatur constantia. Ab empirica enim phaenomenorum in hoc vniuerso deriuatione incipiens defertur ad principia intelligibilia, aut saltem talia, quae quamquam ad mundum sensibilem pertinere affirmantur, in regressu tamen empirico numquam exhiberi possunt, sed ab intellectu supponuntur. Altera vero pars, quam *empirismum purum* diximus, eodem vtitur semper principio in explicandis phaenomenis ipsisque problematibus cosmologicis soluendis, constantique omnia experientiae filo percurrens transgressum in alteram partem non permittit. Quamquam autem inuidiam sibi odiumque excitat, dum quae fulcra sunt ethices religionisque subtrahere videtur, tamen rationi *theoretice* spectanti quo sese commendat habet. Nam dum ordinem hunc naturalem, quem experientia sistit, numquam relinquendum esse censet, nec in ideis subsistit transscendentalibus, quorum obiecta vltra omnem experientiam sita cognosci nequeunt, strenuitatem excitat in exploranda rerum natura, dumque a nulla parte clausum atque finitum ostendit experientiae campum, spem facit infiniti in cognitione progressus, qui eo securior nobis certiorque promittitur, quo minus secundum empirismum a legibus cognoscendi intellectualibus, quibus sensibile semper obiectum correspondere debet, recedere permittimur.

In eo vero peccatur inexcusabiliter a parte empiristarum, quod plerumque id, quod ambitum excedit cognitionis intuitiuae, quippe vnicae, quae hominum generi permissa est, non vti deceret, in medio relinquunt, sed renuunt atque abnegant penitus, atque de eo, quod *sciri* non posse iure contendunt, supponere aliquid atque augurari vetant. Immoderati enim hoc est arrogantisque consilii, repugnatque genuino empirismi principio, quo ad explicanda quidem naturae phaenomena intelligibilia in auxilium vocare prin-

ci-

çipia vetamur, respectu autem morali, quid statuendum credendumque sit haud ambigitur. Fauore vulgi penitus destitutus est empirismus, et quidem duplicem ob caussam. Primum quia metuunt fundamentis disciplinarum practicarum, ne eo introducto labefactentur et corruant; deinde quia fatigantur regressu ascendenti a conditionato ad conditiones; in quo requies firmumque, in quo pedem figas, solum non datur, commodiusque progressus dogmatismi a summo principio ad caussas secundarias instituitur.

*

* *

Haec sunt quae in fauorem vtriusque partis allegari a nobis debere censuimus. Quum vero eius generis haec sit discordia, quam indifferentes spectare non possimus, quoniam de ratione penitus foret desperandum, si ineuitabiliter nos in repugnantia sibi decreta abriperet, nec nodi soluendi vnquam possibilitas daretur; propterea maximi sane est momenti, vt in verum controuersiae statum summa cum cura atque religione inquirentes, quaenam caussa erroris lateat, si possumus, in lucem proferamus.

Sectionis Quartae
APOTOME PRIMA.

De impossibilitate solutionis problematum cosmologicorum dogmaticae.

§. 1.

Dogmaticam seu positiuam eam appellamus solutionem, quae vel thesin affirmaret antithesin infringendo, vel errore in thesi demonstrato antithesin stabiliret.

V

Vt dogmatice aliquid de possibilitate nedum de existentia obiecti cuiusdam statuere liceat, ipsum hoc obiectum vt dari in intuitione empirica et secundum leges experientiae fundamentales cognosci possit, requiritur. Si autem obiectum, de quo agitur, transscendens est et mere noumenon, de hoc affirmatiue et vltimatim iudicari debet, nihil circa ipsum vnquam cognosci posse. Problematicum enim est eritque semper, quoniam per nullum praedicamentorum realiter cogitatur, quum obiectiua horum realitas, vti supra monstratum est, haud vltra obiecta in synthesi empirica occurrentia valeat. Hanc notionem firmiter tenentes, facile, quorsum fiat, vt de obiectis idearum transscendentalium statuere nihil possimus, intelligetur.

§. 2.

Dogmatica controuersiae cosmologicae solutio est impossibilis, quoniam in ipsa non de obiecto aliquo experientiae, quod dabile sint in regressu empirico, agitur; decipimurque, dum in ideis cosmologicis obiectum supponimus sensibile, litemque in experientiae aream transferimus, quasi de obiecto certetur vere empirico, quod tamen quum *in synthesi empirica numquam possit occurrere, mere est noumenon.* —

Si in tota hac controuersia de obiecto experientiae certaretur, punctumque litis in experientia male tantum intellecta versaretur, spes foret et possibilitas eiusdem decisione dogmatica aliquando terminandae. Verum haec nobis species illudit, vt ideis transscendentalibus obiectum in experientia congruum dari oportere supponamus, quum hoc tamen in synthesi empirica exhiberi absolute nequeat. Thesis enim aeque ac antithesis ideam proponunt, qualem impossibile est,

vt experientia attingat. Ponamus enim, mundi esse exordium, esse limites in spatio, tamen ante hoc exordium tempus, pone limites spatium ponendum est. Nec igitur exordium mundi nec terminum eius experiri licet; haec enim extrema quantumuis remotissima ponas, tamen vlterius aliquod cogitandum est necessarie. Pari autem modo nec tempus nec spatium infinitum in experientia potest inueniri. Quaeuis substantia, vt quae in spatio posita sit, e partibus constat rursus in spatio exhibitis, ergo ipsis compositis; quare, quam thesis, praetexit partem simplicem experientia nulla poterit sistere. At nec totalitas infinitae diuisionis, qualem antithesis postulat, obiectum poterit esse experientiae.

Quodcunque fit, caussam habet, cuius actus caussalis in caussa altiori fundatus esse debet. Quare quaeuis caussa praecedentem supponit caussam: fieri igitur nequit, vt empirica synthesis vnquam caussam nobis aliquam sistat primariam non caussatam, caussaque libera vt in experientiam incurrat vnquam, est impossibile. Pari autem impossibilitate experientiae laborat ea, quam antithesis vrget, totalitas seriei infinitae caussarum inter se connexarum; quae enim in infinitum protendit series, experientia vt comprehendatur fieri nequit. Pari modo quum *omnis* exiltentia contingens sit et conditionata, ea quae ad explicandam hanc contingentiam assumitur summa entis a se existentia ob id ipsum in experientia sisti non potest; nec vero infinitam contingentis existentiae seriem, qualis in antithesi supponitur, experientia capit.

Ex quibus omnibus emergit id, quod in paragraphi titulo posuimus, scilicet ideis transscendentalibus nullum correspondere obiectum experientiae nosque de hoc obiecto quasi empirico et ad mundum sensibilem pertinente certantes, de conceptu noumen-

dis

disceptare, qui, quum ipsi correspondens intuitio non detur, problematicus est, solutionemque dogmaticam non permittit. Haec autem nostra expositio, vt si quid adhuc desideretur lucis, accipiat, eiusdem veritas ex oppositae, quae dogmaticam solutionem problematum cosmologicorum statuit, sententiae falsitate probari poterit. Solent autem inprimis mathematici, falsam esse propositionem aliquam demonstraturi, ea vti methodo, vt primum eandem hypothetice pro vera accipientes, consequentias inde deducant, quae si cum legibus cogitandi necessariis (e. g. principio contradictionis) conciliari nequeunt, inde iusta ad falsitatem hypotheseos fit conclusio. Hanc eorum methodum, quam apagogicam vocant, imitaturi, obiecta idearum transscendentalium in experientia data esse pro tempore supponemus, quaeque inde emergant considerabimus.

§. 3.

Confutatio assertionis dogmaticae per hypothesin.

Ponamus ex hypothesi, idearum transscendentalium obiecta contineri in experientia possibili. Si ideis transscendentalibus de absoluto obiecta empirica correspondent, haec vt obiecta notionibus intellectus, per quae ipsa cogitantur, adaequata sint necesse est. Sin autem absoluto isti, quod continetur in idea cosmologica, in quamnam partem, seu theseos seu antitheseos, illud accipiatur, nulla omnino congrua inuenitur aut adaequata intellectus notio, inde efficitur, esse hoc absolutum ens imaginationis, nec ideam realiter posse cogitari: si enim obiectiui aliquid ipsi in ipsa comprehenderetur, hoc notionibus intellectus, per quae obiecta cogitantur, necessarie deberet congruere. Quare si absolutum vtriusque assertionis tam theticae quam antitheticae non cogitari posse per conceptum in-

intellectus, sed ita comparatum esse inueniemus, vt aut conceptu maius ipsum excedat, aut minus conceptu ipsum non expleat, iure colligimus, hoc absolutum vanum esse, ideamque significatu obiectiuo destitui. Quare iam nunc minor syllogismi probanda est.

Examinando igitur et thesin et antithesin absolutum, quod cogitatur in vtraque, nulli congruum esse conceptui inueniemus. Nam si dicitis: 1) vniuersi nullum est exordium in tempore, tunc conceptui vestro empirico, quo vnitas necessaria repraesentatur multipliciuin regressus empirici, *maius* est; infiniti enim temporis siue aeternitatis perfectam seriem conceptus empiricus non capit. Si e contrario asseritis, incepisse mundum in tempore, tunc hoc ipsum exordium, quam remotissime illud ponatis, semper tamen tempus supponit, ipsum praecedens, et regressus aperitur vlterior; ergo conceptu de quanto temporis absoluto *minus* est. Similis est ratio vtriusque assertionis circa mundi terminos in spatio. Si dicitis vniuersum esse infinitae extensionis nec inclusum limitibus vllis, tunc conceptu empirico, quo illud vt quantum repraesentatur in spatio datum, maius est, infinitum enim conceptus non capit; si contrarias partes tuendo, vniuersum limitibus includitis, tunc spatium quod ipsum circumdat, obiectis repletum esse debet, alias enim empirice non dari, nec per consequens synthesin phaenomenorum empiricam terminare posset. Omne enim absolutum, in quo synthesis empirica terminatur, ipsum vt empirice dari possit necesse est. Sic autem obiecta inferuntur extra mundum, vniuersum extra vniuersum, mundusque limitatus conceptu vestro minor ipsum non explet.

2) Quoduis obiectum in spatio (omne materiale) e partibus consistit rursus in spatio datis, ergo compositis. Totalitas autem diuisionis compositorum si in in-

infinita partium multitudine reponitur, compositum conceptu maius esse inuenictis, quoniam conceptus empiricus regressum infinitum in diuisione non capit. In simplici aliqua parte, in qua diuisio terminaretur, subsistentes, obiectum conceptu minus erit, haec enim ipsa pars vt data in spatio ipsa partes quasdam continere supponitur, id quod simplicitati absolutae repugnat.

3) Si contenditis omnia quae fiunt vnice secundum leges naturae fieri, tunc secundum legem eandem quaeuis caussa, a qua phaenomena mundi deducitis, vt ipsa aliquando incipiens alteram supponit praecedentem, et sic series a parte priori in infinitum protenditur. Huius autem totalitatem regressu omni empirico maiorem conceptus non capit.

Rursum caussa aliqua vltima libera, a qua series caussarum penderet, conceptum vestrum empiricum non explet, secundum ipsum enim omnia, quae fiunt, a caussa pendere debent. Caussa autem ea, quae supponitur, libera non semper est caussa, sed infit aliquando caussari, quare inexpleta superest quaestio, cur hoc, non alio tempore, cur non ante, aut post. Haec ipsa autem quaestio, *cur* ita, non aliter, altiorem caussam supponit, a qua resoluatur. Quare caussa libera conceptu de totalitate caussalitatis minor est.

4) *Denique* si possibilitatem existentiae contingentis ab infinita rerum contingentium serie deriuatis, empirico conceptu maius esse obiectum intelligitis. Absoluta autem et necessaria, in qua (in thesi) conditionem supremam contingentium collocatis, existentia empiricum de conditione phaenomenorum conceptum non explet. Secundum hunc enim ipsa haec conditio suprema a parte priori conditionata esse debet. *)

 Idea-

*) Si vero queratur a nobis, quare obiectum idearum transscendentalium conceptui empirico haud adaequatum esse dixerimus, nec

* * *

Idearum cofmologicarum obiectum in fynthefi empirica datum effe fupponitur; hanc autem fynthefin ex confequentiis, quas ex ipfa deriuauimus, concidere apparet. Si enim obiectum tale datum effet, realiter ipfum cogitari poffe feu notionibus, per quae cogitatur, adaequatum effe deberet. Vidimus autem obiectum ideae cofmologicae conceptu aut latius effe aut arctius, vnde nullum reale obiectum huic ideae correfpondere in fynthefi empirica, emergit. Exinde controuerfiam cofmologicam non ab experientia male interpretata deriuari confequitur, quare dogmatica eiusdem folutio impoffibilis eft. Controuerfiae igitur cauffam in idea ipfa repofita effe oportet, fonsque erroris in eo latere cenfendus eft, quod fpecie quadam ineuitabili rationis decipimur, fecundum quam idearum cofmologicarum obiectum vt datum in experientia confiderare adigimur, quum tamen nihil ipfi correfpondens in fynthefi empirica poffit exhiberi. Quum igitur controuerfiae cofmologicae fundamentum

nec potius ordine inuerfo obiecto idearum conceptum congruum dari negauerimus, omnem conceptum tali obiecto minorem maioremue effe demonftrando; habemus, quod fic interrogantibus refpondeatur. Conceptui cuiuis realitas non nifi a experientia poffibili conciliari poteft; hac fi deftitutus inueniretur conceptus, idea eft, veritate reali et relatione ad obiectum demonftrabili priuatus. Conceptus igitur empiricus pro norma nobis effe debebat, fecundum quam realitas idearum diiudicaretur, nec nifi per exploratam idearum cum ifto relationem an mera fint entia rationis, an vero obiectiui aliquid ipfis correfpondeat, explicari poterat. De eo enim, quod vnice cauffa alterius ponitur, dicimus, effe illud in relatione ad hoc alterum aut nimis magnum aut nimis paruum. Sic veftis in relatione ad hominem nimis parua effe dicitur, haud vero hominem ratione veftis fuae nimis longum effe dixeris.

tum non in obiecto experientiae male interpretato latere videamus, sed ea nos decipi specie appareat, qua communiter inducimur, vt ideis transscendentalibus obiectum supponamus in experientia, exinde in contrarias partes nos de obiecto quod nullum est disputantes abripi posse, ita vt prorsus aequali probabilitate de eiusmodi ente rationis aut asseratur idem aut negetur, comprehendimus. Quorsum autem eueniat, vt necessario quasi rationis errore ideis transscendentalibus eam tribuamus realitatem, circa quam disputantes in antinomiam istam inducimur, quaeque sit ista tam ineuitabilis species, quae nobis ita spectantibus illudit, inquirendum est; hac enim detecta omne cessabit certamen, et inueteratum metaphysicorum odium firmata tandem pace reconciliari poterit. Hanc autem speciem detegi litemque solutione critica posse componi, vnde spes nobis sit, iam nunc ostendendum est.

§. 4.

Antinomia rationis purae critice vt resolui possit necesse est; nec de tali solutione licet desperare. Quodcunque enim circa ideas rationis quaeritur, ex ipsa ratione, idearum sede, diiudicari vt possit oportet.

Critice dissoluitur controuersia cosmologica, quando non, sicut in dogmatica solutione, in alterutram partem deciditur, sed quinam communis vtramque partem error deceperit, ostenditur, ita vt neutra pars nec victa nec victrix abeat, sed certamine omisso, cuius nullum esse fundamentum reale intellexerint, inter se reconcilientur. Talem autem solutionem criticam fore possibilem, nec a caussa erroris exploranda nos excusari posse, quoniam de ipsa inuenienda desperandum sit, inde colligimus, quod hic, vti vidimus, non de obiecto agitur experientiae, sed de idea, quae quam-

quamuis vnice e ratione originem repetit, tamen realitatem sibi vindicat obiectiuam. Hoc quanam fiat fraude ex ipsa rationis natura eiusmodi ideas ex se proferentis, vt diiudicari possit necesse est.

A quaestione circa phaenomena explicanda saepius iure excusamur. Deesse enim nobis possunt data experientiae ad talem explicationem necessaria. At omnes quaestiones, quae non ad obiecta pertinent experientiae, sed ad doctrinas spectant, quae in ipsa ratione sedem fundamentumque habent, ex eadem decidi posse debent. Huc pertinent omnia problemata matheseos et ethices purae, quorum solutionem ab ipsa ratione necessarie dabilem iudicamus, quoniam harum scientiarum principia a ratione sola deriuantur. Eodem vero titulo controuersiae cosmologicae solutionem a ratione postulamus, quum haec ipsa controuersia circa ideam mere rationalem instituatur, et quare fiat vt absolutum *obiectiue* cogitandi necessitas quaedam nobis inhaereat, ex ipsa, quae absoluti ideam format, rationis natura explicari posse debet.

Sectionis Quartae
APOTOME SECUNDA.
De idealismo transscendentali, quatenus principium continet dialectices cosmologicae soluendae.

§. 1.

Aesthetica nos docuit transscendentalis, obiecta intuitionis, qualia in spatio ac tempore intuemur, esse phaenomena i. e. meras repraesentationes, quibus praeter existentiam in cogitatione nostra, in qua vel vt extensa vel vt series commutationum repraesentantur, nulla

com-

competit obiectiua realitas. Hanc vero doctrinam idealismum appellamus criticum, siue transscendentalem.

§. 2.

Idealismus transscendentalis neque a realismo et ab idealismo empirico siue materiali differt. (Conf. epilogus ad aestheticam transscendentalem obseruation. 3. nec non analytic. transscendent. Lib. II. Cap. II. Sect. IV. §. 1.)

Realismus res per se dum cognosci putat, quae merae sunt modificationes sensualitatis in substantias, repraesentationesque formis mere subiectiuis adstrictas in res ipsas conuertit. Idealismus materialis, hanc scyllam deuitans, in peiorem ista charybdin incidit, dum scilicet omnem obiectorum in spatio existentiam omnino negat, nec inter vanam speciem siue phantasma imaginationis et phaenomenon, cui transscendentale quamuis incognitum subest obiectum, distinguens, omnem cognitionem ad internum repraesentationum lusum reducit, quibus nullum externae experientiae fundamentum, nullam ab obiectis procedentem sensualitatis affectionem subesse censet. Nos autem sensualitati vt receptiuitati perceptionum correspondere statuimus obiectum transscendentale siue caussam phaenomenorum intelligibilem, quae quamuis incognita sit nobis, tamen in hoc argumento diiudicando maximi est momenti. Idealismus enim materialis omnem repraesentationum, quae vulgo pro obiectiuis habentur, caussam ac rationem in subiecto repraesentante (in imaginatione productiua) vnice collocat; nos vero idealismum professi transscendentalem, caussam quidem harum repraesentationum effectiuam extra nos in obiectis collocamus, quae sensus afficiunt; perhibemus-

que, quandò admota apperceptioni nostrae obiecto-rum repraesentatione status mentis commutatur, hu-iusce commutationis caussam non in imaginatione sed in affectione receptiuitatis impressionum passiua ponen-dam esse. Caussam vero repraesentationum formalem in mente sola repositam esse docemus. Quoniam enim obiecta repraesentando ipsa non in substantiam no-stram pertrahimus, et in nos quasi recipimus, inde efficitur, ea haud alio a nobis modo repraesentari pos-se, quam secundum eas repraesentationis condition[es] a priori, quae in mente nostra existunt originaliter sicuti v. c. nec bruta materies habitum figuramque al[i]am potest assumere praeter eam, ad quam in proty-po, cui infusa erat, informabatur. Id igitur quod no[s] secundum formales cognitionis nostrae conditiones r[e]-praesentamus obiectum, phaenomenon est, nec ni[si] in cogitatione nostra existit, at vt in hac cogitatio[ne] nostra existere possit, ad id ipsum affici receptiuitas r[e]-praesentationum debebat: huiusque affectionis caussa[m] obiecto transscendentali tribuimus, quod vero, sim[ul] ac ipsum cognoscere cupimus, in phaenomenon ab[it] necessarie. Hoc tamen phaenomenon, quamuis no[n] sit res per se, ab ente imaginationis maxime diffe[rt]. Nam vt detur phaenomenon, ad id intuitione empi[ri]ca per sensationem effecta opus est, quae non a nob[is] ipsis sed ab obiecto transscendentali vt vero ipsius co[r]relato proficiscitur. Sic autem empiricam phaen[o]menorum veritatem eorumque diuersitatem ab illusi[o]nibus *somniorum* apparitionumque vanis speciebus, [sa]tis asseruisse videmur. Haec vero de ideal[is]mo transscendentali doctrina, quid ad soluenda[m] antinomiam cosmologicam afferat, iam nunc vide[n]dum est.

§.

§. 3.

Quum experientia nihil nobis exhibeat praeter phaenomena, phaenomena autem, quae in ſpatio exhibentur ac tempore, quum non ſint res per ſe (quoniam ſpatium ipſum ac tempus non exiſtunt ſubſtantialiter ſed formae tantum ſunt intuitionis in mente humana) inde efficitur, quaecunque cogitantur obiecta experientiae nuſquam niſi in hac ipſa experientia exiſtere, nec extra ipſam vt data per ſe, poſſe conſiderari. Sunt igitur, quatenus dantur in experientia, aut in ipſius progreſſu dari debere ſupponuntur.

Ad cognitionem homini nihil datum permiſſumque eſt, praeter perceptionem empiricumque ab vna perceptione ad alteram progreſſum. Reale igitur id dicimus, quod percipitur, aut cum perceptione, cuius mihi conſcius ſum, ſecundum leges progreſſus empirici ita connexum eſſe conſtat, vt ſine ipſo talis perceptio cogitari nequeat omnino. Sin autem aliquid realè dicimus, cuius nondum exhibitum eſt phaenomenon, hoc aut omni ſignificatu deſtitutum eſt omnino, aut id tantum innuitur, in ſyntheſi progreſſiua experientiae eam, de qua agitur, perceptionem neceſſarie nobis exhiberi debere. Parilis eſt ratio poſſibilitas. Lunam habitari poſſibile eſt; concedimus, ſed ita iudicantes, hoc tantum volumus nobis, fieri poſſe vt in progreſſu experientiae in perceptionem huic enti cogitationis correſpondentem incidamus aliquando.

Exiſtere igitur aliquod obiectum perhibentes, datam eſſe nobis perceptionem cogitationi de ipſo congruam contendimus. Poteſt quidem dici, eſſe aliquid, nulla ſenſuum aut experientiae poſſibilis ratione habita, at hoc tantum in rem per ſe cadit, quae incognita nobis eſt. De obiecto autem loquentes praedica-

dicabili id habemus in mente, quod cognitioni nostrae datum est, phaenomenon, in spatio ac tempore determinabile. Hoc, nisi in experientia (contextu perceptionum secundum leges sensualitatis ac intellectus comparato) datum sit, nullum est, quod enim tantum in nobis i. e. in repraesentatione nostra existit, id vbi non datur in perceptione, nullibi inuenitur et in nihilum recidit.

§. 4.

Ratio in antinomiam cosmologicam inducitur, dum de totalitate conditionum, ad quas a conditionato regressus instituitur, quasi de obiecto experientiae possibilis in contrarias partes disputat; eiusmodi autem totalitas quum in synthesi regressiua nusquam possit exhiberi; sensim alteratur materia litis, ita vt de eo quod datum est in experientia disserere incipientes in noumeno siue re per se existenti, de quo quaestio tamen nulla fuerat, desinatur.

De obiectis quibusuis sermonem instituentes, de eo quod aut datum est aut dabile in experientia loquimur. Sic de facto aliquo loquentes in tempore quamuis remotissimo, aut de obiecto quodam in spatio vel maxime distanti ab eo, in quo nosmet ipsos percipimus, loco, aut caussam cogitantes proxima longe priorem, siue inter quam et eum, a quo incipimus, effectum longa intercedit caussarum intermediarum series, aut denique existentiam conditionalem aliquam ponentes, ab existentia conditionata, cuius explicandae gratia assumitur, quantumuis remotam; — hisce sic cogitatis omnibus correspondere obiecta experientiae, ad quae constanti syntheseos regressiuae filo contextum omnis experientiae percurrentibus nobis peruenire aliquando liceat, supponimus. Idem fit, quando de

toto

toto absoluto temporis praeteriti, de spatio mundi infinito, de caussarum serie completa, denique de totalitate conditionum existentiae contingentis comminiscimur. Datam supponimus eiusmodi totalitatem in experientia possibili, quam tamen synthesis regressiua explere omnino nequit; sic autem supponentes id, quod non est experientiae obiectum, vt tale nihilominus consideramus, et latet plerumque rationem, se dum obiectum empiricum tractare putat re vera de noumeno agere. Quum autem eius, quod nusquam nisi in experientia existit, summa conditio tanquam in eadem experientia data consideretur, inde colligimus, nos de conditionibus obiectorum sensibilium intelligibilibus, quasi sensibiles sint, certantes, re vera de eo, quod sibi contradicit, ideoque nullum est, ambigere; id quod sectione insequenti vlterius persequendo demonstrare conabimur.

Sectionis Quartae
APOTOME TERTIA.

Antinomiae cosmologicae solutio critica.

§. 1.

Ratiocinium dialecticum, cui argumenta oppositarum partium supra exposita pariter innituntur, hoc est: vbi conditionatum, ibi etiam series completa (totalitas) *conditionum eiusdem simul data est. Atqui obiecta conditionata in mundo sensibili data sunt. Ergo seriem completam* (totalitatem) *conditionum, a quibus pendent, simul datam esse oportet.*

In quo ratiocinio si nullibi peccatum est, iure totalitatem istam, quam quisque certantium vrget, postu-

postulari emergit, et vnam alteramue opinionem amplecti necesse est. Sed propius iam videbimus.

Primum omnium propositio maior extra omnem dubitationis aleam posita est, modo ne vltra ipsius terminos extendatur, nec latius applicetur, quam iste, quo valet, sensus patitur. Vbi enim in ipso rei alicuius conceptu conditio ipsi inhaerens iam cogitatur, ibi haec vt adsit conditio, si quod ab ipsa pendet, conditionatum datum est, *analytice* cogitatur, nec ambigi potest.

Deinde, si quae cogitantur conditionata, eorumque conditiones, res sunt per se, aut obiecta ab omni nostra intuitione et repraesentatione independenter existentia; haud dubium est, quin si aliquid datum est conditionatum, etiam perfecta series omnium, a quibus pendet, conditionum, idque, in quo haec claudatur, absolutum simul datum sit, imo per ipsius conditionati, quod tantum per hunc seriem possibile erat, existentiam vere supponatur.

Rerum enim per se synthesis fit per intellectum, qui hasce res diiudicat per conceptus, nec vtrum aut quomodo earum nobis detur cognitio respicit.

In propositione igitur maiori conditionatum sensu transscendentali notionis purae accipitur de rebus, quatenus ab intellectu, tanquam per se, ab omni intuitionis conditione libere existentes, cogitantur; nec est qui hoc sensu acceptam propositionem maiorem possit negare. Logicum enim in ipsa applicatur illud postulatum, quo ad quamuis consequentiam datam completas, e quibus prodeat, praemissas requirimus. At in propositione minori longe alio videmus conditionatum accipi significatu. Agitur enim de mundo sensibili, nec conditionatum hic sensu puro valet; sed sensu ad mundum phaenomenon restricto pro obiecto

expe-

experientiae accipitur, quod vt tale non per se existit, sed eatenus tantum realiter cogitatur, quatenus in perceptionum nostrarum contextu (experientia) continetur. (conf. Apotom. 2. §. 3.)

§. 2.

Ratio in antinomia cosmologica decipitur, dum ideam totalitatis conditionum ad mundum applicat, quasi esset mundus aliquid per se existens, quum tamen mundus, de quo agitur, sensibilis, complexus tantum sit phaenomenorum, quae tanquam obiecta sensuum nusquam nisi in repraesentatione nostra existunt; quare ipsius nihil datum esse potest praeter id quod vere percipitur.

Vidimus iam duplici eoque diuersissimo significatu accipi conditionatum; in maiori de conditionato agitur sine vlla cognitionis eiusdem restrictione, quasi de dato per se quod cogitatur per intellectum; in minori vero propositione conditionatum de eo praedicatur, quod empirice datum est, agiturque de conditionato phaenomeno. Hoc autem respectu totalitas conditionum nulla postulari potest vnquam. Eorum enim, quae vt phaenomena nusquam nisi in contextu experientiae possunt consistere, et praeter eam omni prorsus realitate carent, nihil vt datum supponere licet, nisi quod vere exhibitum sit in experientia, siue id, ad quod per synthesin empiricam peruenire licet. Quod enim nusquam, nisi in synthesi empirica potest existere, nullum est, simulac in synthesin empiricam illud non posse incidere constat. Empirica autem conditionati cum serie conditionum synthesis necessarie est successiua et ad conditionem temporis restricta. Successiua autem synthesis in tempore vsque ad totalitatem absolutam conditionum continuari nequit: infini-

infinitus enim a conditionato patet regressus, quem quum in tempore absoluere non possis, inde efficitur, totalitatem conditionum phaenomeni, quum in regressu successiuo non detur, nullibi existere sed cogitari perperam. Quaeruntur enim termini mundi sensibilis, catenae rerum sensibilium summa aliqua membra. Mundus autem sensibilis quum nusquam nisi in ipso regressu successiuo experientiae existat, inde patet, nihil ad ipsum posse referri nisi quod in hoc regressu vere contineatur. Totalitas autem seriei quum in ipso non possit contineri; ens est imaginationis, nec realiter cogitari potest. Error igitur in eo latet, quod id, quod de synthesi conditionata per se, per intellectum absque vlla temporis aut successionis restrictione cogitata, (in qua vna cum conditionato totalitatem conditionum *simul* adesse oportet,) vere contenditur, ad conditionatum phaenomenon, cuius synthesis omnis in regressu successiuo continetur, perperam adhibemus. Pari igitur, quo psychologia rationalis, hoc quoque argumentum cosmologicum sophismate peccat figurae dictionis, duplici enim sensu conditionatum accipitur, et perperam quae de re per se cogitata abstrahendo ab omni intuitionis forma valerent, ad conditionatum mundi sensibilis refertur, quod in tantum vnice conditionatum est, quatenus eius conditiones (mundi phaenomena) in regressu experientiae successiuo possunt exhiberi. Quum tamen ea potissimum illusione inducti in vnam alteramue opinionum in antinomia transscendentali expositarum iurandum esse censeamus, quoniam haec ipsius placita pro contradictorie oppositis habemus, quorum vno sublato alterum vere ponatur, et vice versa; propterea, vt omnis plane detegatur species transscendentalis, et omnem rationis antinomiam fundamento reali destitutam esse appareat, de hoc quoque errore paucis superest vt disseramus.

§. 3.

§. 3.

Diſtinguendum eſt inter duarum propoſitionum oppoſitionem analyticam et dialecticam. Oppoſitio dialectica fit per diſparata, et in hac tertium datur, quo poſito ambo diſparata tolluntur; analytica eſt vere repugnantium oppoſitio, quae nihil tertium relinquit, ſed arbitrium tantum permittit eligendi duorum vnum, quo poſito alterum neceſſarie tollitur. In antinomia coſmologica oppoſitio theſeos contra antitheſin dialectica eſt diſparatorum, non analytica repugnantium.

Florem qui ſuaue olere dicit, non analytice oppoſitum aſſerit eius, qui eundem ingratum olere perhibuerit; tertium enim datur, poteſt flos omnino non olere, ſeu nullum omnino odorem effundere. Opponitur igitur vna alteri ſententia per diſparata, quae ambo falſa eſſe poſſunt. Parilem autem contendimus eſſe rationem antitheticeſ coſmologicae, in qua ſi vnam alteramque ſententiam tantum per diſparata oppoſitam et vtramque aeque falſam eſſe probauerimus, tunc ceſſabit eorum error, qui dum e diametro theſin antitheſi repugnare vrgent, vtramque tolli poſſe negant, vna ſublata alteram neceſſarie ſtatui perhibentes.

At, inquis, quidnam directius ſibi oppoſitum cogitari poteſt, quam eſſe mundum finitum vel infinitum eundem? Num quae manifeſtior hac contradictio inueniri poteſt? Concedimus, quando de mundo vt exiſtenti per ſe ſermo inſtituitur. Nam ſi vniuerſum ponis extra omnem, quae in te ſolo eſt, repraeſentationum ſeriem regreſſiuam per ſe conſiſtens, tunc alterutrum in ipſum neceſſarie cadit praedicatum. At ſi hac ſpecie transſcendentali ſublata de mundo ſenſibili, qui complexus eſt phaenomenorum, quemque ſolum homini cognoſcere fas eſt, agimus, analytica illa

oppositio in dialecticam et illusoriam conuertitur. Quoniam enim hic mundus sensibilis nusquam existit per se, sed in serie tantum contextuque legitimo perceptionum mearum (i. e. experientia) datus est; inde efficitur, mundum hunc sensibilem in tantum patere, quousque experientia pertinet. Huius autem quum synthesis successiua nusquam terminetur, inde colligimus, mundum sensibilem nec esse totum finitum nec infinitum. Totalitas enim in ipsum non cadit omnino; in empirico enim regressu, qui semper conditionatus est, vnice consistit, nec extra hunc est aliquid. Non igitur est mundus absolutum totum, nec igitur de ipso vt tali magnitudo vel finita vel infinita potest praedicari.

Hoc autem, quod sic de idea cosmologica prima circa totalitatem absolutam quanti in phaenomeno definiuimus, de ceteris omnibus pariter statuendum est. Eandem igitur ob caussam multitudinem partium phaenomeni dati nec finitam esse nec infinitam asserimus. Quamcunque enim sententiam adoptaueris, semper phaenomenon vt totum per se datum repraesentatur. Phaenomenon autem quum nihil sit per se, partes eius in tantum datae sunt, quantum eius in regressu repraesentationis decomponere licet. Hic autem regressus quum semper conditionatus sit, ita vt quaeuis pars alteram supponat, inde efficitur totalitatem partium cogitari non posse, igitur nec finita nec infinita sed *nulla* est totalitas partium. Partes enim non adsunt per se, sed dantur vnice in regressu, qui totalitatem explere nequit. Pari modo de serie caussarum ascendenti, nec non de catena existentiarum contingentium vsque ad necessariam primam iudicandum est. Nec illa nec haec series quoad totalitatem vt finita vel infinita debet considerari; idea enim totalitatis in ipsas non cadit, quoniam non series rerum per se et extra regressum existens, sed series repraesentationum subordinatarum cogitatur,

quae

quae extra regressum dynamicum non data est. Hoc autem regressu, quum necessarie conditionatus sit, numquam absoluta expleri potest totalitas. Sic igitur demonstrando, rationis cum semetipsa controuersiam speciei, quae nobis illudit, transscendentali inniti apparet, et exinde oriri, quod ideam totalitatis absolutae, (quae tantum in rebus per se necessarie cogitatur) in phaenomena transferimus, quae tamen vnice in repraesentatione, et si ad series eorum spectamus in regressu successiuo repraesentationum dantur, at si abstrahimus ab isto nusquam data sunt. Hoc autem de antinomia cosmologica argumentum, quod ab idealitate phaenomenorum transscendentali, qualem aesthetica docuit nostra, mirum est quantum lucis accipiebat, rursus ad adstruendam hanc ipsam phaenomenorum idealitatem aptissimum est, quemadmodum in sequenti paragrapho monstrabimus.

§. 4.

Idealitas phaenomenorum transscendentalis ex fundamento antinomiae cosmologicae dilemmate hoc potest probari: si mundus est totum per se existens, necesse est vt aut finitus sit, aut infinitus; atqui nec finitus est, nec infinitus, (Conf. demonstrationes ad thesin et antithesin idearum cosmologicarum exhibitae.)

Ergo nec mundus (complexus phaenomenorum) *totum esse potest per se existens.*

Ex quo dilemmate manifeste prodit, phaenomena extra repraesentationes nostras nulla esse, quod idem est ac id, quod idealitate ipsorum transscendentali significare voluimus.

ANTINOMIAE RATIONIS PURAE

Sectio Quinta.

(Cf. Cap. II. Sect. I. §. 4.)

De principio totalitatis ad progressum experientiae rite instituendum normali, atque de idearum cosmologicarum per ipsum determinata significatione.

APOTOME PRIMA.

De principio totalitatis, quatenus vi tantum normali ad progressum experientiae rite instituendum valet.

Introitus.

Ad calcem primae, quam commentatio nostra circa antinomiam cosmologicam complectitur, sectionis, (eiusd. §. 4ta) quadripartita nos transactione rem omnem esse confecturos polliciti sumus. Sistendae enim primum nobis erant ideae cosmologicae vinculo inter se systematico connexae; deinde rationis circa ipsas controuersia erat exponenda; indagandae tunc huius discordiae caussae et dirimenda depugnantium certamina tertias tractatus nostri partes explebant; quarto posthac loco quidnam vana, quae philosophantibus illudebat, specie remota, de omni hoc argumento vere sentiendum, seu quaenam vis ideis cosmologicis rite tribuenda sit, nos velle indicare promisimus. Tribus igitur partibus prioribus absolutis vltima iam nobis restat cura, scilicet vt quonam sensu valeant ideae cosmologicae, et quem in vsum comparatae sint, quum dogmatica ipsis vis tribui nequeat, expediamus. Quum vero omnes ideae cosmologicae communi innitantur principio totalitatis, inde quisnam sit huius principii — quoad vsum dogmaticum dialectici et vani — legitima significatio, quinam con-

stans

stans sibi et doctrinalis vsus, ante omnia videndum erit, vt deinde ipsius ad ideas cosmologicas iusta fieri possit applicatio.

§. 1.

Principium rationis de totalitate conditionum phaenomeni in intuitione dati norma est experientiae rite persequendae, qua instituere continuum in serie conditionum phaenomeni regressum, nec in vllo vnquam vltimo et absoluto subsistere iubemur.

Quamquam sectione praecedenti edocti sciamus, principii cosmologici non eam esse vim, vt maximum aliquod seu integer complexus conditionum mundi sensibilis, quasi per se existentis, in ipso detur, tamen propterea omnino nullum eiusdem vsum esse haud opinandum est. Licet enim vi axiomatis ad totalitatem *in obiecto* ipso cogitandam non valeat, tamen problema est intellectui propositum ad repraesentationum seriem subiectiuam continuo a conditionato ad conditiones regressu persequendam.

Quumque idem pro constitutiuo rationis principio haberi nequeat, quoniam absoluta conditionum totalitas, vt data per se, (qualis in principio constitutiuo requiritur,) in obiecto phaenomeno haud absque contradictione cogitari potest; tamen normalem sibi postulat vim, qua extendere experientiam quousque maxime possimus, nec in vllo termino empirico quasi absoluto et vltimo subsistere nos iubet. Praecipit igitur ista rationis norma, quid nobis in regressu faciendum sit: quanto autem rectius hoc, quam si, vti in argumentis cosmologicis fieri vidimus, totalitatem in obiecto quasi per se et ante regressum existenti anticiparemus, quum tamen obiectum per se et extra regressum nullum sit nec realiter cogitetur!

§. 2.

Synthesis seriei in regressu empirico aut in infinitum patet aut in indefinitum.

Mathematici progressum statuunt v. c. aut numerorum aut lineae rectae etc. *in infinitum;* philosophi progressum sensu restrictiori tantum *in indefinitum* institui posse aiunt. Iam igitur quantum diuersae hae expressiones distent inter se, et quonam sensu ad regressum, quem norma praescribit rationis purae, applicari possint, videndum est. Si per regressum in infinitum id tantum volumus significari, posse regressum a conditionato ad conditionem *perpetuum*, in nullo extremo desinentem institui, tunc eiusmodi regressum *secundum omnes ideas cosmologicas* institui posse patet. Eodem significatu vere dici potest, lineam rectam in infinitum posse produci, quamuis proprie a geometra id tantum postuletur, vt quousque libet, ergo in indefinitum linea recta producatur. Pari modo, si hoc sensu progressum in infinitum accipimus, series progeniei infinita a parentibus quibuscunque ascendens potest cogitari; nihil enim impedit quin in perpetuum progrediamur, nec caussa subest, cur in aliquo vltimo parte subsistamus.

At quamuis synthesis empirica secundum omnes ideas cosmologicas in infinitum possit continuari, tamen eiusdem haud eandem semper esse rationem patet. Aut enim totum in intuitione empirica datum est, (quale in intuitione materiae intra limites certos inclusae, siue corporis) ita vt synthesi regressiuae a conditionato ad conditiones (a parte ad partes) semper praesens adsit experientia, aut membrum solummodo seriei datum est, a quo regressus quidem perpetuus secundum leges empiricas patet, cuius vero membra superiora non simul in intuitione data sunt; ita vt perceptio non semper synthesin aequare possit.

Quod

Quod vt exemplo illustretur, ponamus regressum in serie generationum. Par nobis parentum in intuitione empirica exhibetur; licet igitur ab hoc ad conditiones, sub quibus illud vnice vt possibile potest cogitari, ad auorum scilicet et proauorum genera regredi, nihilque impedit, quin perpetua synthesi talis continuetur regressus; nusquam enim caussa datur subsistendi. At eiusmodi seriei membra non simul cum eo, a quo incipimus, membro data sunt in intuitione, nec superiora eiusdem membra experientia attingit; sed supponuntur secundum leges experientiae, non percipiuntur. Regressum a parte ad partes in decompositione totius in intuitione empirica exhibiti, quem quousque instituitur, semper aequat praesens experientia, regressum vocamus in *infinitum*: cum vero, qui a membro seriei ad membra non simul data instituitur, atque vltra praesentem tendit perceptionem, regressum vocamus in *indefinitum*. Vtriusque membra secundum leges intuitionis empiricae cogitantur; prioris membra vt data simul, alterius vt dabilia tantum et aliquando data in intuitione cogitantur. Neuter regressus finiri potest vnquam, at illum, qui in infinitum instituitur, semper comitatur vera perceptio; hunc indefinitum nulla exaequare valet experientia. Quumque in isto semper plura *inuenire* membra necesse fit, in hoc tantum vlteriora *quaerere* oportet, quoniam absoluti in experientia termini non dantur. Haec sic praemissa, quid ad recte determinandum idearum cosmologicarum sensum valeant, iam videbimus.

APOTOME SECUNDA.

Definitur, quonam sensu ideae mathematico-cosmologicae secundum normale rationis principium accipiendae sunt.

I.

Ostenditur legitima significatio ideae cosmologicae de totalitate compositionis phaenomenorum ad vniuersum constituendum, secundum normale rationis principium intellectae.

§. 1.

Iubet nos normale principium rationis, circa mundi quantum tam extensiuum in spatio quam protensiuum in tempore inquirentes, synthesin instituere regressiuam perpetuam a conditionato ad conditiones, nec in vllo aut limite aut exordio vt vltimo subsistere, quasi totalitatem approximando quaerentes, quamuis haec cogitari nequeat.

Cur tam in hac, quam in ceteris circa cosmologiam rationalem quaestionibus, principium totalitatis non pro constitutiuo, sed tantum pro regulatiuo siue normali accipi possit, ea ex supra dictis aperte patet ratio, quod in regressu empirico, qualem in mundo sensibili instituere debemus, nullam termini cuiusdam absoluti aut conditionis non-conditionatae, qualem idea cosmologica postulat, experientiam sperare licet. Vltimum enim qui terminum mundi sensibilis in experientia posse perhibet, idem facit, ac si nihilum aut vacuum, in quo vnice circumscribi potest mundus sensibilis, percipi aut repraesentari posse contenderet, quod contradictionem inuoluit.

Ea igitur vnice restat legitima principii totalitatis significatio, secundum quam norma est experientiae possibi-

possibilis in perpetuum continuandae. Quando enim id constat atque compertum est, quousque regressum extendamus, nos numquam ad absolutam peruenire totalitatem, sed ad talem, cui inhaerens dependentiae nota altiorem permittit inquisitionem, in hoc norma rationis implicite continetur, nos semper altiorem hac conditionem persequendo exquirere, nec in vlla tanquam vltima subsistere debere. Superest vt exploremus, an hic quem idea cosmologica prima nos instituere iubet regressus, in infinitum vel in indefinitum patere cogitandus sit?

§. 2.

Mundi nec initium est in tempore, nec limitibus includitur spatii, sed in regressu vnice existit mundus; hic autem regressus in indefinitum continuari censendus est.

Mundum siue seriem omnium commutationum succedendo praeteritarum et complexum omnium in spatio simul existentium cogitando, non vt totum cogitamus in intuitione exhibitum, cuius partes decomponendo in infinitum persequi liceret, sed e possibili a conditionato ad conditionum catenam regressu talis de vniuerso conceptus per aggregationem formatur. Haud igitur, veluti si totum datum esset; quod repraesentatio, partes partibus addens, permeare possit, a magnitudine vniuersi, quam late pateat regressus in ipso, licet concludere; sed e contrario vniuersi magnitudo per longitudinem regressus vnice potest determinari. In tantum enim patere vniuersum fatendum est, quantum extendere licet regressum in synthesi conditionatorum secundum leges empiricas. Hae autem regressus leges nos ab vnoquoque seriei membro ad altius et remotius empirice progredi iubent. Magnitudo igitur siue quantum mundi per hanc normam minime determinatur; totum enim

 phaeno-

phaenomenorum non datum est, quare nec regressum in serie phaenomenorum *infinitum* licet dicere. Nam si asseris, regressum in serie phaenomenorum in infinitum patere, iam ea, quae nondum data sunt in regressu, membra *anticipas*, dumque positiue pronuntias, multitudinem membrorum tantam esse, quantam numquam empirica synthesis persequendo attingere possit, iam magnitudinem definis mundi quasi ante regressum dati, quum tamen ipse hic mundus nihil sit nisi series phaenomenorum, quatenus haec in regressu exhibentur. Patet igitur, a conditionato phaenomeni ad conditiones regressum esse, non infinitum, quasi in toto ante regressum dato, sed *indefinitum*, qui nullam obiecti magnitudinem definiens, ab eo, quod datum est in intuitione, seriem inchoat conditionum, quarum nulla, quippe semper ipsa conditionata, vltima esse cogitatur, sed altiorem vsque permittit inquisitionem, sicuti supra in catena generationum monstrauimus. Experientia autem veraque perceptio talem regressum, quamuis cogitetur secundum leges empiricas nexus caussalis necessarie, haud assequitur, et quamuis omnia seriei membra vt empirica (phaenomena) et aliquando in experientia data repraesentemus, tamen in intuitione praesenti exhiberi nequeunt; quoniam a praesenti perceptione ad id, quod non simul datum est at praecessisse in experientia supponitur, concludimus; hanc autem distinctiuam progressus in indefinitum notam esse, supra ostendimus. (Conf. Apotom. 1. §. 2.) Iustis igitur notionibus de natura mundi sensibilis, vt non per se existentis nec totum aliquod rerum persistentium a se exhibentis, argumentum superstruentes, quaestiones de finibus mundi ita resoluimus.

Mundi nec exordium est in tempore, nec terminus in spatio. Si enim contrarium assumimus, necesse est

ſe eſt vt et tempore et ſpatio vacuo circumſcriptus ſit. Quoad phaenomenon autem, mundus eatenus tantum exiſtit, quatenus in experientia dari ſiue percipi poteſt. Sin igitur mundum ſenſibilem limitibus circumſcriptum ponimus, vacuum et temporis et ſpatii vt percipi poſſit oportet. Vacui autem nulla poſſibilis eſt perceptio. Ex quo colligitur, abſolutos mundi terminos nullos empirice dari, quod autem mundi ſenſibilis, quem ſolum cognoſcimus, in experientia non datur, nihil eſt, phaenomenon enim in tantum eſt aliquid, quantum experiri illud licet; quare mundi ſenſibilis termini quum experientia poſſibili non contineantur, nulli ſunt.

Eadem vero, quae mundum finitum cogitare vetat, iuſta de ipſo vt ſenſibili notio, mundum vt totum infinitum, in quo permetiendo ſyntheſis non determinaretur, repraeſentare non ſinit. Sic enim ante regreſſum vt per ſe exiſtens poneretur, quum tamen extra regreſſum nihil ſit omnino, vti ſatis iam indicauimus. Patet igitur mundi ſenſibilis nullum cogitari poſſe quantum abſolutum, nec infinitum, (quare etiam collectiva totius mundi intuitio impoſſibilis eſt;) ſed ipſius magnitudinem per regreſſum empiricum vnice poſſe aeſtimari. Hic autem regreſſus patet in indefinitum, i. e. a quouis conditionato ad conditiones vsque altiores procedere iubemus, nullibi ſubſiſtentes; quaecunque enim attingimus, iterum ſunt conditionata. Sic autem determinatum rationis principium, in normam abit experientiae rite inſtituendae, quae quid valeat ad intellectus vſum quantum fieri poteſt maxime extendendum, omnisque humanae ſcientiae campum egregie amplificandum quis eſt, qui non intelligat?

II. Oſten-

II.

Ostenditur legitima significatio ideae cosmologicae de diuisione totius in intuitione dati.

§. 8.

Regressus in subdiuisione seu decompositione totius in intuitione dati patet in infinitum; nec tamen propterea totius esse partes infinitas licet dicere.

Totum in intuitione datum nobis repraesentando, partes ipsius necessarie supponuntur, vt possibilitatis eiusdem conditiones. Hoc igitur totum diuidendo a conditionato ad conditiones possibilitatis eiusdem regredimur. Partes autem per subdiuisionem decomponendo regressum instituimus in serie harum conditionum. Huiusce seriei autem absoluta totalitas, vti supra ostendimus, nulla potest cogitari, quoniam ad partes simplices perueniri nequit; quaeuis enim pars vt in spatio data rursum e partibus, quippe existentiae ipsius conditionibus necessariis, constare censenda est. Perpetua igitur, nec in vllo vnquam decomposito, vt extremo, subsistens cogitari debet subdiuisio, eiusque regressum *in infinitum* patere rite posuimus, quoniam omnes partes vt totius conditiones cum hoc ipso simul datae sunt in intuitione, ita vt praesens vsque regressum comitari possit perceptio. (Conf. huiusce Sect. Apotom. I. §. 2.) Non igitur sicuti in regressu ideae cosmologicae superioris a conditionato ad conditionem ascendimus extra conditionatum positam, nec cum ipso simul datam, sed quousque series decompositionis extenditur, membra eius constitutiua, inuoluta quippe in apperceptione totius, empirice apprehenduntur. Haud tamen propterea totius infinitas esse partes dicere licet. Partium enim in-

infinitam qui ſtatuit multitudinem, perfeciſſe ſe et vere tranſegiſſe earum ſubdiuiſionem prae ſe fert; antea enim, quantum adſit partium, cognoſci nequit. Decompoſitio autem quum in infinitum, vti vidimus, progrediatur, numquam abſoluitur, et ad finem perducitur, proptereaque, quodnam ex ipſa prodeat partium quantum, haud poteſt intelligi. Regreſſus igitur in ſyntheſi partium tendit in infinitum. Seriem autem, quae per hunc ipſum regreſſum primum efficitur, nec longior ipſo regreſſu eſſe poteſt, pro abſoluta habere, ſimulque contendere, infinitam in ipſa contineri partium multitudinem, in intuitione collectiua exhibitam, contradictorium eſt.

§. 4.

Infinitus in ſyntheſi decompoſitionis regreſſus aequo iure de ſpatio et phaenomeno in ipſo exhibito (corpore) *ſtatuitur.*

Quaecunque de toto in intuitione empirica exhibito praedicantur, primum applicari poſſunt ad ſpatium. Omne enim ſpatium limitibus certis incluſum totum eſt, cuius partes per decompoſitionem ſeparatae ſpatia ſunt, quibus ob id ipſum infinita competit diuiſibilitas.

Aequo iure haec diuiſibilitas ad phaenomenon externum limitibus incluſum (corpus) applicatur. Corpus enim ſiue totum extenſum absque ſpatio et extra ſpatium haud eſt poſſibile. Quae igitur ſpatio competit infinita diuiſibilitas, eadem ad corpus, quod ſpatium complet et in ſpatio porrectum eſt, legitime transfertur. Videri quidem poſſet, corpus, quatenus *ſubſtantia* eſt in ſpatio, a diuiſibilitatis continuae lege exemtum eſſe debere. De ſpatio quidem iure cogitatur, illud non poſſe non in infinitum decomponi;

quum

quum enim vnice per quantum continuum cogitetur, hac ipsius continuitate sublata ipsum in nihilum recideret, nec foret cogitabile.

At quanti substantialis omni compositione sublata nihil superesse residuum, hoc repugnare primo aspectu videtur conceptui substantiae, in quo subiectum siue substratum omnis compositionis cogitamus, cuiusque per consequens elementa, omnem decompositionem superantia, restare debere concludimus. Verum qui sic argumentantur, manifeste produnt, se inter substantiam phaenomenon eamque, quam per notionem puram intellectus cogitat, haud nosse distinguere. Omnia enim, quae inferunt, in substantiam quatenus absolutum est phaenomenorum subiectum cadunt; de hoc autem vt plane transscendenti et incognito neque dici posse aliquid nec hic nobis sermonem esse aperte prostat. Ea vero, de qua nos agimus ad mundum sensibilem pertinens substantiá, non absolutum est subiectum, sed perdurabile intuitionis correlatum: igitur phaenomenon, quod proinde iisdem conditionibus adstrictum esse debet, quibus id, in quo solo possibile est, spatium, tenetur.

§. 5.

Regressus in infinitum de quanto, quatenus vt discretum cogitatur, praedicari nequit.

Quantum aliquod vocatur discretum, quando, quemadmodum fit in quouis corpore organico, ipsius partes quaedam iam separatae et ex partium minorum compage connexae cogitantur. De tali autem quanto contendimus diuisibilitatem infinitam, qualem in quanto continuo spatium complente ostendimus, praedicari non posse. Quantum enim, simulac vt discretum cogitatur, idem per hunc ipsum conceptum vt ex

ex definito partium organicarum numero conflatum concipimus, quarum quaeque separata rursus quantum foret continuum, propterea que in infinitum diuisibile. In notione igitur quanti discreti, definita iam cogitatur partium organicarum siue vnitatum copia, quae semper numero correspondenti exprimi posse debet: eandem igitur vt infinitam repraesentando contradictionem incurrimus. Quousque igitur partes totius organici decomponendo semper adhuc minores inuenirentur iterum organicae, experientiae est docere; sufficit nobis ex ipsa quanti discreti notione intelligi, in experientia saltem possibili demum ad partes non-organicas perueniri debere; quanti enim discreti definitae sunt partes ante regressum; hic igitur in materia organica, etsi propter apparatus insufficientiam non terminetur, tamen finiri posse censendus est.

Transitus a sectionis quintae apotome secunda ad eiusdem apotomen tertiam, qua

Idearum dynamico - cosmologicarum vis et significatio secundum normale rationis principium determinabitur.

Ideae dynamico-cosmologicae cum mathematicis id habent commune, quod in ipsis regressus hypotheticus cogitetur in serie conditionum, quae totalitatem ideae non explet, quouis eius membro iterum conditionato; at in hoc dispares sunt, quod quum in mathematicis (quae de quanto agunt vel compositionis vel decompositionis,) *synthesis inueniatur plane similium, in dynamicis e contrario synthesin instituamus absimilium, praeter conditiones sensibiles intelligibilem insuper inferendo, quae vt soluta ab omni experientiae, ad quam non pertinet, lege, etsi non demonstrari attamen admitti potest, nihil laesa phae-*

no-

nomenorum synthesi progressiua, secundum leges intellectus in indefinitum instituenda.

Quum in ideis transscendentalibus ad filum praedicamentorum exhibendis versaremus, ea selegimus praedicamenta, ad vim idearum efferenda, per quae obiectum vt conditionatum, eius autem conditio, quatenus obiectum est empiricum ad mundum sensibilem pertinens, ipsa secundum eandem intellectus notionem conditionata, repraesentatur. (Conf. cap. nostri Sect. II. §. 2.) Sic conditiones secundum relationem vel spatii vel temporis ad conditionatum quod ab ipsis pendet, referentes, eas ipsas hisce relationibus iterum obnoxias esse intellexímus vnde nullum, quod secundum leges empiricas cogitatur, obiectum simul absolutum esse posse, rite colligitur. Quam igitur ratio in idea cosmologica postulat conditionum totalitatem, aut in vltimo absoluto membro aut in serie completa repositam, eam per synthesin regressiuam in serie phaenomenorum attingi non posse demonstratum est; absolutum enim et vna conditionatum contradictionem inuoluit. Quatenus igitur ad seriei conditionum, secundum analogiam prosyllogismi hypothetici sibi inuicem subordinatarum, extensionem regressiuam spectamus, omnium idearum cosmologicarum similis est habitus, eodemque omnes iure obiectiua realitate priuantur, quoniam omnes similiter conceptum empiricum aut non explent aut excedunt. (Conf. huiusce cap. Section. IV. Apotom. ima §. 3.) Ea igitur, quam a praedicamentis petitam ad superaedificatas ipsis ideas cosmologicas transtulimus, inter mathematicas et dynamicas ideas distinctio, quarum primum genus ad compositionem phaenomeni in intuitione dati, alterum ad dependentiam existentiae spectat, in diiudicanda antithetica cosmologica nulli fuit momenti; in hac enim vnice ad regressum empiricum respiciebamus, quatenus ideam cosmologicam expleat, disquirere intenti. Nec in sensu

idea-

idearum mathematicarum secundum normale rationis principium definiendo ad ipsam respicere cogebamur; harum enim obiectum quum phaenomenon sit, facile in conditionibus eiusdem quippe ipsis sensibilibus exquirendis nullibi posse subsisti colligebamus. Nunc vero quum ad iustam idearum dynamicarum interpretationem accedamus, in quibus phaenomenon consideramus non quatenus *datum est* in intuitione, sed quatenus quoad existentiam *deriuatur*, accuratius, quaenam inter synthesin in ideis mathematicis et dynamicis differentia intercedat, est examinandum. Fieri enim potest, vt per hanc ipsam differentiam thesis quodammodo cum antithesi concilietur, quumque empirice omnino inueniri nequeat conditionum totalitas, caussarumque et contingentium mundi sensibilis in indefinitum pateat regressus nusquam terminabilis, attamen absolutum aliquod intelligibile, omni experientiae lege solutum, si non statui at saltem sine contradictione assumi possit.

In ideis mathematicis, quemadmodum in paragrapho posuimus, synthesis cernitur plane similium. In seriem enim phaenomenorum vel componendam per aggregationem (vti fit quando mundus vt totum in spatio et tempore datum consideratur) vel decomponendam, (vti fit in regressu diuisionis a parte ad partes totius in intuitione dati) nulla conditio, nisi quae ipsa pars sit et membrum seriei, intrare potest. Haud vero eadem est ratio idearum dynamicarum. In dynamica enim conditionum serie synthesis quoque cogitari potest absimilium, conditionis scilicet absolutae intelligibilis cum conditionato phaenomeno, saluo tamen regressu empirico, in quo conditiones empiricae eiusdem phaenomeni, adeae nusquam absolutae, contineri debent. Vetat enim intellectus, ne in serie phaenomenorum conditionem inferamus, quae non

conditionata foret empirice. At si conditio cogitari posset intelligibilis, (in serie phaenomenorum non comprehensa) a qua conditionatum phaenomenon secundum exsistentiam (dynamice) deriuari posset; haec, inquam, conditio, vt consortii omnis cum mundo sensibili eiusque legibus expers, pro absoluta haberi posset, empirico, in quem ipsa haud cadit, regressu nihilominus perpetuo remanente. Eiusmodi autem intelligibilem conditionem in idearum dynamicarum regressu sine contradictione simul iuxta synthesin empiricam similium *admitti*, sicque thesin cum antithesi quodammodo posse conciliari, iam nunc ostendendum est.

Sectionis Quintae
APOTOME TERTIA.

Definitur, quonam sensu ideae dynamico-cosmologicae secundum normale rationis principium accipiendae sunt.

I.

Ostenditur legitima significatio ideae cosmologicae de perfecta effectuum ex caussis deriuatione.

§. 1.

A quouis effectu regressus patet caussarum in indefinitum.

Omne, quod fit, a caussa pendere idonea pro certo stat et lex est naturae, a qua nullibi exceptio permittitur. In hoc autem necessario ab effectibus mundi sensibilis ad caussas, quibus effectus phaenomenon determinabatur, regressu nusquam terminus datur, in quo subsistendum sit. Quamcunque enim caussam

vi

vt primariam vellemus assumere, ea ipsa vt aliquando incipiens cogitari debet, quoniam si semper fuisset, partis etiam effectui aeternitas tribuenda foret, hoc autem ipsum sibi contradicit. Quodcunque enim fit (effectus) haud simul vt semper existens cogitari potest. Quatenus igitur quaeuis caussa vt ipsa aliquando incipiens cogitari debet, regressus aperitur caussarum perpetuus in indefinitum, *) qui ideam completae totalitatis, vti supra iam monstratum est, haud explere valet.

Quatenus igitur phaenomena omnia ex caussis similiter ad mundum phaenomenon pertinentibus explicari debent, perfecta ipsarum deriuatio ex nexu mundi sensibilis haud possibilis est.

§. 2.

Praeter caussam sensibilem, alia adhuc cogitari potest effectiuum mundi sensibilis caussalitas intelligibilis, quam libertatem vocamus. Libertas sensu transscendentali facultas est, statum aliquem actu spontaneo, (et per consequens absolute) *incipiendi.*

Sic definitam libertatem ad mundum sensibilem pertinere non posse, in propatulo est. Haud enim ab experientia abstracta esse — quippe quae absolutum nihil affert, — nec obiectum ipsius, (id cui talis libertas inhaereat) in experientia sisti potest; alias enim, secundum leges experientiae, a praecedente in tempore caussalitate penderet. Mera igitur est transscendentalis idea libertas, quae cogitari quidem potest, at in

*) Quare regressum hunc caussalem in indefinitum extendi contendamus, haud vero in infinitum, ex iis, quae huiusce sectionis apotom. I. §. 2. allata sunt, satis erit perspicuum.

in obiecto experientiae demonstrari nequit. Sic autem mere intelligibilis naturae esse libertatem concedentes, hoc nobis iure nostro postulare videmur, ipsam, quum ad nexum phaenomenorum mundi sensibilis non pertineat, etiam huiusce nexus legibus solutam esse, spontaneitatem igitur in ipsa cogitari, seu caussalitatem absolutam, a nullo alio caussali determinatam.

§. 3.

Libertas practica, quam vocamus in vita communi, a transscendentali nostra deriuatur, et cum hac aut stat, aut corruit.

Practica quae vocatur libertas siue etiam moralis, independentia est arbitrii ab impulsu sensualitatis. Arbitrium vocatur *sensitiuum*, quatenus pathologice siue per impulsus sensualitatis, appetitus aut auersationes afficitur, *brutum*, quando per hasce a sensibus oriundas affectiones necessarie determinatur. Arbitrium humanum sensitiuum quidem est, at non brutum sed *liberum*, quatenus afficimur quidem atque impellimus a sensibus, at non cogimur. Facultas enim hominum naturae inest se ipsos libere a sensuum impulsu imo contra ipsorum suggestiones determinandi.

Sublata autem libertate transscendentali vna concidere libertatem practicam, facile est intellectu. Dum enim de libertate practica loquimur, atque v. c. hominem aliquem hac vsum libertate aliquid non fecisse perhibemus, ad quod per sensuum incitamenta impellebatur, eo ipso supponimus actionem caussarum sensibilium haud esse cogentem, sed contineri in arbitrio nostro caussalitatem, cuius ope independenter ab omnibus istis naturae caussis imo contra omnem ipsarum tendentiam effectum producere possimus ad mundum sensibilem secundum ordinem et locum in tempore per-

pertinentem. Ex quo efficitur, nos libertatem practicam nobismet vindicantes, facultatem nobis assignare, secundum quam seriem factorum empiricorum sponte penitus nostra i. e. absolute incipere possimus. Haec autem facultas ea est, quam libertatem transscendentalem diximus. Haec igitur si remouetur, ita vt omnis omnino caussalitas *secundum naturam* vnice cogitetur, tunc quodcunque fit in tempore secundum necessarias leges est determinatum, nec libertati locus relinquitur.

Implicite igitur libertatem transscendentalem in libertatis practicae idea contineri, nec hanc sine illa cogitari posse, iam nunc est demonstratum. Quantum autem idealismus noster transscendentalis ad possibilitatem libertatis transscendentalis adstruendam faciat, iam nunc videbimus.

§. 4.

Systema realismi omnem funditus euertit libertatem: dum enim quae phaenomena sunt, pro rebus per se habet, leges quoque empiricas, secundum quas existentia phaenomenorum in tempore determinatur, pro obiectiuis hanc ipsam eorum existentiam necessarie determinantibus habere cogitur, ita vt omnis libertas penitus tollatur.

Stat axioma illud immotum ac certum per se, quod iam in analytica nostra transscendentali statuimus, omnia scilicet, quae fiunt in mundo sensibili, nexu cohaerere necessario secundum leges naturae. Si igitur ista, quae sub hoc nexu comprehenduntur, phaenomena res sunt per se, eorumque complexus, quem sensibilem vocauimus mundum, verum est ac reale vniuersum, tunc praeter nexum istum naturalem, in

 quo

quo quilibet effectus determinatus esse cernitur, nullam aliam inferre licet caussalitatem. Nihil enim secundum realismum datur praeter naturam, quumque existentia effectuum, quoad phaenomenon, a nexu naturali caussalitatis semper conditionatae necessarie pendeat, atque ab hoc debeat deriuari: inde, haec si phaenomena res sunt per se, rerum omnium existentiam a natura necessarie pleneque determinari oportet, nec aliam caussalitatem dari fatendum est, praeter hanc, quae in eo, a quo omnia deriuantur, regressu experientiae secundum leges determinatae cernitur. Experientia enim non nisi per nexum continuum ex lege possibilis est, si igitur quae experiri fas est, res sunt per se, easdem dum experimur, simul per legem indispensabilem necessitatis naturalis determinari et per consequens libertatem tolli concedimus.

§. 5.

Idealismus transscendentalis unicam nobis viam aperit possibilitatis liberi arbitrii demonstrandae.

Quaenam ex realismo, qui phaenomena pro rebus habet per se, consectaria deriuent, iam exposuimus. Securior autem est caussa libertatis, si phaenomenis eam, quae vere ipsis est, vim ac significationem tribuimus. Si enim phaenomena non res sunt per se, sed merae repraesentationes secundum leges empiricas connexae, tunc ipsis subesse aliquod substratum caussale cernitur, quod ipsum non est phaenomenon. Haec transscendentalis phaenomenorum caussa, quippe quae ad mundum sensibilem non pertinet, intelligibilis erit, et quoad caussalitatem exemta a lege, ideoque non per phaenomena determinata. Quatenus igitur extra seriem phaenomenorum posita, libera est. Effectus autem huiusce intelligibilis caussae, quatenus in serie phaenomenorum comprehenditur, ab aliis pha-

phaenomenis secundum legem naturae deriuari posse debet, nec a nexu mutuo naturae eximi potest, quamuis quoad caussam, a qua profectus erat, intelligibilem liber sit et independens. Haec autem distinctio inter caussam intelligibilem et caussam phaenomenon quum difficultatis habeat nonnihil, nec primo statim obtutu perspiciatur, sequenti paragrapho possibilitatem caussalitatis liberae cum necessitate naturali conciliandae vberius liceat exponere.

§. 6.

De caussalitate libera iuxta necessitatem naturalem possibili.

Obiectis sensibilibus, quae non res per se sunt sed phaenomena, transscendentale substratum subesse cogitandum est, per quod correspondentis sibi phaenomeni repraesentatio in mente percipiente exhibetur. Hoc vero obiectum quamquam cognosci nequit, nec de ipso vere aliquid praeter vnitatem obiectiuam (qua vt aliquod quidem, at hoc incognitum = x determinatur) praedicari potest: nihil tamen impedit, quin ipsi problematice saltem vim aliquam seu caussalitatem tribuamus, quae ipsa quidem non sit phaenomenon, at cuius effectus in serie cernantur phaenomenorum. Id autem, quod in obiecto phaenomenón est et in sensus cadit, *sensibile*; id autem, quod eius non ad phaenomenon sed ad transscendentale eiusdem correlatum pertinet, *intelligibile* vocamus. Sin autem in obiecto, quod in mundo sensibili vnice quoad phaenomenon cognoscitur, qua per se existenti, facultatem praesumere licet productiuam phaenomenorum, quamuis haec non sit intuibilis, nec ad phaenomenon pertineat: inde efficitur, caussalitatem eiusmodi entis duplici respectu posse considerari. Quoad actum caussalem, quatenus in re per se esse cogitatur, intelligibilis, quo-

 ad

ad effectus huiusce actus, quatenus idem actus phaenomenon est ad mundum sensibilem pertinens sensibilis erit caussalitas. Quaeuis autem caussa agens legem vt habeat seu fundamentum caussalitatis, sine quo non foret caussa, necesse est. Dum enim caussam dico agentem, eandem vt obiectum repraesento, in quo quicquid est, necessarie i. e. secundum legem coniunctum cogitatur. Hanc vero inhaerentem subiecto conditionem, per quam idem vt caussale (siue agens) cogitatur, *characterem* eiusdem appellamus. In quouis igitur subiecto duplicem cogitare licet characterem, empiricum primum, quae lex est agendi ab experientia deriuanda, secundum quam omnes subiecti actiones, vt phaenomena, ab aliis phaenomenis ipsarum conditionibus deriuari possunt, ita vt innexa cernantur catenae perpetuae phaenomenorum, quibuscum vnam tantum et perpetuam ordinis naturalis seriem constituunt: alterum *intelligibilem*, secundum quem subiectum quidem caussa est actionum istarum in mundo sensibili proditarum, at ipsum non phaenomenon qua caussale, nec vlli sensibilium conditioni obnoxium. Primum characterem subiecti phaenomenon, alterum characterem subiecti per se (correlati transscendentalis) appellare licet. Hoc autem subiectum agens secundum characterem intelligibilem nullis temporis conditionibus adstrictum esse potest; tempus enim conditio est phaenomenorum, haud vero rerum per se. De caussalitate igitur subiecti quoad characterem intelligibilem vere licet dicere, eam nec esse incipere nec desinere; hoc enim de caussa secundum characterem empiricum, in tempore determinatum, vnice valet. Idem autem subiectum secundum hunc empiricum characterem nexui caussali, — vt pars ipsa mundi sensibilis, — obnoxium erit, omnesque eiusdem actiones ex legibus naturalibus explicari posse debent, quoniam in experientia possibili omnia effectus cuius-

dam

dam explicandi requisita contineri oportet. Hi autem ipsi effectus nihilominus in relatione ad intelligibilem aliquam caussam possunt considerari. Nam etsi phaenomena ex antecedenti quidem subiecti agentis conditione secundum characterem empiricum deriuari debent; tamen horum phaenomenorum series ipsa vt in intelligibili et libero substrato fundata cogitari potest. Recte igitur de hoc subiecto, qua noumeno, dici poterit, ipsum effectus suos in mundo sensibili sponte sua inchoare, quamquam in ipso vt a temporis lege soluto actio non incipiat; nec tamen propterea effectus istos in mundo sensibili sponte sua seu absolute oriri dicendum est; in hoc enim secundum characterem empiricum, qui phaenomenon est intelligibilis, determinatae sunt, atque cum praecedentibus vt membra eiusdem seriei perpetuo continuatae necessarie cohaerent. Sic autem in iisdem actionibus secundum vtrumque tam sensibilem, quam intelligibilem characterem consideratis, et libertas et necessitas naturalis conciliatae sine contradictione cogitari possunt.

§. 7.

Illustratur argumentum paragraphi praecedentis, dum eius ad hominem vt obiectum rationabile noumenon sit applicatio.

Principii caussalitatis is vsus est finisque constitutus, vt ipsius ope quae fiunt in rerum natura a conditionibus quodque suis deriuentur, vtque a phaenomeno dato incipientes continuo experientiae filo vel antecedentium vel consequentium seriem persequamur. Hoc vero si concessum est, nulla exceptione ab hac experientiae lege permissa, tunc explicationes physicae securo progredientur tramite, nec conturbari poterunt; quamuis praeterea accipias, dari caussas quasdam naturales facultate insuper intelligibili praeditas.

 Actio-

Actiones enim ab hac intelligibili caussa profectae quatenus vt phaenomena in mundum sensibilem incidunt, semper ad legem caussalitatis empiricae comparatae esse debent. Posse autem eiusmodi caussalitatem intelligibilem praeter caussas empiricas in vno eodemque subiecto conciliari, hoc exemplo hominis optime potest illustrari. Homo enim, quatenus obiectum est in intuitione datum, eiusque actiones in complexu experientiae comprehenduntur, ad phaenomena pertinet, caussalitasque eius hoc respectu per empiricum characterem determinabitur, ita vt in quouis homine secundum variam ipsius cum externis relationem differentem ipsique proprium inuenire debeamus characterem. Hunc characterem empiricum qualis sit cognoscimus, dum ipsum hominem in variis ad cetera phaenomena relationibus contemplamur, atque sic ab experientia eiusdem rationem agendi methodumque abstrahimus. Imo si fieri posset, (quod vero per experientiae nimis angustos limites fieri nequit) vt penitus nobis empiricus hominis character recluderetur, inde quamlibet eiusdem actionem aequa certitudine possemus praedicere, ac lunae stellarumque vices praeuidentur. At hisce non obstantibus in eodem homine facultatem obseruamus, cuius actio nullo modo ad receptiuitatem sensitiuam referri potest, sed vt mere intelligibilis cogitari debet. Rationis ea, quam dicimus, facultas est; quae ab omnibus viribus empirice conditionatis eo praecipue differt, quod obiecta sua secundum ideas perpendens, ad agendum non per phaenomena sed per conceptus determinatur. Huic autem rationi caussalitatem productiuam phaenomenorum a nobis tribui, ex lege morali, quam ipsa nobis ratio imponit, elucet. Ratio enim nobis, quid facere, siue quomodo vires nostras dirigere debeamus, absolute *imperat*, nec respicit an vltro per characterem empiricum, externarumque relationum opportu-

portunitatem ad ius rectumque feramur, nec ne. Quare formula legis vere practicae, quam ratio ex se ipsa haurit (haud vero, sicut prudentiae regulas, ab experientia contingenti abstrahit) imperatiua est, et necessitatem actionis categorice iniungit. Haec necessitas actionis, quam imperat lex practica, ab ea necessitate, quam lex naturalis iniungit, plane diuersa est. Necessitas enim naturalis phaenomenon mundi sensibilis supponit, a quo ea, quae qer legem naturalem necessaria est, actio vt ipsius effectus deriuetur; at necessitas practica neglecto phaenomenorum nexu naturali, quid fieri debeat, ex conceptibus definit. Ratio igitur hanc postulans legis necessitatem haud *sequitur* ordinem rerum, quemadmodum in intuitione sistuntur, sed ordinem ipsa secundum ideas proprium sibi *constituit*, atque phaenomena huic ordini morali subiicit. Quo fit vt ratio non, quae facta sunt et ex nexu naturali explicari possunt, laudet probetque; sed normam vsque suam legemque vrgens, quae fieri debuissent quamquam non facta sint, commendet reprobetque, quae in mundo sensibili contra ipsius leges commissa omissaue fuerunt. Quum vero necessitas actionis simul possibilitatem eiusdem inuoluat, inde efficitur, nos dum legem agnoscimus necessitatis practicae id semper praesumere, rationem ea esse vi praeditam, vt actiones proferat, quarum effectus in mundo sensibili cernantur et quae nihilominus non in phaenomenis sed in conceptibus rationis caussalitatem suam repositam habent. Quo fit vt quilibet homo actione legi practicae repugnante commissa non solum sibi conscius sit, se ita agere non debuisse; verum etiam fuisse sibi potestatem hanc actionem omittendi fateatur. Quatenus igitur hanc in nobis potestatem facultatemque contra sensuum impulsus libere agendi agnoscimus, rationi caussalitatem adscribimus per se, eamque in quauis actione secundum legem moralem indi-

iudicanda adhibemus, quamuis eadem actio ad nexum naturalem relata, ex iis, quae in tempore praecedunt, rerum circumstantiis satis explorari possit. Potest igitur quaeuis actio humana ad duplicem referri caussalitatem. *Primum* quatenus sese manifestat per effectus in mundo sensibili, a caussa pendet ipsa phaenomeno, quae iterum ab altiori caussa sensibili procedit, a qua rursus regrediendo seriem caussalitatis in indefinitum constituimus; *secundo* autem *loco* quatenus per legem moralem iudicatur, a caussalitate pendet rationis, quae dum a temporis lege exemta est, nullam altiorem supponit caussam, sed in se ipsa perfecte fundata est. Caussalitas enim rationis, quae per legem moralem proditur, non ad obiectum in intuitione datum referri potest; alias enim legi obiectorum sensibilium, cui tamen saepissime repugnat, subdita ac subiecta foret; pertinet igitur ad obiectum noumenon, cuius leges a conditionibus sensibilibus phaenomenorum obstringi nequeunt.

Quatenus igitur hominem tanquam obiectum consideramus in intuitione datum, eatenus empiricum tantum in ipso characterem inuenimus. Quaelibet igitur actionum eius caussam habet in serie caussarum perfecte fundatam, et hoc respectu libertas non datur. Praeter omne autem, quod nostrum ad phaenomenon pertinet, caussalitatem in homine inueniemus secundum conceptus rationis, quae necessitatem praescribit actionis nullo caussarum empirice determinantium respectu habito. Per hanc igitur caussalitatem, quae ad hominem qua phaenomenon referri nequit, nostrum aliquod obiectum noumenon agnoscimus, secundum quod ad altiorem mundo sensibili rerum ordinem pertinemus. Secundum hanc igitur altiorem nostram naturam, aliis legibus, quam quibus mere sensibilis obtemperat natura, subiecti sumus;

mus; haud enim in lege morali, quales simus secundum phaenomenon in nexu mundi sensibilis, sed quales *esse debeamus*, respicitur. Quum autem, vti diximus, necessitas actionis possibilitatem inuoluat, inde efficitur, rationalem hanc in nobis, quoad noumenon, legem, tanquam caussalem i. e. effectus producentem, necessarie cogitari debere. Sic igitur homo, quà noumenon, seriem phaenomenorum (actionum, effectuum in mundo sensibili) sponte sua potest incipere i. e. libere agere, nihil laesis per id ipsum naturae legibus. Eaedem enim actiones liberae, quatenus in mundo sensibili per effectus manifestantur, secundum ordinem fiunt naturae, et cum ceteris mundi sensibilis phaenomenis nexu necessario coniunctae sunt, ita vt intelligibilis eiusdem actionis character cum empirico conciliatus inueniatur. Nec aliter ea, quae in communi hominum de actionibus moralibus iudicio occurrit, culpae criminisque imputatio explicari posset. Quamuis enim actio commissa ex naturali rerum nexu tanquam effectus a caussa profluat, tamen propterea haud excusari liberariue culpa censetur. Turpi enim aliqua actione commissa scelesti, qui ipsam commisit, et indolem naturalem et educationem, sortis ipsius varias vices, vitamque omnem ante actam exploramus, quasi phaenomenon aliquod naturae explicaturi, vt scilicet actionem ex caussis ipsam progressiue adducentibus deriuemus. At quamquam in omnibus hisce empiricis conditionibus momenti aliquid ad leniendam fortassis culpam reponamus, nihilo tamen minus actionem homini imputamus, nec propter ista omnia culpa ipsum exsolui posse arbitramur. Hoc autem, quo ipsum perstringimus, vituperium propterea iustum declaramus, quod hominem istis omnibus sepositis aliter agere potuisse supponimus. Actionem igitur, quatenus ab homine rationabili commissa est, vt absolutam, nec per istas conditio-

ditionum empiricarum feries determinatam confideramus, quafi reus nouam cum ipfa effectuum feriem abfolute incepiffet. Cauffalitem igitur rationi legem ferenti practicam tribuimus, per quam omnibus empiricis conditionibus neglectis actionem aliter determinari et potuiffe et debuiffe praefumitur. Sic autem cenfendo rationem intactam declaramus a fenfuum affectionibus, et vnam eandemque permanentem, nullum ftatum in ipfa praecedere, nullum infequi cenfentes; omnique temporis lege exemtam eam non determinari a phaenomenis fed ipfam phaenomena determinare et tanquam cauffam abfolutam feriem effectuum libere poffe inchoare, definimus. Rationem igitur haud determinari, nec (quippe quae non in tempore eft) mutationem aut nouum aliquem ftatum poffe recipere intelligentes, fortaffis actionum humanarum varietatem contemplando in hanc deferri poffemus quaeftionem, *cur* fcilicet *ratio* in cafu aliquo dato actionem phaenomenon non aliter determinauerit? Haec autem quaeftio, quae ad naturam noumeni nobis neceffarie incognitam pertinet, plane infolubilis eft. Lex enim moralis cauffalitatem quidem nobis aperit rationis, at de modo, quo tandem ratio phaenomenorum cauffa effe, ipfaque determinare poffit, nihil nobis vnquam poteft definiri; ad hanc enim quaeftionem refoluendam, rationis obiectum noumenon in intuitione nobis exhiberi oporteret, quod contradictorium eft fibi. Nec noftri eft, de tali quaeftione hoc loco tranfigere. Nam quod propofitum habebamus peractum eft. Contemplantes enim rationis cum femet ipfa difcordiam, qua implicabatur, dum feriem conditionum cauffalium phaenomeni ab abfoluto aliquo deriuare conata, talem de abfoluto cogitationem legi nexus cauffalis repugnare inueniret: nihil aliud egimus, quam vt fpeciem illam, qua in hac antinomia deludimur, detegentes, liberta-

tem caussalitati naturae *non repugnare* ostenderemus. Haud igitur *realitas* libertatis a nobis demonstrata est, sed *posse* relationem obiectiuam actionis ad ideam transscendentalem libertatis sine contradictione cogitari, in hoc vnice elaborauimus; an vero huic ideae vere obiectum correspondeat, nec demonstratum est, nec, speculatiuo saltem more, demonstrari potuit.

Ne possibilitatem quidem libertatis eo, quem de possibilitate statuimus, sensu (Conf. analytic. transsc. Lib. II. Cap. 2. Sect. 3. Apotom. 2. b. §. 1.) demonstrare poteramus. Possibilitas enim congruentiam supponit cum conditionibus experientiae formalibus, quam de obiecto noumeno, quod extra omnem experientiam positum est, haud licet praedicare. Sed satis erat pro instituto nostro, demonstrauisse, istam rationis antinomiam, quatenus ad caussas empiricas in mundo sensibili vnice respicimus, aeque ac priores vanam omnique fundamento destitutam esse, quoniam in phaenomenis totalitas conditionum (quasi res essent per se) incassum quaeritur nec nisi regressus patet in serie, indefinitus. Quatenus autem respicimus ad synthesin absimilium, qualis in serie caussarum cogitari potest, ideam caussalitatis nexui phaenomenorum secundum caussalitatem naturae cogitato haud repugnare, hoc simul explicandum erat, iamque satis, vt videtur, explicitum est.

II.

Ostenditur legitima significatio ideae dynamico-cosmologicae de perfecta existentiae contingentis dependentia. (siue de ente necessario.)

§. 8.

Respectu cosmologico idea de ente necessario obiectiua caret realitate, i. e. nullum ipsi ad mundum sensibilem

perti-

pertinens obiectum correspondet; sed regressus in serie existentiarum contingentium patet in indefinitum.

Substantiarum omnium, quaecunque ad mundum sensibilem pertinent, statum perpetuo commutari, experientia docet. Existentia igitur earum haud pro absoluta potest haberi, sed conditionata est, et ab altioribus existentiae conditionibus pendens. Per synthesin autem empiricam ascendentes ab existentia qualibet contingenti ad aliam, in qua caussalitas commutationum prioris reposita est, hanc ipsam quippe pari modo sensibilem formaeque temporis necessarie adstrictam iterum contingentem inueniemus; sicque in regressu phaenomenorum numquam ad existentiam perueniri poterit necessarie cogitandam, quaeque absolutam contingentis seriei conditionem contineat. Sed dum hac ex parte spes abscinditur termino legitimo regressum in serie existentiarum finiendi, simul nullibi vnquam subsistere sed intellectus vsum continuo experientiae progressu, quam longissime possumus, iubemur extendere.

§. 9.

Attamen in hac sicut in praecedenti idea dynamica thesis antithesin non tollit plane, sed cum ipsa quodammodo conciliari potest. Potest enim ens absolutum, intelligibile, extramundanum admitti; nihil laesa cuiusuis phaenomeni existentia contingenti.

Rursus hic, quanti sit momenti distinctio nostra inter entia, qua phaenomena et noumena, apparet luculentissime. Nam si ea, quae nobis praebentur in intuitione, phaenomena res essent per se, tunc conditionatum vna cum conditione sua ad vnam eandemque pertineret intuitionis seriem, atque synthesis tantum daretur similium. Quumque quaeuis conditio mundi

mundi ſenſibilis iterum ipſa a parte priori conditionata ſit, inde, ſi obiecta mundi ſenſibilis res ſunt per ſe, nullam admitti poſſe exiſtentiam ſenſualitatis lege ſolutam ſeu neceſſariam per ſe patet. At ſi phaenomena a noumenis, ſenſibilia ab intelligibilibus ſeparamus, inde praeter ſyntheſin ſimilium, in regreſſu empirico ſyntheſin quoque abſimilium admitti poſſe in ideis dynamicis conſtat. Vbi enim de compoſitione totius, vt in intuitione dati ex partibus intuibilibus, aut de totalitate partium totius phaenomeni abſoluta agitur, (vti in ideis mathematicis) ibi ſyntheſis tantum patet ſimilium; at quando, aut de deriuatione effectus ex cauſſis, aut contingentis exiſtentiae ex neceſſaria agitur, haud neceſſe eſt, vt conditio homogena ſit cum conditionato, aut cum ipſo ad eandem ſeriem empiricam pertineat. Nihil igitur impedit, quin entia mundi ſenſibilis contingentia, et ſine exceptione omnia empirice conditionata eſſe aſſerentes, ſimul conditionem admittamus, haud empiricam ſed intelligibilem et in ente neceſſario ſiue abſoluto extramundano repoſitam, in quo vniuerſa ſenſibilium ſeries fundata cogitetur. In hoc enim, vt ente intelligibili, nihil cogitaretur ad ſeriem ſenſibilium perinens, eoque admiſſo nullum ſeriei empiricae membrum conditionalitate exſolueretur; ſed totius mundi ſenſibilis exiſtentia per omnia ipſius membra conditionata remaneret.

Sic autem abſolutum aliquod, in quo vniuerſa contingentium ſeries fundata ſit, cogitantes, haud idem agimus, ac tunc, quum actiones, quatenus liberae eſſe poſſunt, a cauſſa abſoluta deriuaremus. Pertinebat enim ipſa haec cauſſa, quà ſubſtantia phaenomenon, ad ſeriem mundi ſenſibilis, atque de ea tantum cauſſalitas praedicabatur intelligibilis ad noumenon pertinens. Ens autem abſolutum, de quo hic agitur, nullo modo ad ſenſibilia referri poteſt; ſed

plane extra mundum et vt mere intelligibile cogitari debet; nulla enim alia ratione lege contingentiae et dependentiae phaenomenorum exsolui potest.

§. 10.

Normale igitur rationis principium circa ideam dynamicam alteram sic habet: omnium, quae ad mundum sensibilem pertinent, empirice conditionata est existentia, nec in ipso, nulla ex parte, necessitas reperitur absoluta. Nullum igitur in serie conditionum exstat membrum, cuius non in ipsa experientia conditionem quaerere debeas empiricam; nihil independens, nihil quod per se stet, in mundo potest admitti. Hoc autem nihil impedit, quin totius seriei in ente absoluto ad ipsam non pertinente conditionem reponere possimus intelligibilem.

§. 11.

Sic statuentes nec existentiam entis summi nec ipsius adeo possibilitatem internam demonstramus.

Hac nobis paragrapho cauere voluimus a peruersis eorum, quae hucusque a nobis allata sunt, interpretationibus. Fuit enim haec nostra opinio, vt, obiectiuam tantum relationem seriei sensibilium ad ens aliquod extramundanum nihil inuoluere contradictionis, posse igitur contingentiam totius naturae cum omnibus eiusdem conditionibus cum suppositione entis necessarii intelligibilis conciliari, ostenderemus. Sicuti igitur vna ex parte rationem intra fines suos coercemus, nec permittimus, vt filum conditionum empiricarum abrumpat, phaenomenorum explicandorum intelligibilia admiscendo fundamenta; ita ex altera quoque parte intellectus vsum empiricum restringere voluimus, ne, dum intelligibilia in explicandis phaenomenis

nomenis haud esse admittenda recte indicat, vlterius aliquid sibi arroget, eadem esse prorsus impossibilia asserendo. Nam licet forsan ens absolute necessarium omnino cogitari non possit; — quod hoc loco nondum in computum venit, — tamen empirica synthesis per intellectum eius suppositionem vetare nequit. Ista enim impossibilitas ex contingentia omnium, quae ad mundum sensibilem pertinent, haud potest deriuari; vlterius autem vsus intellectus empiricus non pertinet. Manet autem sic cogitatum ens intelligibile idea transscendentalis, cuius realitas obiectiua hac saltem via probari nequit omnino; ne possibilitas quidem interna, quippe quae conformitatem requirit cum legibus experientiae possibilis, quibus omne intelligibile exemtum esse debere supra dictum est, comprehendi per intellectum potest.

TRANSITUS A DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS CAPITE SECUNDO AD EIUSDEM CAPUT TERTIUM.

Ideis nostris, quatenus cosmologicae sunt, et totalitatem spectant conditionum obiecti in intuitione dati, nullum correspondere posse obiectum, capite praecedenti demonstratum est. Simul autem monstrauimus, in eo cerni idearum dynamicarum a mathematicis differentiam, quod istarum relatio obiectiua ad conditionem intelligibilem (caussalitatem ex libertate, et ens extramundanum necessarium) cogitari possit, harum vero omnino nequeat. Nec enim conceptibus de mundi vel exordio vel finibus aut de ente absolute simplici obiectum in intuitione correspondere, nec in

 intelli-

intelligibilibus supponi potest. Synthesin enim hi conceptus vnice permittunt similium, per quam totalitas ideae expleatur. Verum ideae dynamicae synthesin praeterea permittunt absimilium, quam ob caussam relatio ideae ad obiectum intelligibile potest institui, regressum empiricum minime perturbans, cuius totalitas aeque ac in ideis mathematic s negatur. Sic autem relata ad obiectum intelligibile idea vsum normalem regendi intellectus deserit, nec amplius cosmologica aut transscendentalis sed *transscendens* vocari debet. Fit enim transgressio in mundum intelligibilem, in quo nulla vnquam realitas obiectiua demonstrari potest, sed problematica tantum cogitatio permittitur. Vniuersalis enim omnium obiectorum empiricorum contingentia, vti vidimus, nos obiectum aliquod assumere induxit, in quo per se existenti summa seriei existentiarum contingentium conditio reponatur, ad quam vero synthesis hypothetica numquam possit perducere. Sic igitur in mundo intelligibili constituti, ex notione entis per se seu necessarii notiones puras rerum intelligibilium deducere poterimus, quas vt phaenomenorum substrata noumena supponere cogimur. Eius enim, quod contingens est, cognitio deriuatur ab experientia; vbi vero de rebus omnem experientiam superantibus agitur, ibi quicquid ipsarum cogitando assequi licet, non ex intuitione sed e rerum notionibus puris, ex eo, quod in re necesse est omnino, deducendum erit. Quomodo autem ideae entis necessarii obiectum intelligibile determinari debeat, et quaenam rerum intelligibilium notiones sint, hoc est, de quo insequenti capite tractabimus.

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS
LIBER SECUNDUS.

CAPUT TERTIUM.
De prototypo transſcendentali, obiecto theologiae transſcendentalis.

Ad tertium iam peruenimus ratiociniorum dialecticorum genus, quibus inducti ſcientias mere rationales poſſe comparari, metaphyſici philoſophi putauerunt. Ad proluſionem libro ſecundo dialectices transſcendentalis praemiſſam reſpiciens lector intelliget, tria eſſe ratiocinia dialectica; primum *categoricum*, quo ſuperſtructam vidimus pſychologiam rationalem, dein *hypotheticum*, ex qua coſinologia transſcendentalis oriebatur, in qua examinanda hucuſque verſati ſumus, denique *disiunctiuum*, quo theologiam transſcendentalem niti monuimus. Haec igitur iam vltima nobis reſtat examini ſubiicienda. Verſatur autem diſciplina haec rationalis in demonſtrando ente illo neceſſario, quod prototypon transſcendentale nos appellauimus. Illud autem quale ſit, quidue de realitate ipſius, quatenus demonſtrari poſſe cenſetur a priori, opinandum ſit, clarius perſpicietur, quando primum de prototypo in genere dixerimus.

Prolusio.

De prototypo in genere spectato.

§. 1.

Obiectum ideae in concreto et indiuiduo cogitatae siue ens rationis singulum et indiuiduum, per ideam omnimode determinatum, prototypon vocamus, quasi summae in quouis genere perfectionis exemplar, virtutes in existentiis contingentibus dispersas in vno concilians.

Sic definitum prototypon idem est ac idea intellectus diuini, qualem prae se ferebat Plato, et ad quam omnia mundi sensibilis obiecta quasi ectypa efformata esse consebat, ita vt diuinae quidem originis vestigia in ipsis cernerentur, at obscura illa atque latentia, quippe crassa inertique materia diuini spiritus perfectissima idola non nisi remota quadam similitudine exprimere pollente.

§. 2.

Prototypon inter omnes repraesentationes longissime ab obiectiua realitate distare videtur.

In philosophicis disquisitionibus hoc sane maximi est momenti, vt omnibus, quaecunque subiectiue cogitantur, suum assignetur pondus, et quo sensu valeant omnis generis repraesentationes, accurate definiatur. Iam igitur, quo iure conceptus empirici ad obiecta referantur, facile perspicimus. Ex ipsa enim obiectorum empirica intuitione orti, obiectiue valeant necesse est. Praedicamentorum vero, quippe quae non ab experientia sed ab intellectu puro proficiscuntur, haud eadem est obiectiuae realitatis perspicuitas; per se enim absque vlla conditione sensualitatis nihil habent obiectiui categoriae; sed mera cogitatio-

nu-

num forma in ipsis continetur. Deductione igitur opus erat, qualem supra nos exhibuimus, quae vsum ipsarum atque obiectiuam significationem sisteret. Ex ista autem deductione hoc patuit, vltra obiecta experientiae, quae per schema temporis sub ipsas subsumuntur, nullam ipsis tribui posse realitatem; valent igitur categoriae obiectiue, quatenus ad phaenomena referuntur, et formae sunt conceptuum empiricorum, qui sine istis non forent possibiles, ita vt conceptum empiricum esse categoriam in concreto dicere liceat. De ideis autem transscendentalibus talem realitatis ipsarum obiectiuae deductionem dari non posse demonstrauimus, quoniam haec est idearum natura, vt in concreto exhiberi nequeant, nullumque ipsis correspondere possit obiectum intuitionis. Systematica enim per ipsas petitur omnis cognitionis vnitas atque perfectio, quam empirica nullo modo exaequare valet synthesis. Nihil igitur supererat, quam vt relationem idearum quarumdam ad obiectum transscendens intelligibile nullam inuoluere contradictionem, sed problematice cogitari posse ostenderemus; id quod etiam in ideis de anima, libertate et ente necessario concessimus. In propiori tamen cum obiectis realibus relatione stare videntur ideae transscendentales hucusque expositae, quam id quod prototypon appellauimus. In ideis enim ab experientia egressi supremum aliquod seriei empiricae membrum quaerebamus, in quo haec ipsae series consummaretur; in prototypo autem constituendo ab idea egredimur, cui consentaneum obiectum construimus indiuiduum a priori, per ideam omnimode determinatum, cui quomodo obiectiua conciliari possit realitas haud intelligitur.

§. 3.

Quamuis autem obiectiua realitate destitui videantur prototypa, tamen propterea haud pro vanis habenda sunt

 phan-

phantasmatibus, sed vsus eorum est normalis et correctiuus; (κατορθωτικος.) Vt enim, quae data sunt imperfecta et deficientia, compleantur quantum fieri potest, atque perficiantur, typo opus est omnis perfectionis completo illo et omnimode determinato, secundum quem ectypi instituì possit iudicium.

Vt exemplo, vere inesse rationi humanae protypa, vim exercentia practicam in vita hominum morali ad exemplar consummatae perfectionis componenda, probemus, sapientem ponamus stoicorum, in quo purissimae sine vlla labe virtutis idea in indiuiduo sistitur. Nusquam existit nisi in cogitatione, ergo protypon est, in cuius repraesentatione cum exhibemus hominem, qualem nos esse debere sentimus. Quemadmodum autem idea virtutis ac sapientiae legem constituit agendi, sic illud sapientis protypon exemplar praebet ad quod mentem omnem conformemus, et in quo quasi in speculo omnem vitam actionesque nostras intueamur; nec aliam habemus normam, secundum quam nosmet ipsos iudicare pretiumque nobismet ipsis dicere possimus, quam diuini istius, qui in nobis est, hominis mores habitumque, qualem in ipso, si vere daretur, supponimus. Cauendum autem est, ne perfectum istum sapientem, quasi re vera vt obiectum externum exsisteret, in poeticis fictionibus exhibeamus; limites enim naturales, quibus omne ens finitum circumscribitur, adaequatum protypo exemplum non suscipient, verendumque est, ne simul cum illusione seu specie veri, quae necessarie euanescit, etiam practicae ipsius realitati derogetur.

CAPI-

CAPITIS TERTII
SECTIO PRIOR.
De prototypo transſcendentali.

§. 1.

Determinare vel conceptum quemdam, vel obiectum aliquod, idem eſt, ac vtrumque ſub praedicatis, quae ipſis competunt, cogitare.

§. 2.

Principium determinabilitatis conceptuum ſic habet: cuiuis conceptui e duobus contradictorie oppoſitis praedicatis vnum competit. Principium determinationis obiectorum omnimodae poſtulat, vt cuiuis rei vel obiecto ab omnibus rerum praedicatis poſſibilibus, oppoſitione contradictorie ſibi repugnantium inſtituta, alterutrum ſemper tribuatur.

Vnum tantum e duobus contradictorie oppoſitis praedicatum conceptui poſſe competere, ex principio cognoſcitur contradictionis; et mere logicum eſt. Forma enim vnice ſpectatur cognitionis, nulla argumenti eiusdem ratione habita. Aſt alterum illud principium, omnimodae ſcilicet cuiusuis obiecti determinationis, praeter analyticam iſtam per vnum e duobus oppoſitis determinationem, transſcendentalem continet ſuppoſitionem complexus ſiue materiae omnis poſſibilitatis, quae conditionem poſſibilitatis cuiuslibet rei in ſpecie contineat. Dicendo enim: omne exiſtens omnimode determinatum eſt; non id tantum innuimus, de quouis praedicatorum ſibi contradicen-

tium pare vnum obiecto necessarie competere; sed ab omnibus praedicatis possibilibus semper vnum ipsi tribui debere. Idem igitur fit, ac si diceres: ad completam rei cuiusdam cognitionem necesse est, vt omne possibile cognoscatur, obiectumque per omnia praedicata aut affirmando aut negando determinetur. Haud igitur logica tantum instituitur praedicatorum inter se comparatio, sed complexus supponitur omnium possibilium praedicatorum, ipsorumque per oppositionem coordinatio; qua facta obiectum ipsum cum hisce praedicatis comparatur, vt inde verum amborum ipsi assignandum sit, eluceat.

§. 3.

Determinatio obiecti omnimoda exhiberi nequit in concreto; supponit enim ideam de omnitudine realitatis quasi data, secundum quam quoduis obiectum per limitationem possit determinari.

Vt omnimode obiectum aliquod determinetur, complexum omnium possibilium, cum quo ipsum comparetur, requiri iam vidimus. Hanc autem possibilitatis totalitatem per experientiam non sisti in concreto, nemo est, qui dubitare possit; idea igitur est rationis, obiectiua quidem realitate destituta, at normalis tamen, quae intellectus quam latissimum vsum in obiectorum determinatione praescribit. Sic autem complexum omnium possibilium praedicatorum cogitando, et deinde omnia, quae secundi ordinis sunt et mere deriuata, remouendo, ideam de omnitudine realitatis constituimus. Omnia enim praedicata possibilia secundum materiam ipsorum seu argumentum transscendentale, quod in ipsis cogitatur a priori, perpendentes, inueniemus, in quibusdam esse aliquod seu realitatem, in aliis non - esse seu defectum transscen-

ſcendentalem repraeſentari. *) Negatio autem trans-ſcendentalis cogitari nequit, niſi antea affirmationem oppoſitam ſeu realitatem transſcendentalem in animo habeas. Quem coecum mater peperit, illi nulla eſſe poteſt tenebrarum notio, oppoſitae realitatis, lucis ſcilicet, conceptu carenti. Qui diuitiarum nullam vnquam habuit notionem, nec oppoſitam pauperiem cogitare poteſt. Qui ne rudimenta quidem ſcientiae, aut vmbratilem ſaltem eiusdem cognitionem tenuit, nec ignorantiae ſuae ipſe ſibi conſcius eſſe poteſt. Omnes igitur negationum conceptus deriuati ſunt a realitatibus, et realitates materiam continent ſeu argumentum transſcendentale poſſibilitatis rerum earumque omnimodae determinationis. Illud igitur, quod ad rerum determinationem omnimodam ratio noſtra aſſumit, ſubſtratum transſcendentale, quod vniuerſam quaſi materiam contineat, vnde poſſibilia rerum praedicata omnia queant deriuari, idea eſt de omnitudine realitatis, omnesque verae negationes limites ſunt huiusce vniuerſae realitatis, quos conſtituendo obiecta ſingula determinamus.

§. 4.

*) Curandum eſt inprimis, ne negatio haec transſcendentalis confundatur cum negatione mere logica. Negatio enim logica, (quam per particulam „non„ exprimimus,) mere ſpectat ad habitum vnius conceptus cum altero, nihilque de argumento ipſorum ſtatuit omnino. Quamuis enim negatiue conceptus aliquis alteri opponatur, haud tamen propterea huic alteri affirmatiua per ſe ſignificatio tribuitur, ſed ipſe quoque priori negatiue opponitur. Duorum enim conceptuum „mortalis„ et „non mortalis„ vterque negationem inuoluit reſpectu alterius, neuter tamen per ſe nec ponit realitatem nec tollit in obiecto. *Negatio* autem transſcendentalis non - eſſe per ſe ſeu abſentiam exprimit realitatis, eique oppoſita eſt *affirmatio* transſcendentalis, quae aliquid ponit in re, quare realitas appellatur, quia obiecta per ipſam ſunt aliquid, *resque* determinantur. Negatio autem ipſi oppoſita, vbi ſola cogitatur, omnem exiſtentiam ſiue omne reale tollit omnino.

§. 4.

Idea de omnitudine realitatis, in obiecto aliquo conciliata, prototypon sistit entis realissimi.

Vniuersalis de ente conceptus, cui omnitudinem realitatis tribuimus, secundum hanc omnimode determinatur; est igitur conceptus entis realissimi conceptus singulus siue de indiuiduo, quoniam de quouis praedicatorum possibilium pare opposito vnum ipsi tribuitur, id scilicet, in quo totalitas per se ponitur. Est igitur ens realissimum prototypon rationis transscendentale, quoniam eius ope omnimoda omnium existentium determinatio vnice fit possibilis, ita vt quidquid reale in obiectis cogitatur, ab ipso repeti, quicquid in ipsis desideratur, per eius limitationem comprehendi possit. Hoc autem prototypon solum est, quod proprio nomine sic appellare licet; quoniam nulla praeter hanc datur possibilitas conceptum vniuersalem de re in genere per se ipsum omnimode determinandi, ita vt obiectum indiuiduum in eo repraesentetur. Hoc autem prototypon cum in finem quum cogitetur, vt necessaria in quouis ente determinatio omnimoda per ipsius ideam possit comprehendi, inde patet, ad hunc finem explendum haud requiri existentiam entis cuiusdam huic prototypo congrui, nec vllo modo nos ab idea ad existentiae talis positionem posse transire. Quaerit enim exemplar tantum absolutae determinationis ratio, vt inde conditionata contingentium possibilitas quasi ectypa per limitationem summae realitatis deriuari possit. Huic autem quando personam quasi induit ratio, cuius existentiam ex meris conceptibus demonstrare praesumit, ausu fit temerario, vltra limites humanae cogitationis sese efferente.

§. 5.

§. 5.

Ratio in constituendo prototypo transscendentali, tanquam fundamento determinationis possibilium, secundum analogiam procedit syllogismi disiunctiui.

Syllogismi disiunctiui is est vsus, vt per ipsum obiectis praedicata sua assignentur, siue logica ipsorum ex conceptibus fiat determinatio. Continet igitur propositio maior syllogismi disiunctiui diuisionem logicam conceptus vniuersalis, multitudinem praedicatorum possibilium sub se comprehendentis; ita vt eiusdem ambitus omnis in partes suas perfecte resoluatur; propositio deinde minor omnes ceteras partes demendo vnam relinquit, sub quam subiectum maioris logicum in conclusione subsumitur. Sic exempli gratia triangulum secundum angulos determinaturi, in propositione maiori vel acutangulum vel rectangulum vel obtuso dilatatum angulo dicemus, hisce enim tribus partibus conceptus vniuersalis de angulo perfecte absoluitur. Deinde triangulum nostrum nec obtuso nec acuto patere angulo contendentes, quam tertiam partem relinquimus, tanquam praedicatum ipsi assignamus in consequentia, in qua trigonon nostrum esse rectangulum statuendum erit. Pari modo in rebus omnimode determinandis a priori procedimus. Sed quoniam conceptus vniuersalis de realitate diuidi nequit a priori, (quia experientia demum edocti diuersas realitatis species cognoscimus) propterea in propositione maiori syllogismi transscendentalis complexum omnium realitatum cogitamus, *in quo* omnes realitates vt *in indiuiduo* contineantur. Loco igitur conceptus vniuersalis, *sub quo* omnia praedicata comprehendi possint, quique in suas species resolui deberet, prototypon assumitur transscendentale, omnia haec in conceptu suo continens. Limitatur deinde haec omnitu-

nitudo realitatis, dum aliquae excluduntur realitates, et quae reliqua sunt elementa obiecto assignantur, ficuti fit in conclusione syllogismi disiunctiui, ad cuius analogiam omnimodam rerum per prototypon transscendentale determinationem institui, iam nunc demonstratum est.

§. 6.

Obiectum, in quo ratio prototypon transscendentale quasi personatum cogitat, ens est originarium, summum, ens denique entium, simplex, vnum idemque, breui DEUS est, quare etiam esse prototypon obiectum theologiae transscendentalis diximus.

Demonstrata iam rationis in prototypo transscendentali determinando analogia cum syllogismo disiunctiuo, alterum restabat, scilicet, vt, quare in titulo tractationis nostrae prototypon obiectum theologiae transscendentalis appellauerimus, huius quoque ratio reddatur.

Quatenus, vti §. 4. dictum est, omnis entium possibilitas vt deriuata consideratur ab eo, quod omnitudinem comprehendit realitatis, propterea illud *ens originarium* appellari posse constat, quippe ex quo cetera omnia possibilitatis adeo originem repetant. Omnia enim, quaecunque mente concipere possumus, realia ab ente realissimo non nisi per negationes transscendentales possunt distingui; praedicata autem negationem inuoluentia limites sunt maioris realitatis, quae iterum, si imperfecta est, non nisi per summae realitatis priuatiuam limitationem cogitatur. Sic igitur quilibet defectus realis, quem negationem transscendentalem vocauimus, conceptum supponit summae realitatis, a quo deriuatus est; pariterque in omni rerum quae conspicitur diuersitate, multiplex tantum cerni-

tur

tur et varius conceptum summae realitatis, quippe omnis diuersitatis commune substratum, limitandi modus: sicuti omnes figurae diuersae tantum modificationes sunt, quibus vnum idemque spatii infiniti substratum limitatur. Omnis igitur contingentium determinatio fit per limitationem prototypi transscendentalis, cuius obiectum, quod in cogitando ratio sibi effingit, propterea ens esse debet originarium. *Summum* autem appellatur, quoniam omnitudine realitatis nihil esse potest maius, idemque ens entium, quoniam cetera omnia conditionata sunt per ipsum, nec sine hoc possibilia. Simplex quoque vt sit necesse est, quoniam ens originarium ex multis entibus deriuatis consistere nequit, quum quodlibet deriuatum iam totalitatem entis originarii supponat. Quare quoque entia limitata ab ente summo ita deriuari censenda sunt, quemadmodum consecutio a caussa, haud vero quemadmodum pars a toto, omnisque realitas obiectorum intuitionis a summa realitate vt producta ex ipsa, nec vero vt pars ipsam quasi separando comminuens cogitari debet. Sic autem prototypon nostrum obiectiue considerando, ens originarium per summae realitatis conceptum omnimode secundum omnia praedicamenta poterimus determinare, vt indiuiduum simplex, sibi ipsi sufficiens, aeternum etc. Conceptus autem de ente sic determinato conceptus est transscendentalis de *Deo*; quapropter prototypon transscendentale esse obiectum theologiae transscendentalis diximus.

§. 7.

Conceptus prototypi transscendentalis obiectiue cogitati nihil habet in se realitatis; sed oritur fraude rationis principium possibilitatis obiectorum empiricorum pro principio possibilitatis rerum in genere inferentis.

Per

Per ideam de complexu omnis realitatis minime aliquid, quod ad exiſtentiam obiecti ſeu entis realiſſimi ſpectet, inferri ſupra iam dictum eſt §. 4.. Per praedicata igitur entis originarii, ſummi etc. haud relationem ſiſtimus obiectiuam entis vere exiſtentis cum ceteris exiſtentibus, ſed relationem proponimus *ideae ad conceptum* de poſſibilitate entium omnino. Circa exiſtentiam autem entis tam eximii nihil omnino abſoluitur. Quum vero ratio non ſolum omnem cunctarum rerum poſſibilitatem ab vnica poſſibilitate ſummae ſcilicet realitatis vt fundamento ceterarum eliciat, ſed hanc quoque ſummam realitatem in vno aliquo ente originario comprehendat, inde quaeſtio oritur, vndenam petitum ratio hoc ſibi ſumat, ſiue quanam inducta ſpecie ſic iudicet. Ex iis autem, quae in analytica transſcendentali propoſuimus, facile quid ad hanc quaeſtionem reſpondeatur, deſumere poterimus. Manat enim inde error, vnde iam ſaepius rationem in falſa cognitionis transſcendentalis commenta vidimus induci, e neglecto ſcilicet phaenomenorum, vt quae ſola in notitiam noſtram poſſunt incurrere, et rerum per ſe ſiue noumenorum diſcrimine. Conſtat enim hoc quidem, nos *obiectum intuitionis* empiricum non poſſe omnimode determinare, niſi omnem realitatem phaenomenon ſiue materiam cognitionis empiricae vt in intuitione datam ſupponamus. Sub hac enim conditione vnice fieri poteſt, vt obiectum phaenomenon ſecundum negationem transſcender talem ſiue defectum realitatis perfecte cognoſcatur, quinam enim ſit defectus realitatis in obiecto, non niſi ex complexu omnis realitatis poteſt diiudicari. Quum vero haec, quam ratio poſtulat, totalitas realitatis in intuitione nequeat exhiberi, inde per prototypon transſcendentale quaerere ipſam et progreſſu continuo quam proxime poſſumus totalitatem conceptus de obiectis attingere iubemur. Quanto enim latius rerum extenditur cognitio,

co

eo plenior perfectiorque obiecti cuiuslibet notio efficietur. Neglecto autem eo, quod inter obiecta per intuitionem cognoscibilia et res per se siue noumena intercedit, discrimine illud, quod mere ad obiecta phaenomena spectat, principium omnimodae rerum determinationis, per limitationem summae realitatis instituendae, pro principio possibilitatis rerum omnium per se accipimus; sicque quod de obiectis sensibilibus vnice valet, ad res per se temere transferimus. Ortum igitur est prototypon transscendentale ex idea de omnitudine realitatis, quam vsus intellectus empiricus postulat, quaeque recte intellecta ad obiecta, quatenus dantur in intuitione, vnice pertinet. Huic autem deinceps ideae, quoniam per ipsam ens singulum omnimode posse determinari appareret, in substrato aliquo transscendentali realitas conciliabatur obiectiua, ita vt ens aliquod omnem in se comprehendens realitatem empiricam cogitaretur. Tum vero per subreptionem illam transscendentalem, quam meminimus, ens illud, ex quo omnem realitatem empiricam deriuandam esse censebant, pro fonte et principio possibilitatis rerum omnium omnino habitum est. Sic denique effectum est, vt ideae ad vsum mere empiricum intellectus, omnimodam conceptuum suorum determinationem quaerentis, comparatae, obiectum transscendens entis originarii supponeretur, quod in se perfectum, et omnimode determinatum, realitatisque omnis principium continens ex conceptibus meris posse cognosci, subtilius aliquanto quam ex vero metaphysici affirmauerunt.

CAPITIS TERTII
Sectio Altera.

De demonstrationibus rationis speculatiuae circa entis summi existentiam.

APOTOME PRIMA.

De demonstrationibus speculatiuis vniuersaliter spectatis.

§. 1.

Ratio ad existentiam obiectiuam prototypi transscendentalis demonstrandam inducitur, dum existentiae contingenti, quam experientia praebet, caussam supponit necessariam.

Quamuis naturali argumentationis progressu ratio a contemplatione entium finitorum ad ideam de omnitudine realitatis peruenire videatur, (qua scilicet ad obiectorum omnimodam, etiam secundum defectus, cogitationem ipsi opus est) indeque satis decliui tramite ad obiectum transscendens, cui omnitudo realitatis substantialiter inhaeret, statuendum deferatur, attamen quid ficti sit suppositiique in tali argumentatione, et quantum idea ab obiectiua distet realitate, ipsam nequit latere. Aliae igitur subesse debent caussae magis vrgentes, quibus ratio ad existentiam entis, quale in idea cogitatur, realissimi, quouis modo demonstrandam adacta fuit. Hae autem quae fuerint, facile est expeditu. Secuta enim ratio hoc sensus communis iudicium, existentiam nempe contingentium

non

non posse comprehendi nisi ens supponatur absolute necessarium, in quo cetera omnia fundata sint, quod supererat, hoc ens necessarium idem esse cum ente realissimo facile sibi persuasit.

§. 2.

Ratio in demonstranda entis realissimi existentia sic procedit in genere.

Primum, existentiam euincere studet entis alicuius necessarii siue eius quod absolute sit, et ab omnibus existentiae contingentis conditionibus liberum. Deinde, conceptum aliquem quaerit, per quem ens ab omni conditioni independens cogitari possit. Constat autem, id quod ipsum omnis reliquae existentiae conditionem sufficientem continet, siue in quo omnis realitas coniuncta cogitatur, absolutum esse debere, nec ab alia conditione superiori posse deriuari. Inde igitur summa realitas cum independentia existentiae in vno eodemque obiecto conciliatur; cumque id, quod realissimum est, et sine limite, vnum esse oporteat et summum, propterea et esse ens necessarium simul realissimum summumque, et versa vice, ens realissimum siue summum necessarie existere conclusum est.

Haec in genere est methodus, quam ratio in probanda entis realissimi existentia sequitur; satis illa quidem speciosa et ad intellectum communem aptissima. Omnis enim haec argumentatio ab experientia proficiscitur. Quotidie enim res commutari, ori, interire videmus; contingentia igitur sunt, quaecunque sub intuitum cadunt; et dum commutantur continuo, caussam supponunt commutationis. Omnis autem caussa, ad quam per synthesin empiricam perueniri potest, ipsa conditionata est et contingentis existentiae; vnde ad caussam aliquam necessariam extra experien-

 tiam

tiam fitam (ens extramundanum) rite concludi nobis perfuademus. Quicquid enim eft, aut ipfum neceffarium eft, aut aliud fupponit neceffarium, fub cuius conditione, non amplius contingenti, poffit exiftere. Nos autem nullam aliam praeter contingentium cognofcentes exiftentiam, propterea ad neceffariam illam debemus confugere. Sic fit, vt ratio, requiem in explorandis contingentium conditionibus quaerens, fupremam aliquam mundi fenfibilis cauffam neceffariam ftatuat, cuius exiftentiam certitudine apodictica probauiffe fibi blanditur, immemor limitum cogitationis humanae, cui nihil praeter phaenomenon datum eft, nec in noumenorum regione pedem certum licet figere.

Vltra mundum enim fenfibilem contingentis nulla eft fignificatio; ineft enim notioni contingentiae relatio aliqua phaenomenorum, quatenus in nexu experientiae nobis exhibentur, a qua ad aliquid extra omnem experientiam fitum haud valet conclufio. Simulac autem hoc potiffimum modo de entis neceffarii exiftentia perfuafum eft, tunc vlterius progrediens conceptum quaerit, per quem hoc ens neceffarie exiftens perfecte poffit cogitari. Nullus autem eft conceptus, qui per fe perfecte et omnimode determinatus fit, praeter conceptum de omnitudine realitatis, quae obiectiue cogitata fimul abfolutam entis perfectiffimi vnitatem inuoluit. Quum igitur hac tantum ratione ens neceffarium omnimode poffe determinari appareat, inde factum eft, vt quod ens affumebatur neceffarium ipfum fimul pro realiffimo haberetur, ficque prototypi transfcendentalis exiftentia per indirectum — ab exiftentia fcilicet entis neceffarii quod idem et realiffimum — probaretur.

§. 3.

Propterea quod entis realiffimi conceptus conceptui de ente neceffario egregie conuenit, tamen ad eius realitatem ob-

obiectiuam non valet consequentia. Licet enim certum est, si sit ens realissimum, *idem esse necessarium, tamen inuertere non licet argumentum, ita vt dicas quoniam est necessarium, propterea etiam idem est realissimum. Nam conceptus entis limitati, nec summa realitate praediti existentiae necessariae non repugnat.*

Entis realissimi notionem, quatenus in intellectu puro cogitatur, egregie congruere cum notione entis necessarii haud dubium est. Quod enim realissimum et, vt ita dicam, omnibus numeris absolutum atque in se perfectum est, id omnis conditionati possibilis conditionem vbique sufficientem continet, nec ipsius conditio aliqua vlterior, a qua pendeat, potest cogitari. Nec vllus est alius conceptus, qui tam completam independentis atque absolutae existentiae notam inuoluat. Hoc autem si concedimus, tamen inde nihil efficitur amplius, quam notionem summae realitatis maxime placere rationi, atque eam esse, quam potissimum cum cogitatione entis necessarii velit coniungere. Verum tamen propterea haud licet colligere, ens necessarium obiectiue siue quoad existentiam simul realissimum esse. Nam, quamquam ista ante alias placeat sententia, tamen, si enti necessario finitam tantum et limitatam realitatem tribuere cogitatione quis velit, nulla adest contradictio, potestque ens aliquod simul esse necessarium et non realissimum. Nam etsi non omnitudinem conditionum in ente limitato reperias, tamen id ipsum propterea conditionatum vt sit quoad existentiam haud necesse est. Nam plura assumere licet entia absolute necessaria, eaque omnia simul quoad realitates limitata, nec etsi conclusionem istam ab existentia contingentium ad existentiam entis necessarii concedimus, propterea simul entis quoque realis-

 simi

simi existentia demonstrata erit. Est igitur coniunctio ista a ratione inter ens absolutum idemque realissimum instituta mere subiectiua, nec ad existentiae entis realissimi obiectiuae probationem valet. Manet itaque prototypon transscendentale, etiam realitate entis necessarii concessa, pulcherrima quidem rationis supra humilia experientiae obiecta in sublime elatae idea, at ex iis, quae hucusque dicta sunt de ente necessario, nulla ipsi realitas obiectiua potuit conciliari. Senserunt hoc metaphysici philosophi, et quo maior in probanda Dei existentia a parte speculatiua apparebat difficultas, eo acrius ii omnes vires intendere, et pertinacissime insistere, omnibus modis sese torquentes, arroganti consilio, ausu fere temerario, maiestatem diuinam in tenuitate ingenii humani comprehendere, et augustissimum secretum artificio syllogismi pernoscere gestientes. Sunt tamen et ii, qui modestius et magis pro humanarum virium modulo, quae vestigia superantis omnia sapientiae in hac mundi incomparabili structura deprehenderant, legentes, a praestantia operis ad naturam opificis conclusionem instituerunt; at singulari et fere incredibili negligentia factum est, vt externae omnes naturae et mundi materialis testimonium petentes, ad astra prius vultum attollerent, quam in se ipsos sese recipientes, quem manifestissimum ibi eundemque sanctissimum diuinae naturae testem inuenire debuerant, interrogarent. Sed de hoc genere infra, iam de demonstrationibus speculatiuis vberius est dicendum.

§. 4.

Duplex est existentiae Dei modus, aut empirice ab experientia data incipiendo, aut mere a priori ex conceptibus. Empiricae argumentationis duae sunt demonstrationes, cosmologica, et altera, quam physico-theologi.

logicam nuncupare possis: ex conceptibus vna tantum institui potest, ontologica ista satis nota et celebrata antiquitus demonstratio.

Iam antea in demonstranda entis summi existentia aut ab experientia exiri, aut a conceptibus obseruatum est.

Ab obiectis empiricis ordientes, aut accurate definitae experientiae i. e. structurae mundi sensibilis, quatenus a nobis cognoscitur, sapientissime ac ornatissime instituta, argumentum superstruimus, aut indefinitam experientiam i. e. existentiam contingentem in genere pro basi assumimus, a qua ad ens necessarium ascendatur. Primi generis demonstratio physicotheologica est; alterius cosmologica. Superest ontologica, quoad fundamentum argumentationis plane diuersa, quippe quae ex conceptibus meris existentiam euoluere conatur, quae in ipsis lateat inuoluta. Plura hisce tribus demonstrationis genera cogitari nequeunt. Iam igitur perscrutandae omnes, et cuique pretium suum erit assignandum. Ordine tantum vtemur inuerso, ab ontologico incipientes argumento, quoniam hoc, vti in sequentibus demonstrabitur, ceteris omnibus fundamento est.

APOTOME SECUNDA.

De insufficientia argumenti ontologici.

§. 1.

In ente necessario demonstrando conceptus possibilitas logica cum possibilitate reali obiecti permutatur, quam enti necessario haud licet tribuere.

Quum, vti vidimus in superioribus, ratio ab existentia contingenti ad existentiam necessariam statuendam inducatur, inde factum est, vt citius de existentia entis necessarii demonstranda cogitarent, quam an tale obiectum realiter possit cogitari, satis perspectum haberent. De logica enim conceptus de ipso possibilitate haud ambigitur, sed nominalis exstat definitio entis necessarii: esse scilicet ens necessarium id, cuius non-existentia impossibilis sit siue contradictionem inuoluat. Quaenam autem sint conditiones, per quas necessario quodam modo adigamur, vt entis alicuius non-existentiam pro absolute impossibili habeamus, siue, num aliquid huic conceptui correspondens obiectum realiter possit cogitari, an vana sit et obiecto possibili plane destituta notio, hoc per istam conceptus definitionem haud edocemur. Permutatur autem logica ista conceptus possibilitas cum possibilitate obiecti reali; quodcunque enim vere possibile esse contenditur, illud intuibile vt sit, et cum conditionibus experientiae ita congruat, vt synthesis empirica aliquando nos ad ipsum traducere possit, requiritur. Quam late vero progressus syntheseos empiricae extenditur, attamen conditionate-necessariam solummodo existentiam exhibere valet, quae semper tolli potest, conditione simul sublata; absolutam omnino nequit. Omnino igitur notioni entis necessarii, siue eius, cuius non-existentia contradictionem inuoluat, possibilitas realis decerni nequit. Cogitatur igitur problematice quidem, verum, quum extra omnem intuitionis ambitum ponatur, nihil de ipso vlterius cognosci, nec vlla conceptus obiectiua determinatio circa possibilitatem aut impossibilitatem institui potest.

§. 8.

§. 2.

Ad illustrandam notionem entis, cuius non-existentia sit impossibilis, (necessarii) necessitate vsi sunt in propositionibus geometricis conspicua: sed temere; in his enim necessitas est iudicii logica, quae nihil facit ad realem obiecti adstruendam.

„Impossibile est, in triangulo non esse tres angu„los, ergo absolute necessaria trium angulorum in tri„angulo existentia ex conceptu demonstratur.„ Sic ratiocinando, magni aliquid sese attulisse opinantur, ad absolutae existentiae demonstrabilitatem illustrandam. Verum haec necessitas absoluta logica est, et analytice profluit secundum principium contradictionis ex conceptu trianguli. Haec autem logica iudicii mei necessitas rei tantum affert necessitatem conditionatam, sub hypothesi scilicet trianguli dati. Haud enim ab isto enunciato necessitas absoluta existentiae trium angulorum potest deriuari, sed id tantum efficitur, sub conditione trianguli dati necesse esse, vt tres in ipso anguli existant, quod quidem analyticum est et per se patet. Realis autem necessitas id inuoluit, vt existentia tolli nequeat omnino, siue vt ipsam tollere principio contradictionis prohibeamur. Existentiam vero trium angulorum vt tollamus, nihil est, quod vetare possit, triangulo simul sublato. Posito enim triangulo tres angulos negare, vtique contradictorium est; at triangulum ipsum vna cum angulis vt tollas, nulla est, quae impediat, contradictio. Prorsus idem vero in ente summo per se necessario, vti perhibent, fieri licet. Existentia ipsius sublata, ipsum cum omnibus suis praedicatis tollitur, nec vndenam contradictio oriri possit, perspicitur. Deum, siue ens realissimum esse omnipotens, aeternum etc. necessarie consequitur, Deo existente supposito, at si „Deum non esse„ per-

hibeas, nihil est, quod huic obstare possit assertioni contradictorium. Necessitas enim, quae in Deo requiritur, interna est, omne vero internum simul cum existentia tollitur. Vrgent nihilominus, dari obiectum affirmantes, quod tolli nequeat; id quod idem est, ac dari ens absolute necessarium; iamque ad id retrogressum est, vnde exieramus, et probanda erit ea, quam supra in dubium vocaueramus, eiusmodi suppositionis possibilitas. Hanc autem numquam posse demonstrari, etiam vel hebetissimus statim intelliget. Quis est enim, qui ens aliquod cogitatione sibi fingere possit, quod si cum omnibus praedicatis suis tollatur, inde contradictio oriatur. Haec autem nisi demonstretur contradictio, nulla est secundum conceptus puros a priori, quibus omne nostrum transigitur argumentum, impossibilitatis non - existentiae nota; ita vt nec, quo tandem modo impossibilitas non - existentiae cogitari possit in ente aliquo, demónstrari queat. Haud tamen eo contenti, quouis modo sese conuertunt torquentque metaphysici, ratiociniis nostris factum, vti perhibent, opponentes. Postulant enim vt ipsis concedatur, ens aliquod posse cogitari; quod omnes in se realitates comprehendat.

Huius autem conceptum perhibent inuoluere necessariam ipsius existentiam; realiter igitur cogitari ens necessarium, quoniam ens realissimum necessariam habéat existentiam. Iam igitur propius hoc argumentum ontologicum considerandum est.

§. 3.

Demonstratio ontologica a Cartesio inprimis tentata hoc syllogismo potest comprehendi. Postulatur ens realissimum esse possibile; deinceps sic concluditur:

Enti realissimo omnia competunt praedicata realia.

Existen-

Existentia est praedicatum reale.
Ergo enti necessario competit existentia;

sicque ex notione entis realissimi, quod vt possibile supponitur, necessitas existentiae consequitur. *)

§. 4.
Confutatio argumenti ontologici.

Egregium sane rationis humanae commentum, quo incredibili quadam facilitate a suppositione possibilitatis ad existentiam transilitur! Vt enim possibilitatem concedamus eiusmodi obiecti, quod per conceptum realissimi entis cogitatur, — quamquam absentia contradictionis in conceptu nequaquam ad realem obiecti notioni correspondentis possibilitatem probandam sufficit — **) attamen qua tandem quaeso subtilitate

*) Conf. Renat. Cartesii princ. philos. Amstelod. 1644. 4to. pars I. p. 5. „Mens, quae se ipsam nouit, cogitationem suam vltra „extendere quaerens, inuenit communes quasdam notiones et „ex his varias demonstrationes componit; ad quas quamdiu „attendit, omnino sibi persuadet, esse veras. — Considerans „deinde inter diuersas ideas, quas apud se habet, vnam esse „entis summe intelligentis, summe potentis, et summe perfe„cti, quae omnium longe praecipua est, agnoscit in ipsa exi„stentiam, non possibilem et contingentem tantum, quemad„modum in ideis aliarum rerum, quas distincte percipit, sed „omnino necessariam et aeternam. Atque vt ex eo, quod ex„empli caussa percipiat, in idea trianguli necessario contineri, „tres eius angulos aequales esse duobus rectis, ita ex eo solo, „quod percipiat, existentiam necessariam et aeternam in entis „summe perfecti idea contineri, plane concludere debet, ens „summe perfectum existere, ad cuius ideam nobis ingenitam „respicientes, videmus, illum esse aeternum, omniscium, om„nipotentem, omnis bonitatis veritatisque fontem, rerum om„nium creatorem„

**) A logica possibilitate (conceptuum) ad possibilitatem realem (obiectorum) non valet consequentia. Conceptus enim semper

litate vltra hanc ipſam poſſibilitatem ad exiſtentiam transgredimini? Nonne intelligitis, vos in ente, quod vt poſſibile tantum debeat cogitari, praedicata ponere, tanquam per ſe exiſtentia, et neceſſitatem hypotheticam praedicatorum ſub conditione exiſtentiae eius, quod poſſibile tantum erat, valentem, cum neceſſitate abſoluta per ſe confundere? Entis enim, cuius exiſtentia problematica eſt et mere poſſibilis, praedicata omnia, quamuis ad conceptum eiusdem neceſſarie pertineant, tamen quoad exiſtentiam poſſibilia ſunt tantum; nec niſi ſuppoſita entis ipſius exiſtentia neceſſarie cum ipſo exiſtere cogitantur. Etiamſi igitur hoc vobis daremus — quod tamen falſiſſimum eſſe iamiam demonſtrabitur — eſſe exiſtentiam praedicatum reale, tamen nihil omnino proficietis. Sic enim ſyllogiſmus veſter, remota, quam per ſubreptionem indideratis, exiſtentia, reſoluendus erit:

Quicunque ens realiſſimum poſſibile (hoc enim eſt, quod vobis largitum erat) cogitat, omnia ſimul praedicata in ipſo realia cogitari debet.

Exiſtentia eſt praedicatum reale

Ergo ſimul cum poſſibilitate exiſtentia entis realiſſimi neceſſarie cogitanda eſt.

Profluit igitur ſic quoque nihil, praeter neceſſitatem cogitationis in ſubiecto, ens realiſſimum cogitante, quae quantum diſtet a neceſſitate reali ſiue, vt ita dicam, perſonali obiecti cogitati, quis eſt qui non intelligat? Si enim cogitationem tollo, ſimul concidit exiſtentia in conceptu meo vna cum obiecto tanquam prae-

per poſſibilis eſt, quando ſibi non contradicit. Attamen nihilominus vacuus eſt et inanis, niſi aliquod argumentum accedat, ex quo obiectiua realitas ſyntheſeos, quam conceptus continet, deduci poſſit. Haec autem obiectiua realitas nec ex principiis experientiae poſſibilis, vti ſupra demonſtratum eſt, deduci, nec ex principio analytico contradictionis poteſt deriuari.

praedicatum eius reale cogitata; quumque ens realissimum merum sit ens cogitationis, quam ad ipsius conceptum pertinere dicitis existentiam, ea quoque nullibi est, nisi in cogitatione vestra. Inde autem quod, si ens realissimum cogito, illud non possim non vt existens cogitare, quonam modo deducitis, illud vere existere? Remouete cogitationem, tolletis existentiam; intus est in vobis, in cogitatione vestra, a qua exeuntes, quomodo obiectum ipsi correspondens extra vos inuenietis? Dicitis: ens realissimum si possibile est, etiam existens; atqui est possibile, ergo existens, sicque subiectiuam vestram cogitationem argute remouetis.

Verum illud „est possibile„ nihil inuoluit praeter absentiam contradictionis in conceptu. Dicite igitur: ens realissimum vt cogitari possit, existentia eius simul cogitanda est, et videbitis nullam vim esse argumento vestro, quum, quod distat inter necessitatem cogitationis et necessitatem realem, explere non valeat. Hactenus ex concessis disputantes, etiamsi minor syllogismi propositio rite poneretur, nihil profici demonstrauimus, sed simile aliquid fieri eius, qui e possibilitate trianguli absolutam trium angulorum existentiam probare studet. Iam vero propius ad argumentum ipsum accedendum est. Primum ad argumentum in genere hoc adhuc est obseruandum.

Enunciatum illud „ens aliquod existit„ num analytice dicitur vel synthetice? Si analytica est propositio, tunc existentia iam ad possibilitatem pertinet, a qua illam vos deducturos esse profitemini, et illud „ens realissimum existit„, idem est, ac si diceretis, existens aliquod existit. Idem igitur demonstratis per idem, et petitionem committitis principii, id, quod probandum erat, iam antea statuentes. Si vero syntheticam esse propositionem illam nobiscum fatemini,

hoc

hoc velim memineritis, praedicatum exiſtentiae tunc ſine omni contradictione tolli poſſe. In analyticis enim propoſitionibus, vbi praedicatum ad ſubiectum pertinet neceſſarie, id ſine contradictione tolli nequit; in ſyntheticis ſi tollatur, nulla eſt contradictio, quoniam ad conceptum non pertinet, et conſequenter ab ipſo ſeparari poteſt. Concidit igitur ex conceptibus petita veſtra neceſſitas exiſtentiae; illa autem, quae per ſyntheſin empiricam cognoſcitur, neceſſitas exiſtentiae, vt conditionata, in ens abſolute neceſſarium, vt empirica in id, quod ſupra omnem experientiam eminet, cadere omnino nequit.

Sed iam an haec, quam praetenditis, exiſtentia reale vocari poſſit praedicatum videbimus. Reale praedicatum eſt conceptus de eo, quod ad notionem rei cuiusdam vt eius elementum addi poteſt, et additum ipſum quaſi nouo elemento auget atque amplificat. Exiſtentiam ſiue τὸ εἶναι non eſſe eiusmodi praedicatum, quod, diuerſum ab aliis praedicatis, ipſorum numerum et per conſequens volumen quaſi conceptus augeret, in aprico eſt. Eſt enim exiſtentia rei ipſius omniumque ipſius determinationum poſitio, per quam conceptui correſpondens obiectum, quod aliquando in perceptionem incidere poſſit, conſtituitur. Verum conceptus ipſe de obiecto prorſus iam completus eſſe poteſt, antequam de eius exiſtentia anquiratur, nec, ſi completa non eſt notio, per exiſtentiae poſitionem quod ipſi deeſt adiicietur. Conceptus igitur rei per poſitionem eiusdem vt exiſtentis nullum incrementum accipit, alias enim ipſum hoc, quod cogitaueram, ante exiſtentiam non fuiſſet complete cogitatum; quum tamen id quod non exiſtit nihilominus complete ſecundum omnia praedicata cogitari poſſe, nemo inficias ire poſſit. Decem enim cogitando ſeſtertia, tam complete ipſa cogito, quam ſi vere data

ta

ta essent: fac, vt dentur sestertia, nihil ad ipsorum, quem habebam, conceptum accedet. Quid enim sit sestertium, et decem quantum faciant, perfecte noueram; sed prorsus noua oritur cogitatio de obiecto in intuitione dato, et ad nexum experientiae pertinente, quae ad conceptum meum nihil facit omnino. Haud igitur praedicatum reale, quasi ab aliis praedicatis distinctum appellare licet existentiam, sed est obiecti conceptui per se completo correspondentis positio. Concidit igitur omne illud argumentum ontologicum, et ex conceptu existentiam deriuari vnquam posse, desperandum est. Vt enim ad existentiam peruenias, exeundum est ex conceptu, et synthetice additur existentia in praedicato. Talis autem synthesis in ea propositione, ens realissimum existit, omni fundamento destituta est. In obiectis enim experientiae intuibilibus in perceptione repositum est istius coniunctionis fundamentum, qua quum obiecta noumena omnino destituantur, existentia eorum nullo modo potest probari.

APOTOME TERTIA.

De insufficientia argumenti cosmologici.

§. 1.

Argumentum cosmologicum ab existentia entis alicuius necessaria ad eiusdem summam realitatem concludit; sicque ab experientia incipiens, fundamento satis firmo niti videtur, et rationi magis arridet, ontologico isto, meris conceptibus superstructo.

Ontologicum illud, cuius censuram iam nunc absoluimus, argumentum, originis suae vestigia secum ferens, numquam intellectui communi nec placuit nec

potuit

potuit placere. Requiem enim et ſubſiſtendi terminum legitimum quaerens ratio, dum in contingentibus exiſtentiis nullibi inueniretur, neceſſariam aliquam exiſtentiam ſuppoſuit, eamque abſolutam et a priori certam. Haec autem nec in ea, quae omni permutabili fundamento eſt, ſubſtantia perſiſtenti poni poterat. Hanc enim vt non exiſtentem omnino cogitare ſeu tollere in conceptu licet. *) Quaerebat igitur ratio conceptum aliquem, qui ipſe iam exiſtentiam obiecti ſui inuolueret. Hunc autem in conceptu entis realiſſimi inueniſſe rata, artificioſe magis quam probabiliter demonſtrationem exarauit, quae quoque, eam vertas inuertasque, neſcio quid duritatis et inconſequentiae inuoluit; dum ex idea et commento rationis exiſtentiam poſſe deriuari intellectus communis numquam poterit ſibi perſuadere.

Argumentum coſmologicum, dum ab experientia incipit, vitium illud arbitrariae fictionis, quod in onto-

*) Antiqui philoſophi omnem quidem naturae *formam* contingentem, *materiam* vero *ipſam* originariam et neceſſariam eſſe putabant. Cuius quidem opinionis haec potiſſimum cauſſa eſſe videtur, quod materiam ſemper reſpectiue tantum ad commutationes ſtatuumque ipſius vices, haud vero vt exiſtentem per ſe conſiderarent. Quod ſi feciſſent, abſoluta ſimul, quam ipſi tribuebant, neceſſitas concidiſſet. {Nihil enim eſt quod rationem impedire poſſit, quo minus hanc exiſtentiam ſemper et ſine contradictione cogitatione tollat. Hoc quidem negari nequit, eſſe extenſionem et impenetrabilitatem, quae ambo conceptum materiae conſtituunt, ſummum vnitatis phaenomenorum principium, quod empirice poſſit conſtitui; verum quum quaeuis materiae determinatio rurſus vt effectus conſiderari debeat, qui ipſe cauſſam vlteriorem ſupponit, omniſque ipſius realitas deriuata tantum ſit et hypothetice neceſſaria, inde efficitur, materiam ſiue in genere omne, quod ad mundum pertinet, ideam entis ſummi abſolute neceſſarii haud poſſe explere, hoc igitur ſiquidem ponendum eſt, extra mundum omnino poni debere.

ontologico notauimus, deuitare videtur; ſed videtur tantum; omnem enim in ipſo neruum probationis ab ontologico argumento petitum eſſe intelligemus.

§. 2.

Argumentum coſmologicum partibus duabus comprehenditur; in argumentationis parte prima exiſtentia entis neceſſarii probatur, altera idem eſſe et realiſſimum demonſtratur.

1) Si aliquid exiſtit, etiam ens aliquod neceſſarium oportet exiſtere.

Atqui, ſi nihil aliud, ſaltem ego ipſe exiſto.
Exiſtit igitur ens neceſſarium.

2) Enti neceſſario a quouis praedicatorum poſſibilium pare vnum tantum poteſt competere, quoniam nulla in ipſo permutatio, nullae exiſtentiae ipſius vices cogitari poſſunt. Eſt igitur ens neceſſarium omnimode determinatum per conceptum ſuum. Vnus autem ſolummodo datur conceptus, qui ens aliquod a priori omnimode determinat, conceptus ſcilicet entis realiſſimi. Nulla igitur notio eſt, per quam ens neceſſarium cogitari poſſit, praeter notionem entis realiſſimi. Ex quo conſequitur, idem quod neceſſarie exiſtit ens, et eſſe realiſſimum, ſiue ens realiſſimum ſummum, *Deum* denique neceſſarie exiſtere. *)

Hanc

*) Hoc eſt argumentum, quod Leibnitius argumentum a contingentia mundi appellabat. „Alterum eſt principium; rationis „ſufficientis, vi cuius conſideremus, nullum factum reperiri „poſſe verum, aut verum exiſtere aliquam enunciationem, niſi „adſit ratio ſufficiens, cur potius ita ſit, quam aliter. Ratio „ſufficiens reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus „vel facti, hoc eſt in ſerie rerum, quae reperitur in vniuerſo „creaturarum. — Et quemadmodum tota haec ſeries non ni„ſi alia contingentia anteriora innoluit, quorum vnumquod-

 „que

Hanc demonſtrationem haud ſicut ontologicam iſtam a priori vnice deductam eſſe ſed experientiae ipſi elementum aliquod admixtum eſſe, apparet. Obiectum autem omnis experientiae poſſibilis mundus eſt, idem qui Graecis κοσμος, ex quo vnde petitum argumento nomen coſmologico indiderimus manifeſtum fit. Quod ad eius partem priorem attinet, hoc in genere obſeruandum eſt, in ſyllogiſmi propoſitione minori contineri experientiam, in maiori autem ab experientia omnino ad exiſtentiam neceſſarii entis concludi, quae quidem conſequentia notiſſima eſt, et legi cauſſalitatis, quae pro transſcendentali rerum omnium per ſe cognoſcendarum principio per ſubreptionem habita fuit, ſuperſtructa. Experientia autem in hac demonſtratione ad id tantum adhibetur, vt nos ad exiſtentiam entis cuiusdam neceſſarii in genere traducat. Hoc autem ens quale ſit per experientiam nullo modo poteſt demonſtrari. Deſerit igitur nunc ratio cognitionem empiricam, et eſſe neceſſarium illud ſimul

„que ſimili analyſi opus habet, vbi rationem reddere voluerimus, progreſſus nil iuuat; neceſſe eſt, rationem ſufficientem „ſeu vltimam extra ſeriem contingentium reperiri, quantumuis „infinita ponatur. Propterea quoque ratio vltima rerum in „ſubſtantia quadam neceſſaria contineri debet, in qua ſeries „mutationum nonniſi eminenter exiſtat tanquam in fonte ſuo. „Atque iſtud ens eſt, quod Deum appellamus. Iam cum ſubſtantia iſta ſit ratio ſufficiens omnis iſtius ſeriei, quae etiam „prorſus connexa eſt; nonniſi vnus datur Deus, atque hic Deus ſufficit. Iudicare etiam licet, quod ſubſtantia iſta ſuprema, quae eſt vnica vniuerſalis et neceſſaria, — cum nihil „extra ſe habeat quod ab ea non dependeat — limitum capax „eſſe nequit, et omnem realitatem poſſibilem continere debet. „Vnde ſequitur, Deum eſſe abſolute perfectum, cum perfectio „non ſit niſi magnitudo realitatis poſitiuae praeciſe ſumta, ſepoſitis rerum limitationibus.„ Conf. Leibnit. Princip. Philoſ. ſeu theſes in grat. Princip. Eugenii 32 — 41. Opp. Tom. II. p. 24. 25. edit. Geneuenſ. 1768.

ſimul realiſſimum et ſummum ſiue Deum, ex meris conceptibus deducere audet. Incidit igitur in argumentum ontologicum ſupra exploſum, vti iam ſequenti paragrapho vlterius explicabimus.

§. 3.

Argumentum coſmologicum ad demonſtrandam Dei ſiue entis realiſſimi neceſſariam exiſtentiam vim capit ex ontologico, ideoque ſimul cum iſto corruit.

Vt iam argumenti coſmologici partem priorem miſſam faciamus, age ponamus exiſtere ens aliquod neceſſarium, indefinitum quale ſit, et videamus, an ab hac exiſtentia neceſſaria recte concludatur ad omnitudinem realitatis in ipſo. Quod ſi ſecus fit, tunc eſſe quidem aliquod neceſſarium, haud vero Deum eſſe demonſtraueritis. Tranſitus autem ab exiſtentia neceſſaria ad realiſſimam eandem et ſummam hac potiſſimum ratione inſtituitur. Poſito ente neceſſario ratio in intuitione nullum eiusmodi obiectum dari intelligens, ex conceptibus quale ſit illud, aut ſub quibusnam cogitari debeat praedicatis, deriuare ſtudet. Inter omnia igitur entia cogitabilia vnum quaerit, quod omnia in ſe contineat exiſtentiae neceſſariae requiſita. Quoniam autem ens neceſſarium, vt omnis exiſtentiae commutabilis ſumma conditio, ipſum commutationi obnoxium eſſe nequit, inde efficitur, ipſi ex oppoſitione praedicatorum poſſibilium vnum neceſſarie competere. Erit igitur omnimode determinatum. Nulla autem notio eſt, quae omnimodam obiecti ſui determinationem afferat, quam notio entis realiſſimi, ſola ea, quae abſolutae neceſſitatis conceptum explet, ſiue enti neceſſario cogitando adaequata eſt. Hoc igitur argumento niſa ratio ens neceſſarium vt realiſſimum cogitari debere confidit. Verum acutius ſubtilitatem iſtam perſpicientes, ita nos ex hiſce

sophisticationum ambagibus expediemus. Quicunque notionem entis realissimi solam atque vnicam esse contendit, per quam existentia necessaria cogitari possit, ille quoque implicite profitetur, ex notione entis realissimi ad existentiam eiusdem necessariam rite concludi. Vnde enim quaesumus arcessitam vos synthesin istam seu coniunctionem conceptus entis realissimi cum existentia necessaria tenetis? Ab experientia non tenetis; ens enim realissimum non est obiectum experientiae; igitur ex conceptibus. Sin autem notionis de ente realissimo cum notione entis necessarii coniungendae rationem ex conceptu ipso repetitis, tunc analytica est ambarum coniunctio, et existentia necessaria in ente realissimo iam inuoluta est, ita vt ab hac ad illam valeat consequentia.

Hoc autem idem est, quod argumentum ontologicum probare conabatur. Argumentum igitur cosmologicum indefinitam quidem sistit existentiae alicuius necessitatem, quod vero vltra est, hoc nimirum necessarie existens esse Deum, siue Deum necessarie existere, ex demonstratione ontologica repetit.

§. 4.

Confutatio argumenti cosmologici per inuersionem.

Quum omnia, quae in ratiocinio aliquo peccata fuerint, per nudam et ad praescripta logices efformatam expositionem optime perspiciantur, iuuat argumentum quoque cosmologicum huic scrutinio admouere. Si verum est, quod aiunt metaphysici, et in quo omne argumentum cosmologicum vertitur, esse scilicet quoduis ens necessarium simul realissimum, inde hoc iudicium, qua assertorium, inuerti per accidens posse debet, ita vt quaedam entia realissima simul esse necessaria inde emergat. Quum vero nullum ens realissimum ab altero diuersum esse possit, inde

de quod valet de vno etiam de omnibus valere debet. Propofitio igitur noftra, quodlibet ens neceffarium effe fimul realiffimum, iam nunc generaliter fic poterit inuerti: „Omne ens realiffimum eft neceffarium„. Hoc autem idem eft, quod argumentum ontologicum poftulat; quare id, quod fupra pofueramus, omnem vim demonftrationis cofmologicae ab ontologica repeti, illoque euerfo hoc fimul concidere, iam perfpicitur.

§. 5.

Singula quaedam vitia, quae in argumento cofmologico reperiuntur.

Singula iam nunc quaedam vitia recenfere libet, quibus argumentum cofmologicum abundat, vt inde eo magis eluceat, quanta cautione opus fit, ne intellectus principia vltra obiecta experientiae, quibus cognofcendis vnice comparata funt, extendendo in errores fpecie aliqua veri fatis fplendidos abducamur.

Primum igitur a contingenti ad cauffam neceffariam fenfu tranfcendentali concludi videmus. Hoc autem principium cauffalitatis, vti faepius iam demonftratum eft, intra mundum quidem fenfibilem valet, et lex eft experientiae inftituendae a priori. Verum extra hunc mundi, cuius ad nos notitia pertinet, complexum adhiberi nequit, nec eius ope ad ftatuendum aliquod ens intelligibile adiuuari poffumus. Ex commutationibus quidem in mundo fenfibili recte ad ipfius contingentiam empiricam fiue ad dependentiam a cauffis empiricis hafce commutationes determinantibus concluditur. Verum hic non de contingentia empirica fubftantiae phaenomenon, fed de contingentia intellectuali fubftantiae per fe (exiftentiae in genere) concluditur. Contingentia autem intellectualis, fecundum quam exiftentia fubftantiae talis eft, quae cogita-

tione tolli possit, nihil habet in se, ex quo caussalis nexus efficiatur. Quodnam enim esse potest vinculum inter conceptum eius quod non-esse possit et notionem caussae? Haud igitur ab hac contingentia praedicamenti ad caussam aliquam extra experientiae complexum sitam synthetice licet procedere. Quum enim synthesis in enuntiato isto: „omne contingens caussam habet„ vnice per experientiam concilietur, inde hac deserta principio caussalitatis nullum amplius esse significatum, emergit. Quod igitur vnice in mundo sensibili valet principium, si huius ope in intelligibilem transscendimus, perperam fit. Secundo loco *ignorationem*, quam dicunt, *elenchi* in hac demonstratione inveniemus. Ab empirico enim regressu caussarum sibi inuicem superimpositarum incipiens ad caussam aliquam summam et absolutam omni conditione liberam recto itinere tendere videtur, at mox intelligens talem non inueniri in hoc regressu, deflectitur in curuas ontologicae demonstrationis ambages, quodque promiserat, empiricum argumentum, in subtilitates mere scholasticas abit. Tertio loco inest huic argumento, quod falsa aliqua requie atque illusoria rationi blanditur, dum omnis vlterior perquisitio per terminum legitimum in existentia absolute necessaria positum finiri videatur. Haud vero sine magno sanae perscrutationis detrimento fieri potest, vt id, quod nullo modo intelligitur nec mente quidem concipi potest, necessitas scilicet absoluta, quam si cogitatione adeo remoueas, contradictorium sit, — pro principio omnis naturae rerum explicandae ponatur. Prona enim etiam per se ratio ad omnia comprehendenda, nihil incognitum relinquendum, iam per se nimis inclinat ad facilitatem coniunctionis, dummodo speciosa ipsi proponantur argumenta.

Denique, id quod haud leuissimo ipsi vitio damus, in omni hoc argumento possibilitas conceptus logici

logici de totalitate realitatis in vno eodemque subiecto coniuncta, cum reali eiusmodi subiecti possibilitate permutatur, nec animaduersum est, ad possibilitatem logicam nihil praeter absentiam contradictionis requiri, in reali autem synthesin postulari empiricam et nexum cum conditionibus experientiae, qui in ente suprasensibili nullus potest cogitari.

* * *

Epilogus ad sectionis alterius apotomen primam et secundam.

Exponitur caussa, cur ratio tam lubenter ad fidem argumentis transscendentalibus de existentia entis necessarii addendam inclinet; simulque esse ideam de prototypo transscendentali non constitutiuum, quale communiter supponitur, sed regulatiuum rationis principium, quod principium conuenientiae appellare licet, *) *ostenditur.*

Vtraque earum, quas hucusque exposuimus, demonstratio more transscendentali et libere a conditionibus empiricis instituta est. Quamquam enim argumentum cosmologicum existentiam aliquam sibi fundamenti loco supponit, tamen non ex speciali quadam huiusce existentiae natura, quae empirice cognosceretur, sed ex puris rationis principiis, ad existentiam in apperceptione empirica datam relatis, omne argumentu

*) Cfr. „De mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis. Dissertatio, quam pro loco professionis log. et metaphys. ordinariae rite sibi vindicando publice tuebitur Immanuel Kant. Regiomonti 1770. Impensis Kanteri„; vbi sic ait vir summus p. 37. „Voco autem principia conuenientiae „regulas illas iudicandi, quibus libenter nos submittimus et „quasi axiomatibus inhaeremus, hanc solam ob rationem, quia, „si ab iis discesserimus, intellectui nostro nullum fere de ob„iecto dato iudicium liceret„.

mentum translatum est. Quia adeo fulcro isto derelicto res omnis mox, vti vidimus, ad meros conceptus traducitur. Quaerere autem iam nunc superest, quaenam sit caussa speciei istius, dialectices quidem, at ex intellectu communi satis naturaliter derivatae, qua decepti ideae entis necessarii summique realitatem supponimus obiectiuam? siue, quanam quasi fatalitate adacti necessarium aliquod inter existentia ponere adigamur, et simul tamen nulli argumentorum satis audacter confidamus; et quo tandem modo ex hac opinionum contrariarum incerta fluctuatione constans sibi ac quieta persuasio effici possit? Qui aliquid saltem existere supponit, naturali quodam syllogismo ad supponendam existentiam necessariam compellitur. Conditionem enim quaerens, ex qua existentia aliqua empirice contingens possit deriuari, hanc ipsam contingentem rursus esse inuenit. Requies igitur nulla datur, nisi in absolute necessario aliquo subsistatur. Hoc est, vnde vim suam capit argumentum cosmologicum, haec caussa est, quae rationem in ipsius assensum rapit. Ex altera autem parte nihil omnino ita cogitari posse apparet, vt necessitas adsit existentiam ipsius absolute ponendi. Pone enim qualemcunque vis de obiecto aliquo conceptum; nullus erit qui existentiam includat. Nihil enim impedit, quin sine discrimine existentiam omnem cogitatione tollam, qua sublata contradictio non adest; nihil est enim, cum quo repugnantia existat. Hoc est, quod assensum, in quem cetera satis proni deferimur, impedit ac suspendit. Videmus enim, rationem quidem dum existens aliquod ponit simul necessariam inferre existentiam, at eandem tamen non posse necessarium aliquod per se cogitare. Sic igitur *regressus* ad conditiones existentiae positae numquam terminatur, nisi ente necessario assumto; *progressus* autem in deriuandis contingentibus ab existentia necessaria nequit instituti;

ſtitui; nihil enim eſt quod vt neceſſarium per ſe debeat cogitari. Si ad exiſtentiam in genere explicandam neceſſarium aliquod aſſumere cogimur, nec tamen id in cogitationem noſtram poteſt incurrere, quod per ſe foret neceſſarium; *inde luce clarius efficitur, nec neceſſitatem nec contingentiam ad res ipſas ſpectare.* Alias enim ens neceſſarium ad obiecta cognitionis noſtrae pertineret, nec tamen poſſet cogitari; id quod contradictionem inuoluit. Nec igitur principium illud, quod rationem inducit ad exiſtentiam abſolutam quaerendam, obiectiui aliquid habet, aut pro conſtitutiuo accipi poteſt, ſed mere ſubiectiuum eſt et regulatiuum. Dum igitur, vti ſupra vidimus, principium illud neceſſariam exiſtentiam poſtulat, vbi contingens data eſt, ſic eſt intelligendum: ita philoſophandum eſt circa obiecta exiſtentia, quaſi omnium, quae ad exiſtentiam pertinent, neceſſaria aliqua atque prima cauſſa ſubeſſet, eum ſcilicet in finem, vt omnis veſtra cognitio ad vnitatem et concentum ſyſtematis componatur, et perſcrutando ſemper vlterius ad cauſſas primas tendatis. Quando vero cenſura rationis nos monet, iſtam neceſſitatem in ente aliquo, vt exiſtenti poſito, cogitari non poſſe, hoc agit vt neceſſitatem iſtam eſſe *formale* cogitationis principium — *non obiectiuum* recordantes, omnem, quae data eſt, exiſtentiam pro conditionata ſemper habeamus, nec completam conditionum totalitatem nos eſſe aſſecutos vnquam opinemur. Eſt igitur prototypon entis ſummi nihil aliud, quam principium rationis regulatiuum, quo omnem nexum coſmicum ita iubemur conſiderare, quaſi a cauſſa aliqua ſumma et neceſſaria originem trahat, eum ſcilicet in finem, vt ad hoc principium vnitas ſyſtematica et neceſſaria ſecundum leges vniverſales in explicando rerum ordine comparetur. Tale autem principium quantum diſtet a poſitione exiſtentiae

per se necessariae et ex notionibus demonstrabilis; in propatulo est. Omnis autem conatus rationis, cognitionem, cui prorsus impar est, arrogare sibi tendentis, ex subreptione transscendentali oritur; dum scilicet id, quod formale et regulatiuum est, pro constitutiuo principio accipitur. Sicuti igitur spatium, quamuis subiectiuum sit sensualitatis principium, illusione fere necessaria pro obiecto substantiali a priori dato habemus; sic et idea ista de ente realissimo, quae, vt vnitati systematicae nexus rerum naturalium cosmici consulatur, necessarie supponenda est, in obiectum aliquod reale transformatur, quod idem, quoniam summa in ipso quaeritur rerum omnium conditio, vt necessarium proponimus.

Manifestatur autem haec subreptio, simul ac idem, quod respectu cosmico absolute necessarium videbatur, vt substantiam per se consideramus. Tunc enim absolutam necessitatem cogitari non posse, sed eam tantum esse formalem cogitationis, haud vero materialem existentiae conditionem, apparet.

APOTOME QUARTA.

De insufficientia argumenti physico-theologici.

§. 1.

Argumentum physico-theologicum ab experientia accurate definita siue ab ordine rerum admirabili, quem compertum habet, ad existentiam entis summi concludit.

Quum iam ex iis, quae hucusque allegata sunt, id satis constet, nec ex notionibus meris nec ab experientia existentiae alicuius indefinitae supposita, existentiam entis summi demonstrari posse, hoc vnum superest, vt videamus, an experientia fortassis accurate

rate inſtituta rerumque in mundo conſpicuarum ſecundum certas leges diſpoſita ordinatio nos ad entis ſummi exiſtentiam poſſit traducere. Eſt enim in tali argumentatione, quod ſenſui communi arrideat, eſt quod rationem vltro ſequentem in rerum omnium ſummi moderatoris venerabundam admirationem abripiat, nec iniuria Peripateticorum ille haud ignobilis Olympiodorus ait, naturalia primum pernoſcenda, deinde ad Dei notitiam accedendum eſſe. *)

§. 2.

Argumentum phyſico-theologicum ſic ferme habet.

In mundo, quanti eius ad notitiam noſtram peruenit, rerum omnium forma cernitur finalis, ad adimplendos excelſioris ſapientiae fines aptiſſime conſtituta, tantusque conſpicitur omnium inter ſe ordo et ſingulorum decor, vt ſiue cuncta per immenſum ſpatii vniuerſalis complementum velis percurrere, ſeu ſingulorum concinnam diſpoſitionem infinita partium decompoſitione perſequi gaudeas, nulla ad tot miraculorum elocutionem lingua ſufficiat, nec numerus tantae copiae comprehendendae idoneus reperiatur. Stupet enim haec tam ingentia contemplando omnis cogitatio, et admirabundum ſilentium omni ſermone diſertius, quid pectus bene conſtitutum ſentiat, eloquitur. Vbicunque enim nos conuertamus, ſeries cernitur cauſſarum atque effectuum arctiſſime connexa, vbique fines, et ad ipſos media aptiſſime prouiſa, rerumque ortus et interitus ſucceſſionumque vices ad leges certas inuariabiliter conſtitutae. Quumque nihil propria vi aut virtute in eum ſtatum, in quo reperitur, peruenerit; inde quodcunque exiſtit reſpicit atque conducit ad aliud, a quo vt cauſſa efficienti pendet,

*) Τα φυσικα δει πρωτον μανθανειν και ὑστερον θεολογειν.

det, idque ipſum eandem rurſus non permittit ſolum, ſed flagitat quaeſtionem, ita vt omnia ſuſpenſa ſine fundamento in nihilum recidere neceſſe ſit, ni ens aliquod exiſtere aſſumatur, quod extra immenſam hanc atque infinitam contingentiam poſitum, ipſumque a ſe et independenter exiſtens hoc vniuerſum ſuſtinet, et effectuum ſeriem abſoluta cauſſalitate claudit; quodque ſicuti omnis contingentis originem et principium, ſic et rationem durationis eiusdem ſufficientem continet. Hanc autem ſummam huiusce vniverſi cauſſam, quum ſupra omnem, quae nobis nota eſt, praeſtantiam, vt ab ipſo deriuatam, longe elata ſit, nihil impedit quin etiam omni poſſibili anteponamus, conſummatum in ipſo omnis praeſtantiae et realitatis exemplar cogitantes. Nec enim alio modo determinatum de ipſo conceptum haberemus, praetereaque harmonicus huiuſce vniuerſi ordo concinnaque rerum omnium finitio eandem opinionem non tuentur ſolum, verum etiam quodammodo praecipiunt. Hanc ſi argumentationem in elementa ſua reſoluimus, vt clarius, ad quae potiſſimum attendendum ſit momenta, perſpiciatur, haec ferme ſunt:

1) In mundo vbique ſigna reperiuntur maniſeſtiſſima ordinis ſecundum fines propoſitos conſtituti et ſapientiſſime ſtabiliti.

2) Rebus ipſis aliena eſt eiusmodi diſpoſitio, nec res ipſae ſuapte natura ſeu ſponte ſua in aptiſſimam hanc cum certis finibus congruentiam concinnari potuiſſent, niſi ipſis principium intelligens affuiſſet, quod et fines ipſos conſtituiſſet, et media ad iſtos exſequendos idonea elegiſſet. *)

3) Eſt

*) Sic Socrates apud Xenophontem in memorabilibus, mundum ait eſſe ὀ τυχης ἐργον, ἀλλα γνωμης, — και τεχνημα σοφυ τινος δημιουργυ και φιλοζωυ.

3) Eſt igitur excelſior quaedam ac ſapiens mundi cauſſa, in qua non coeca aliqua poteſtas et foecunda tantum rerum procreandarum natura, ſed intelligentia prouidens et rerum ſapientiſſimo conſilio producendarum libertas cogitari debet.

4) Hanc autem liberam intelligentiam, a qua vt ſumma rerum omnium cauſſa contingentia mundi deriuamus, vnam tantum eſſe, ab ea, quae in cognitis nobis mundi partibus perſpicitur, vnitate conſilii, quamque κατ' ἀναλογίαν in ceteris quoque licet praeſumere, colligimus. *)

§. 3.

Argumentum phyſico-theologicum intellectui communi conuincendo aptiſſimum, exiſtentiam ſummi entis perſuadet quidem; haud tamen propterea certitudinem apodicticam affert, quae in demonſtratione ſpeculatiua requiritur.

Perſuaſionem ineſſe argumento phyſico-theologico fortiſſimam, qua neglecta omni ſpeculatiuae demonſtrationis ſubtilitate ratio in aſſenſum quaſi abripitur, quis eſt qui negare poſſit? Habet praeterea id, quo ſtudium naturae, vnde ipſius vis deſumta eſt, rurſus alatur atque promoueatur, quo vlteriora incrementa capiente inuicem noua ſemper accedit argumento vis atque auctoritas. Attamen hac argumenti probabilitate et obuia aſſenſus facilitate haud contenti phyſico-theologi, nihil illud a fauore et procliui in aſſenſum ratione acceptum tenere, ſed dogmaticam ipſi ineſſe autoritatem et certitudinem apodicticae demonſtratio-

*) In eandem ſententiam Cicero ait in libro II. de natura Deorum: haec ita fieri omnibus inter ſe concinentibus mundi partibus profecto non poſſent, niſi ea vno diuino et continuato ſpiritu continerentur.

ſtrationis plerumque volunt. Sic autem prouocata recalcitrat ratio, in fidem quidem ſatis prona, at vbi de certitudine — aſſenſum non ſuadente ſed flagitante — agitur, rigida et ad unguem vsque examinans. Iſtorum igitur arrogantiam, imbecillitati humani ingenii minime conuenientem comprimere, et ad modeſtiam rationis limites ſuos agnoſcentis reducere, hoc eſt quod intendimus, dum hoc quoque argumentum rigidiori cenſurae ſubmittimus.

§. 4.

Experientia ad exiſtentiam obiecti ideae congrui demonſtrandam haud ſufficit omnino.

Vt igitur, quid de argumento phyſico-theologico iudicandum ſit in genere, proponamus, primum hoc rurſus monere licebit, quod ſaepiſſime allatum eſt a nobis, eſſe id ideae proprium, vt nulla vnquam ipſi experientia poſſit congruere. Idea autem transſcendentalis de ente ſummo ſiue originario tantum eminet ſupra omne, quod per ſyntheſin empiricam cognoſci poteſt, vt numquam ſufficiens adeſſe poſſit, quae tam vaſtum conceptum complere valeat, experientiae materia, nec ea fere cogitari poteſt animi humani de quantulo cognitionis ſuae ſuperbientis arrogantia, vt ab ea, quam ipſe valet intueri, mundi magnitudine ad omnipotentiam; vel ab eo, cuius intelligendi nos capaces ſumus, eiusdem ordine ad ſummam ſapientiam; vel denique ab ea, quam nos pernoſcimus in hac tam exigua contemplationis area, conſilii vnitate ad abſolutam cauſſae primariae vnitatem, recte et indubitabiliter concludi aliquis opinetur. Hoc igitur iam intelligimus, theologiae ſtricte ſic dictae fundamentum ab argumento phyſico-theologico incaſſum repeti. Deinde hoc quoque obſeruandum eſt, hanc ſupremam mundi cauſſam aut in ſerie conditio-

ditionum comprehendi, aut extra illam poni debere. Si ad seriem caussarum naturalium pertinet, tunc membrum ipsa erit seriei, et rursus eadem institui oportebit circa caussam vlteriorem quaestio, quae ex lege caussalitatis in ceteris explicandis proposita fuerat. Sin autem extra cetera ponitur, vt caussa mere intelligibilis, tunc quonam modo ad hanc caussam intelligibilem peruenire posit, haud perspicitur. Omnes enim leges, secundum quas ab effectibus ad caussas transgredimur, vltra experientiam non valent, nec extra mundum sensibilem vlla exspectari potest cognitionis nostrae amplificatio. Haec in genere; iam singula videbimus.

§. 5.

Ab ea, quae in rebus naturalibus conspicitur, forma finali, omniumque quae cognoscuntur, concinna dispositione, contingentia mundi quoad formam, haud vero quoad materiam seu substantiam concludi potest. Argumentum igitur physico-theologicum proposito suo non sufficit; haud enim existentiam entis summi et realissimi, cui demonstrandae institutum erat, sed intelligentiae tantum potentis sapientisque; verbo, non creatorem sed conditorem tantum mundi et moderatorem probare valet.

Primum omnium id quidem satis apparet, eum, qui a rerum naturalium sapienti structura ad caussam naturae lumine intelligentem concludit, ad similitudinem eorum se referre, quae arte fiunt et intelligentia humana. Opificia enim considerantes artis, qualia sunt horologia, domus, naues, ex ea, quae in ipsis cernitur, forma finali ad intelligentiae liberae caussalitatem concludimus, experientia innisi, qua tale aliquid non nisi per eiusmodi caussam produci compertum

tum habemus. Verum nescio, an satis rigide exinde demonstrari possit, ea, quae in rerum natura cernuntur, istis artis humanae monumentis similia, et formam quoque finalem concinnamque ad certos quosdam vsus dispositionem prodentia a pari istorum caussalitate, intelligentia nimirum et voluntate libera proficisci debere. Sed vt haec quoque conclusio — satis quippe consentanea, quum ab effectibus similibus ad caussas similes transeatur, obtineat, iam tamen nihil exinde colligi poterit praeter eam, quae in structuris artis humanae obseruatur, contingentiam formae, ab arbitrio altioris intelligentiae pendentia. Contingentia vero substantiae mundi inde omnino demonstrari nequit. Ad hanc enim probandam id ostendendum foret, res ipsas per se ad ordinationem et concentum secundum leges vniuersales haud aptas esse posse, nisi etiam quoad substantiam a summa sapientia procreatae essent. Ad hoc vero demonstrandum longe alia requiruntur argumenta, quam quae ex analogia artis humanae possunt desumi, nec erit vnquam, qui se substantiae naturam adeo vsque perspectam habere glorietur, vt hac de re aliquid audeat determinare. Id igitur, quod ex toto argumento physico-theologico, etiam argumentationis methodo concessa, profluit, hoc est: esse mundi aliquem opificem atque conditorem, cuius sapientiae eam, quae in rerum natura conspicitur, formam atque structuram acceptam referimus. Eundem tamen, qui in hanc formam rudem istam et indigestam molem redegit, huius ipsius molis siue substantiae natura satis arcte circumscriptum fuisse, quum nihil efficere potuerit praeter id, cui idonea et sufficiens materiae natura aderat, fatendum erit. Ad creatorem autem mundi et realissimam omnis existentiae caussam tali argumento perueniri nequit omnino. Argumentum igitur physico-theologicum, quippe probandae

bandae DEI existentiae haud sufficiens, theologiae transscendentali fundamento esse nequit.

§. 6.

Vlterius progrediendo et argumentum physico-theologicum vsque ad existentiam entis summi realissimi, rerum omnium fontis atque originis, perducendo in argumentum cosmologicum incidimus.

Nostram, quam de mundi structura habere possumus, notitiam haud sufficere ad adscribendam autori ipsius summam aliquam realitatem, summamue potentiam vel sapientiam aut bonitatem, supra iam dictum est. (§. 4.) Valde quidem potentem et admodum praestantem mundi caussam esse persuademur, sed haec comparatiua sunt, nec positiuam notionem suggerunt. Empirice igitur argumentantes, determinatum de suprema mundi caussa conceptum conficere non possumus, et ad absolutam totalitatem nulla, quae ab experientia incipit, via traducimur. Hanc autem totalitatem quaerens ratio, postquam experientia duce vltra tendi non posse intellexerit, hanc argumentandi methodum deserit, et ad contingentiam mundi, quae supra ex ordine et forma finali in ipso conspicuo deducebatur, rursus sese confert. Hoc primum saltu facto omnia per conceptus mere transscendentales transfiguntur. Ab hac enim contingentia ad existentiam entis absolute-necessarii, porroque a puro absolutae necessitatis conceptu ad eiusdem omnimodam determinationem per conceptum summae et omnia in se comprehendentis realitatis proceditur. Subsistit igitur media via argumentum physico-theologicum et ad cosmologicum transgreditur; in hoc ipso vero quum omnis neruus ab ontologico desumatur, inde rem omnem ad demonstrationem ex notionibus puris redire videmus.

mus. Hanc autem si vanam esse ex superioribus satis constat, inde rationi speculatiuae nulla esse argumenta ad probandam entis realissimi existentiam satis valida rite concludimus.

CAPITIS TERTII
Sectio Tertia
De censura theologiae rationalis in genere.

§. 1.

Theologia est doctrina de ente entium.

§. 2.

Theologia quoad principium cognoscendi diuiditur in theologiam rationalem et reuelatam. Theologia rationalis est vel transscendentalis vel naturalis.

Quatenus notitia de ente summo siue Deo ex solo rationis fonte deriuatur, rationalem vocamus theologiam; at si praeter ipsam, aut rationis fonte plan sepofito, extraneum admittitur principium cognoscendi, quod reuelationem licet dicere, reuelata e Theologia rationalis obiectum suum cogitat, aut pe conceptus mere transscendentales, quales sunt notiones entis entium, entis originarii et realissimi, a ipsum determinat per conceptum a natura desumptun ita vt ens entium esse summam intelligentiam definia notione intelligentiae a natura animae humanae rep tita; inde inter theologiam rationalem vel transscen dentalem vel naturalem distinguitur. Ab hac aute distinctione etiam illud vulgo acceptum inter deistas theistas, quos vocant, discrimen explicandum e

D

Deistam eum vocaueris, qui soli theologiae transscendentali deditus omnem de ente summo cognitionem ad conceptus mere transscendentales restringit, nec aliud de summo ente definiri posse statuit, nisi vt omnem in se realitatem comprehendat, quam vero, qualis sit, haud propius pernoscere liceat; quare in ente originario caussam tantum mundi supremam aliquam siue foecundam rerum procreandarum et aeternam naturam cogitat. Haec autem an libere agat, an necessitate quadam interna coacta operetur, in medio relinquit. *Theistarum* vero ea est opinio, vt rationem propius aliquid de obiecto theologiae posse definire contendant; naturalem enim profitentes theologiam, ens originarium ad similitudinem animi humani vt summam intelligentiam cogitant, caussalitatem ipsi ex intellectu et libertate tribuentes. Autorem igitur hi et conditorem mundi rationabilem confitentur.

§. 3.

Theologia transscendentalis in cosmo-theologiam et onto-theologiam, naturalis in teleologicam et moralem diuiditur.

Qui transscendentalem profitentur theologiam, existentiam entis originarii aut ab experientia aliqua indefinita, (existentia aliqua data) aut ex solis conceptibus nulla omnino experientia assumta deriuare praesumunt; sunt igitur vel cosmo-theologi, vel onto-theologi. Theologia naturalis a rerum naturalium dispositione, ordine ac vnitate consilii in ipsis conspicua ad existentiam atque attributa entis originarii concludit. Quum vero duplex in hoc mundo conspiciatur caussarum efficientium genus, natura scilicet et libertas, inde duplici quoque modo ad entis summi cognitionem potest perueniri. Qui ens summum vt principium ve-

nerantur ordinis naturalis ad certos fines aptissime constitui, teleologicam profitentur de Deo doctrinam, quam et physico-theologiam licet dicere; qui vero idem sic tantum cognosci posse aiunt, si ipsum vt omnis ordinis et praestantiae moralis principium summumque mundi moralis rectorem consideramus, ethico-theologi sunt, a disciplina quippe ethica seu morali fundamenta theologiae repetentes.

§. 4.

Cognitio omnis est vel theoretica vel practica. Cogniti theoretica nos id, quod est, docet; practica vero id quod per libertatem esse debeat, praecipit.

Inde vsus rationis duplex cogitari potest, theore ticus vnus, per quem a priori, esse aliquid, necessa rie cognoscitur; practicus alter, qui a priori id, quo fieri debeat, docet.

§. 5.

Respectu practico existentia entis summi postulatur per the sin, respectu theoretico per hypothesin tantum su ponitur.

Potest vtrumque, tam id quod esse theoretice sc mus, quam id quod fieri debere practice cognoscimu certum esse simul, et tamen conditionatum: conditi autem vtriusque aut absolute necessaria esse potest, au contingens, et ad libitum quasi supposita. Quan conditionem vt necessariam, sine qua non, cognosc mus, eam *per thesin* postulari dicimus; *per hypothes* supponitur ea, quae contingens est, nec necessarie a sumitur. Hoc si ad leges practicas adhibemus, ind necessarium per thesin existentiae diuinae postulatu deduci posse videbimus. Nam quum leges practica

exista

existant absolute-necessariae, ethicae scilicet, quas vocamus, inde emergit, si per hasce leges existentia aliqua vt conditio necessaria, sine qua nulla istarum legum vis obligatoria seu adstrictiua cogitari potest, supponitur, hanc existentiam absolute postulari. Demonstrabitur autem in subsequentibus, existentiam entis summi non supponi tantum hypothetice, sed quoniam hae leges absolutae sunt necessitatis, respectu practico postulari; nunc vero hoc argumenti genus missum faciendum est. Iam enim ad id nos conferre debemus, quod paragraphi altera parte propositum est, scilicet respectu theoretico existentiam entis summi hypothetice tantum et ad vsum rationis, perfectam conditionum totalitatem quaerentis, supponi.

Vbi de eo tantum agitur, quod est, haud vero de eo, quod esse oporteat, prorsus alia est suppositionis natura. Omne enim, quod vt existens et conditionatum per experientiam cognoscimus, contingens est. Nequit igitur conditio eius, quod ipsum est contingens, vt absolute necessaria cogitari; nulla enim subest caussa, cur hanc conditionem sic potius vel aliter determinatam cogitemus, quum ipsum conditionatum (existentia scilicet empirice data) non necessarie determinatum sit.

§. 6.

Cognitio theoretica vel naturalis est, vel speculatiua.

Naturalem eam vocamus, quae ad obiecta tantum spectat experientiae possibilis, eorumque praedicata. Speculatiuam eam, quae ad obiecta spectat aut obiectorum praedicata, ad quorum cognitionem nulla vnquam experientia potest perducere.

§. 7.

Illa quae ab existentia rerum siue substantiarum in mundo ad existentiam caussae earum instituitur consequentia, ad vsum rationis speculatiuum pertinet, qui ad demonstrandam ipsam non sufficit.

Principium caussalitatis, secundum quod ab eo quod fit, (siue a contingentia rerum empirica) vt effectu, ad caussam colligimus, ad cognitionem theoreticam naturalem pertinet, et intra limites experientiae vnice valet. Naturalis autem cognitio nihil cognoscit praeter id quod fit siue effectus; pertinet igitur ad status tantum substantiarum, haud vero ad substantiam ipsam, quae qualis sit, empirice non cognoscitur. Hunc autem rerum statum siue commutationum in ipsis vices si ad caussam referimus, iuste agitur, et cum vsu rationis empirico congruimus. Omne itaque contingens caussam habere si dicimus, haec huiusce principii iusta est significatio, „omnis, quem cognos„cimus, rerum siue substantiarum status a caussa pen„dere debet ipsa empirica.„ Contingentia enim in obiectis experientiae, vnice ad status substantiarum non ad substantias ipsas referri potest, quippe quarum nulla datur experientia. Si vero hanc legem caussalitatis ad substantias ipsas extendimus, ab existentia rerum ad caussam aliquam ipsarum colligentes, tunc cognitione naturali relicta ad speculatiuam transgredimur, et subreptio fit illa, cuius iteratam iam mentionem fecimus. Quum scilicet de substantiis ipsis contingentiam empiricam praedicare non possimus, contingentia substituitur intellectualis siue praedicamenti, et ab hac ad caussam fit conclusio. Verum contingens praedicamenti quum id sit, cuius non - existentia cogitari possit, inde, quo iure ad caussam seu existentiam alteram transeatur, haud potest intelligi. Substantia igi-

igitur contingens caussam supponit, si dicis, syntheticum est; synthesis autem ista omni fundamento prorsus destituta est. Quin adeo, si ab existentia substantiarum ad existentiam alteram vt ipsarum caussam transire velis, conceptus caussae omnem omnino significatum suum perdit. Nam in caussa id necessarie cogitatur, vt effectus ipsius inceperit, itaque si caussa est aliqua existentiae substantiarum, ipsa haec earum existentia vt inceperit necesse est. Hoc autem repugnat legi persistentiae, secundum quam in omni phaenomenorum commutatione persistens substratum, *substantia* scilicet, requiritur. (Conf. analytices transscend. Lib. II. Cap. II. Sect. tert. Apotom. 2. §. 4.)

Substantia igitur, cui caussam aliquam vellemus supponere, haud amplius foret substantia, sed in accidens conuerteretur. Qui vero ab iis, quae ad contingentiam spectant empiricam, a forma scilicet mundi, per regressum empiricum ad caussam intelligibilem concludi posse contendunt, ii empirice quamuis incipientes, hiatum transiliunt inter mundum sensibilem atque intelligibilem patentem, et deserta via empirica in speculatiuam incidunt. Regressu enim mere empirico ad ens originarium si procedimus, hoc ipsum inter caussas mundi sensibilis siue obiecta experientiae ponendum est, ergo conditionatum erit et contingens; id quod ipsius conceptui repugnat. Vltra mundum autem empiricum egressis, lex caussalis haud valet amplius, nec vllum habet significatum, quippe vnice ad complexum experientiae et obiecta in tempore dabilia spectans. Lege igitur caussali ad existentiam entis summi perueniri nequit. Verum si quoque per hanc legem dynamicam relatio aliqua effectuum ad caussam esset permissa, tamen ad caussam tantum effectibus, quos conspicimus, adaequatam et valde quidem eam potentem et eximiae sapientiae, haud tamen

vnquam ad eandem, qualem theologia rationalis postulat, realissimam peruenire liceret.

§. 8.

Ex quibus omnibus efficitur principia cognitionis naturalis ad nullam omnino theologiam conducere, conatus autem rationis per vsum eius speculatiuum omnino vanos esse, theologiam igitur rationalem nullam dari omnino, nisi legibus ethicis pro fundamento positis.

Quaestionem de existentia entis summi syntheticam esse, et cognitionis nostrae amplificationem atque augmentum per ipsam intendi, sine dubio est. Quaeritur enim existentia entis ideae nostrae congrui, quam nulla vnquam exaequare valet experientia. Quoniam vero, vti quaeuis huiusce libri pagina docet, omnis synthetica cognitio a priori in tantum vnice est possibilis, quatenus in ipsa conditiones continentur formales, sub quibus solis experientia potest institui, inde immanens tantum principiorum cognitionis syntheticae a priori vsus est, nec nisi ad obiecta cognitionis empiricae phaenomena explicanda adhiberi possunt. Fieri igitur nequit omnino, vt, ad libitum ex conceptu aliquo exeuntes, nec empiricam secuti synthesin, huic conceptui obiectum ponamus realiter existens, sicque noua entia per nullam vnquam experientiam cognoscibilia statuamus. Sic igitur nulla theologiae rationalis constituendae spes superest, nisi aliquid forsan a legibus ethicis fundamentum solidius repeti possit.

§. 9.

Theologia transscendentalis nihilominus vsum habet negatiuum in remouendis omnibus, quae ad conceptum entis realissimi non pertinent, et conseruanda notionis puri-

puritate, quae deinceps ad summam, quam ratio practica postulat, intelligentiam applicari potest.

Ponamus in hypothesi, id quod mox amplius discutietur, existentiam Dei vt summae et absolutae intelligentiae respectu practico postulari debere, tunc sane philosophia transscendentalis gratissimo nobis et necessario adeo vsui foret. Per transscendentalem enim entis realissimi determinationem epuratam nobis et postulato practico congruam notionem praeberet, omnesque, quae sensibili adhaerent naturae, et labes et limites ab hac omnium completissima existentia remoueret. Praeterea quoque ad confutandam vtilis est eorum arrogantiam, qui, quam nos more speculatiuo probari posse renuimus, existentiam dogmatice negant. Ipsis enim atque iisdem argumentis, quibus talem existentiam demonstrari non posse probauimus, etiam eius contrarium numquam dogmatice contendi posse, efficitur.

APPENDIX
ad Dialecticam transscendentalem.

Commentatio ad dialecticam transscendentalem accessoria, prima, de vsu idearum regulatiuo vltimoque, ad quem in ratione humana constitutae sunt, fine.

§. 1.
Instituti ratio.

Dialectica transscendentalis id, quod iam in analytica nostra demonstratum fuerat, quasi in concreto et re ipsa comprobauit, omnes nimirum rationis conatus ad extendendam synthetice vltra experientiae possibilis ambitum cognitionem vanos esse, rationemque

que sibi blandiri potius, quam certa supra sensibilium possessione gaudere. Simul tamen id sumus edocti, cuius et interna apud vnumquemque adest conuictio, rationem scilicet humanam ad fines intellectui constitutos transgrediendum naturaliter procliuem esse, nec esse in ideis transscendentalibus artificiosi aliquid aut per argutias tantum sophisticae argumentationis excogitati; verum vbi sit ratio, ibi ideas eadem necessitate inhaerere, quam vbi est synthesis per intellectum, praedicamenta simul adesse oportet. Quum vero quidquid in facultatum nostrarum natura constitutum conspicitur, ad finem aliquem adimplendum comparatum, et recto ipsarum vsui promouendo aptum esse oporteat, inde efficitur, esse ideas transscendentales haud incassum a natura rationi nostrae inditas, sed ipsarum praestantissimum fore vsum, si modo recto, quid valeant, intelligatur. Vsus autem ideae duplex praesumi potest, vel transscendens, quando ad cognoscendum aliquod obiectum ipsi correspondens adhibetur, ex quo constitutiua oriuntur principia; — vel immanens siue *regulatiuus*, quando ad obiecta experientiae sub vnitate principii normalis comprehendenda applicatur. Vsum istum transscendentem, qui in constituendis per ideas obiectis versatur, illusorium esse, et e permutatione ideae, cui nihil congruum in experientia dari potest, cum *conceptu* reali, per experientiam possibilem ad obiecta relato, oriundum, iam satis ex superioribus constat.

A male intellecta igitur rationis natura peruersa talis applicatio profluebat; a qua si nobis cauere volumus, ad vsum nos regulatiuum et immanentem idearum conferre oportebit, in quo explicando iam nunc versabimur.

§. 2.

§. 2.

Vſus rationis in ideis proponendis hypotheticus eſt, nec ad conſtituendum aliquod obiectum reale, ſed ad comprehendendam ſub vnitate ſyſtematico cognitionem ſpectat.

Rationis, ſi quidem facultas eſt ſpecialia ex vniuerſalibus deriuandi, duplex cogitari poteſt vſus, quem *apodicticum* et *hypotheticum* liceat denominare. Aut enim vniuerſale illud, quod fundamentum conſtituit ratiocinii, datum eſt, aut non. Si per ſe certum eſt atque realiter datum, tunc ſubſumtione tantum opus eſt per facultatem iudicatiuam, vt deinde obiectum ſpeciale ſecundum iſtam vniuerſalitatem determinetur. Hic eſt, quem apodicticum rationis vſum diximus. Si vero vniuerſale, a quo deducimus, idea eſt problematice tantum aſſumta, ita vt id, quod ſubſumitur, ſpeciale certum ſit, regula autem vniuerſalis, a qua deductum eſt, tantum experimenti cauſſa proponatur, vt ſcilicet exploremus, an caſus omnes ſpeciales ab iſta deriuari, ſicque vnitas quaedam ſyſtematica cognitionum ſub principio comparari poſſit; tunc ille exiſtit, quem hypotheticum rationis vſum dicimus. In quo ſic potiſſimum procedimus, vt complures caſus datos e principio aliquo deriuari poſſe cernentes, deinde vlterius progrediamur, et omnes, quos ad ſpeciale ſubiectum pertinere nouimus, caſus certos afferamus, atque, an ſimiliter e regula iſta vniuerſali poſſint elici, perſcrutemur. Quae ſi operatio bene procedit, inde a multitudine ſeu omnitudine comparatiua caſuum ſub principio comprehenſibilium ad vniuerſalitatem principii, ab hac autem deinde ad omnes ceteros caſus, quae procedente experientia occurrere poſſent, concluditur. Hic vero rationis vſus hypotheticus eſt, non conſtitutiuus, nusquam enim experientia

tia finitur, nec propterea vnquam ex totalitate casuum datorum ad vniuersalitatem ideoque certitudinem principii licet concludere, sed regulatiuus tantum, qui ad vnitatem in cognitionum specialium multitudine comparandam instituitur. Haud igitur ab ista vnitate principii, quam problematice tantum proponimus, ad eiusdem realitatem obiectiuam transire, nec tale aliquid, quale in idea assumimus, vnitatis conciliandae caussa, vere dari in rerum natura licet contendere.

Rationis igitur obiectum, circa quod operatur, intellectus est, et sicuti intellectus multiplicia obiecti sub vnitate coniungit conceptus, sic ratio multitudinem conceptuum sub vnitate comprehendit collectiua ideae. Idea autem ad id potissimum comparata esse cernitur, vt quas intellectus instituit, per leges rerum in experientia possibili connectendarum, contingentium series, eas sub totalitate aliqua absoluta, quae cardo est cognitionis systematicae, comprehendat. Est igitur idea focus quasi imaginarius siue punctum aliquod conciliationis, a quo cognitionum variarum radii non exeunt quidem, sed ad quod vt centrum problematicum referuntur, cuique omnis per intellectum cognitio quantum maxime fieri potest, debet approximari. Rectus igitur idearum vsus immanens est, quando scilicet ipsis ad deriuandas ex communi principio cognitiones vtimur; hoc vero vsu derelicto, si quod regulatiuum est principium pro constitutiuo habentes, obiectum ideis reale, extra omnem experientiam situm, correspondere contendimus, in abusum incurrimus transscendentem, et quae rationi propria est functio, peruertitur. Haud enim ad noua quaedam obiecta cognoscenda, sed ad comprehendendas sub vnitate systematica cognitiones comparata est.

§. 3.

§. 3.

Exemplis argumentum nostrum illustratur.

Vt haec, quae de vſu idearum non transſcendenti verum immanente diximus, argumentis idoneis illuſtrentur, quaedam ſubinde phyſicorum proponemus principia, quae non a rerum natura deſumta, nec ab experientia petita, tamen ad inueſtigandam naturam, promouendamque ſcientiam maxime faciunt. Elementa plane pura, terram videlicet aut aquam plane puram, aerem denique prorſus purum haud inueniri ſatis conſtat. Attamen hisce ideis vtimur ad promouendam ſubſtantiarum decompoſitionem, portionemque, quae in quoduis phaenomenon de hisce elementis ingreditur, accuratius definiendam, ſicque ideam ſequuti mechaniſmi naturalis in compoſitione ſubſtantiarum, omnem materiam ad tria principia reducimus, quorum primum terra eſt ſiue pondus merum, alterum ſalia ſunt et materiae inflammabiles, in quibus vim omnem collocamus ac facultatem operatiuam, tertium denique aqua et aer, quae veluti machinae ſunt atque vehicula, quorum miniſterio vires in rerum natura motrices operantur. Si operationes chemicae materiarum ſecundum analogiam ideae explicantur, quae non a natura deſumta, ſed in ipſam quaſi illata, ab experientia ſibi conformi omnem vim atque autoritatem principii repetit. Similis eſt ratio ideae de vi aliqua ſimplici atque primitiua. Varium enim atque plane diuerſum ſeſe exſerendi modum in vna quaque ſubſtantia animaduertendo, primo ſtatim obtutu tam diuerſam eſſe vnius cuiusque cauſſalitatem ſiue vim crederes, quam diuerſi eiusdem cernuntur effectus. Verum tamen has ipſas vires ad minorem effectibus numerum redigere conamur, effectus complures ab vna eademque vi, varie tantum modificata, deriuari poſſe ſupponentes. Quin adeo vlterius progreſſi vim vni-

vnicam primitiuam proponimus, ad quam omnis effectuum diuersitas vt ad commune principium possit reduci. Experientia quidem de tali vi primitiua nihil docet omnino, verum problema est diuersas vires sub vnitate systematica comprehendendi. Haud igitur ideae de vi primitiua constitutiuus est vsus, ita vt tale aliquid vere existere in rerum natura statuatur — id quod nulla vnquam experientia probari potest — sed regulatiuus, vt ad homogenitatem inter diuersas vires attendentes, ipsarum principia, quantum fieri potest, paucissima ponamus, sicque cognitiones nostras approximatione continua ad perfectam systematis vnitatem, qualem idea postulat, studeamus reducere.

§. 4.

Tria sunt, quibus ratio in vsu intellectus regendo, cognitionumque systemate perfecte condendo vtitur, principia logica, principium puta similitudinis variorum, secundum quod diuersa rerum sub altiori ordinum vnitate comprehenduntur, principium varietatis similium, secundum quod obiecta in classes inferiores distribuuntur, principium denique affinitatis, secundum quod inter duas ordinis eiusdem species, continuam specierum intermediarum seriem quaerere, nec hiatum in rerum natura admittere iubemur. Quae tria principia breuitatis ergo principia homogenitatis, specificationis, et continuitatis formarum appellabimus.

Hisce tribus principiis omnis intellectus in amplificanda, augenda atque coniungenda inuicem cognitione vsus innititur. Primum horum principiorum nos omnes rerum varietates ad simplices classes redigere iubet; alterum ne a trunco quasi ad folia statim ascendamus, sed ad ramorum quoque diuersitates atten-

tendamus, siue perfectam instituamus specierum enumerationem, ad quas diuersa indiuidua referri possunt, postulat; tertia denique lex duas priores inter se coniungit, atque, vt a specie vna ad alteram gradatim siue per species intermedias transeamus, earumque inter se affinitatem, qua veluti rami ex vna arbore procedentes inter se connectuntur, obseruemus, locumque cuique in systemate consentaneum assignemus, praecipit.

Haec autem principia circa res ipsas siue obiecta cognitionis nihil praecipiunt, nec enim absolute congrua ipsis in experientia rerum aut homogenitas, aut varietas aut denique affinitas reperitur formarum, ita vt ab experientia repeti potuissent: sed forma tantum proponitur systematis, cui, quantum licet, cognitiones nostras adaptare, et secundum quam experientiam rite debemus instituere.

§. 5.

Vsus intellectus, secundum principia rationis logica instituendus, leges naturae ipsis correspondentes per hypothesin assumendas (cf. §. 2.) *supponit, quo factum est, vt principiis logicis saepissime transscendentalis legum naturalium a priori valor assignaretur.*

Si nihil in rerum natura principiis istis logicis analogon inueniretur, tunc etiam nec ipsa haec principia concipi potuissent, nec in genere vsus aliquis intellectus aut amplificatio cognitionis per conceptus communes daretur. Quod vt rectius intelligatur, iam tria nostra principia propius considerabimus. Primum igitur quod ad principium homogenitatis attinet, sic colligimus. Principium homogenitatis siue ordinum logicum est et tale, sine quo nullus rationis vsus cogitari posset. Vt enim ab vniuersali ad particularia conseque-

sequendis possit institui, ad id repraesentationum requiruntur notae communes, (ordines) sub quibus particularia comprehendi possint. At si in phaenomenis, qualia contemplationi nostrae praebentur, tanta diuersitas non formae solum sed potissimum materiae reperiretur, vt ne subtilissimum quidem ingenii acumen similitudinis aliquid in ipsis posset detegere, tunc logicum illud principium ordinum omnino non daretur, nec conceptus aliquis empiricus siue repraesentatio generalior foret possibilis. Intellectus igitur nullus, nulla est cognitio, nisi multiplicium experientiae homogenitas aliqua supponitur, secundum quam in conceptu i. e. generaliori repraesentatione comprehendi possunt; nec, hac detracta, aliquid praeter indiuiduam cuiusuis obiecti singuli per categorias cogitationem superesset. At si hac, quam principium logicum supponit, rerum similitudine ad vniuersalitatem principii obiectiui transscendentalis stabiliendam vtimur, vbique et semper in rerum natura vnitatem, eamque summam adesse contendentes, tunc perperam fit et contra principii indolem. Ab ea enim, quam in rerum natura perspectam habemus, vnitate ad vnitatem ascenditur summam principii transscendentalis hypothetici, non eum in finem, vt obiectiue eam vere reperiri statuatur, sed vt idea adsit, secundum quam vtilis instituatur naturae exploratio. Quantum autem realitatis ipsi ideae decerni possit, i. e. quam late vnitas ordinum in rerum natura pateat, ab experientia et perscrutatione naturae exspectandum est. Hanc autem vnitatem ideae transscendentalis in rerum natura inueniri, hoc a physicis semper philosophis suppositum fuit, vtilique hoc filo ariadneo naturae penetrales recessus perscrutati sunt. Antiqua regulatiuum hoc principium schola ita expressit: entia praeter necessitatem non esse multiplicanda. Et recentiores quoque, chemici ante alios, tantum huic vnitati explo-

plorandae ſtuduerunt, vt interdum naturae vim facerent, et comprimendus potius quam excitandus eorum ardor videri poſſit. Haud enim eo contenti, vt v. c. facultates animi humani ad complures originarias reducerent, etiam vni eique primitiuae facultati explorandae inhaerent. Pariterque in phyſicis. Vix enim eo peruentum eſt, vt e. g. ſalia omnia ad duos tantum ordines, acida puta atque alcalica, referrentur; iamque vltra tendentes, hosce duos ordines non originaliter diuerſos, ſed forſan vnius eiusdemque materiae modificationes tantum diuerſas eſſe augurantur, atque experimenta ideae comprobandae cauſſa inſtituunt. Simili modo ſimul ad tria vel ſecundum alios dua tantum terrarum genera primitiua, ad quae omnis lapidum et metallorum materia reduci poteſt, peruentum fuit, iam vlterius progreſſi forſan vnum eſſe genus atque commune vniuerſalioris materiae ſuppoſuerunt, a quo et haec duo genera et ſalia ſimul poſſent deriuari. Quod ad alterum principium attinet, quod principium *ſpecificationis* appellauimus, logicum eſt, et completam ſyſtematis perfectionem innuit, ita vt in nulla vnquam ſpecie vt vltima ſubſiſtatur, ſed continuus diuiſionis vlterioris quaeratur progreſſus. Ex ambitu enim conceptus, qui ordinem deſignat, quousque in eiusdem diuiſione procedi poſſit, haud perſpicitur, ſicuti nec a ſpatio, quem materia aliqua occupat, colligere licet, quousque hanc materiam partiri poſſimus. Quemadmodum igitur ordo ſpecies ſubiunctas ſibi requirit, ſic ſpecies quaelibet in inferiores diuidi poſſe debet, quorum quum nulla ſit, quae non et ambitum habeat ſuum, et per conceptum communem deſignetur, inde principium oritur logicum, quod, ne vnquam ſpecies aliqua pro infima habeatur, praecipit. Quaeuis enim ſpecies conceptus eſt, rerum complurium communem tantum notam continens. Talis autem conceptus, quoniam non

 om-

omnimode determinatus est, propterea que ad indiuiduum, quale repraesentatur in intuitione, immediate referri nequit, semper inferiores conceptus continet, quare in specie quoque omni species inferiores cogitandae sunt, nec in infima vlla potest subsisti. Huic quoque principio analogam in rerum natura diuersitatem inueniri debere, facile probatur. Si enim nulla adesset rerum omnino diuersitas, tunc omnia ad vnam eandemque redirent intuitionem, nec cogitationi empiricae, qua diuersa secundum notas in hac diuersitate ipsis tamen communes sub conceptu generaliori comprehenduntur, locus esset. Et sicuti cognitionem per intellectum nullam esse demonstrauimus, nisi obiectorum homogenitate aliqua supposita, sic nec eandem cogitare licet, diuersitate naturae non admissa. Ex quo transscendentalis principii oritur suppositio, secundum quod infinitam dari in rerum natura multitudinem specierum diuersarum per gradus vsque minores distantium, statuitur. Hoc vero principium si, apodictico rationis vsu perperam adhibito, pro obiectiuo habetur, ad quod re vera omnis rerum natura comparata sit, limites transgredimur ipsi constitutos, et experientiam omnem transuolamus. Verum si hypothetice tantum et ad vsum immanentem et regulatiuum admittitur, modeste agimus, et ad promouendam scientiam vtiliter. Magni enim est momenti eiusmodi norma, quam sic licet exprimere: *entium varietates non temere esse minuendas*. Nusquam enim ad accuratam completioremque rerum cognitionem perueniri potest, nisi hoc edocti principio, sub omni subiectorum similitudine latere tamen disparitatem, supponamus, quam si inuenerimus, eo accuratior obiecti cuiusuis determinatio euadet. Hoc secuti principium regulatiuum chemici, etiam ante experimentum species rursus diuidere parati, inter alia terras absorbentes in calcarias et muriaticas diuiserunt, sicque nouum

scien-

ſcientiae incrementum, et accuratiori cognitioni locum dederunt.

Tertium denique principium, quod legem affinitatis ſeu continuitatis formarum appellauimus, pariter logicum eſt, et ad vſum intellectus comparatum. Oritur hoc principium ex coniunctione amborum praecedentium, quemadmodum §. 4to obſeruatum eſt, et conſtitutis rerum ordinibus ac ſpeciebus nos duarum ſemper eiusdem ordinis ſpecierum intermedias ſpecies in infinitum ſupponere iubet. Cui ſi principio nihil analogon in rerum natura ſupponimus, omnis vna intellectus vſus tollitur. Haud enim ſpecies inferiores ſub generaliori, generaliores ſub ordine poſſent comprehendi, niſi contiguitas aliqua in diuerſis atque variorum communis nota admittitur. Vnde fit, vt hoc quoque principium pro lege transſcendentali habeatur, quam *legem continui in natura* nuncupare poſſumus. Verum eiusmodi legem haud eſſe conſtitutiuam ad obiecta ipſa determinanda, nec continuam iſtam formarum affinitatem in rerum natura vere poſſe exiſtere, in aprico eſt. Si enim gradualem affinitatis ſpecierum progreſſum in rerum natura pro *continuo* habemus, tunc membrorum inter duas ſpecies poſitorum infinitus eſſe debet numerus; id quod contradictorium eſt. Re vera igitur ſpecies naturales diuiſae ſunt, atque quanta diſcreta efficiunt; continuitas autem formarum idea eſt regulatiua, quae contiguitatem formarum explorare nos quantum poſſumus iubet, vt conſentaneus cuique ſpeciei in ſyſtemate locus aſſignetur, et quam perfectiſſima poteſt ſyſtematis vnitas efficiatur. — Hucusque principia rationis eo expoſuimus ordine, ſecundum quem ratio ipſa in conficiendo ſyſtemate adhibet. Iam vero ſi ad eum, quem intellectus de ipſis in experientia rite inſtituenda facit, vſum reſpicimus, alius ipſorum naſcetur ordo, quem ſequenti paragrapho exhibendum duximus.

§. 6.

Intellectus in experientia rite instituenda, a principio incipit varietatis, per quod materia comparatur systematicae ordinationis; deinde, principio ductus affinitatis, diuersitates omittit rerum, et similitudine inuenta conceptus communes sibi comparat, per quos species constituuntur, membrisque intermediis, quae inter species inueniri debere exspectat, locus assignatur. Deinde misso facto etiam specierum discrimine, secundum principium vnitatis idea formatur homogenitatis omnium phaenomenorum, per quam summa cognitionibus multifariis conciliatur vnitas sub conceptu ordinis vnius generalissimi.

Videmus igitur, omnem rationis vim eo tendere, vt vnitas cognitionibus, quas per intellectum comparare licet, concilietur, nec ipsius intellectus constans aliquis atque cohaerens vsus potest cogitari, nisi qui secundum illa rationis principia instituitur. Quae quanto sint vsui ad experientiam dirigendam intellectuique normam aliquam praebendam, quam persequendo saepissime ad praestantissima inuenta perducitur, vno adhuc exemplo docebimus. Omnibus corporibus terrestribus inhaerere grauitatem experientia docet, et in ea omnem vim atractionis, quam in corpora sua terra exercet, positam esse, satis constat. Vlterius autem progressi, et virium in diuersis materiis vnitatem quaerentes, esse hanc grauitatem omnis omnino materiae attributum commune primitiuum, statuimus, diuersorumque tam planetarum quam cometarum motuum leges caussasque ab hoc fundamentali grauitatis principio repetimus. Imo nec hoc contenti, simplicitatem structurae motuumque in toto mundo supponentes, vniuersam eidem legi naturam obtemperare

perare auguramur. Sic solem cogitamus centralem, circa quem ille, qui nostri systematis planetas temperat, sol cum omni sua sphaera ingentes orbes conficiat, sic viarum lactearum systemata, maiora illa et systematum minorum orbes infinitos comprehendentia, hasque immensae vastitatis sphaeras omnes per eandem grauitatis legem contineri, sicque vnum tantum esse coeli systema, secundum eadem principia ad harmonici ordinis concentum compositum supponimus. Idealis autem haec theoria quantum sese experientiae praebuerit, quantumque eius adminiculo incrementi cognitio ceperit, nemo est, qui Herschelii nomine audito addubitare possit. *)

§. 7.

Principiis rationis regulatiuus ad experientiam dirigendam asseritur vsus per conceptum Maximi, qui analogon exhibet schematis transscendentalis.

Legibus intellectus puri, quas propositiones intellectus fundamentales appellauimus, obiectiua conciliabatur realitas per schema transscendentale, cuius ope prae-

*) Conferantur inprimis tres praestantissimi Herschelii tractatus circa themata coeli, qui in commentariis societatis regiae Londinensis exstant. (philosoph. transactions Vol. LXXIV. for the year 1784. p. 437. Vol. LXXV. for the year 1785. p. 213. Vol. LXXIX. for the year 1789. p. 212.) Germanice redditi hi tractatus prodiere in libro: William Herschel über den Bau des Himmels. Drey Abhandlungen, aus dem Englischen übersetzt. Nebst einem authentischen Auszuge aus Kants allgemeiner Naturgeschichte und Theorie des Himmels. Mit Kupfern. Königsberg 1791. Eandem, quam in hisce tractatibus Herschelius proponit, coeli theoriam, obseruationibus accuratissimis superstructam, longe ante ipsum *Kantius* in libro de thematibus et theoria coeli (Allgemeine Naturgeschichte und Theorie des Himmels) exposuit, omniumque primus ideam vniuersi eam secutus est, quam posterior obseruatio tam egregie confirmauit.

praedicamentorum ad obiecta intuitionis conſtituenda vſus atque applicatio fit poſſibilis. (Conf. analytic. transſc. Lib. II. Cap. 1.) Quare etiam iſta intellectus principia conſtitutiua erant circa experientiam; omnis enim experientia iis principiis a priori neceſſarie debet congruere, ſine quibus nulla omnino experientia foret poſſibilis. Principia vero rationis, vt ab vſu ipſorum ad intelligibilia cognoſcenda abſtrahatur, ne circa conceptus quidem empiricos conſtitutiua eſſe poſſunt, quia ſchemate carent, nec obiectum ipſis correſpondens in experientia datur. Attamen vſum ipſis aſſignavimus regulatiuum, ita vt omnis ipſis, quantum maxime poteſt, experientia conformari debeat. Quaeritur igitur, quonam conſiſi fundamento relationem eam principiorum rationis ad cognitiones empiricas eſſe ſtatuerimus, ſecundum quam is ſupponitur ipſorum habitus, vt cognitiones hiſce principiis conformiter diſponi, et ad vnitatem rationis ſyſtematicam ſaltem approximari poſſint? Medius itaque aliquis terminus conſtituendus, et conditio definienda eſt, per quam regulatiua iſta, quam ſtatuimus, principiorum rationis ad cognitionem per intellectum applicatio fiat poſſibilis. Hoc autem quod ſic poſtulatur analogon ſchematis ille eſt, quem ſupra poſuimus, *conceptus Maximi.* Sicuti enim omnis per categorias cogitatio absque ſchemate ſenſitiuo vaga ac problematica foret, nec certum aliquod atque definitum obiectum, quod vnitati obiectiuae praedicamenti correſponderet, haberemus: ſic et vnitas rationis, ſub quam cognitiones per intellectum comprehendi volumus, per ſe indefinita eſt, nec, *ſub qua conditione*, aut *quousque* cognitiones intellectus ad ſyſtematis nexum redigi debeant, per ſolam vnitatis cogitationem efficitur. Quare ideis nulla foret ad experientiam certo tramite ducendam vis regulatiua, niſi ipſis conceptus adeſſet maximi, qui certam legem et conſtantem normam

mam praescribit. Quodcunque enim maximum est et absolute completum, hoc constans est sibi, et praecise cogitatur: absunt enim omnes conditiones restrictiuae, quae indefinitam diuersitatem, nunquam vero absolutam systematis vnitatem sistunt. Est igitur conceptus Maximi, secundum quem in principiis rationis *summam* et absolutam, in summa specierum per gradus infinitos affinium varietate, *vnitatem* quaerere iubemur, analogon schematis, per quod ideis rationis vsus vindicatur regulatiuus. Habent igitur principia ista varietatis, affinitatis et homogenitatis realitatem aliquam obiectiuam; haec autem sensu restrictiori, nec ita accipienda est, quasi certa ipsis obiecta correspondeant, et perfecta ista systematis vnitas vere in rerum natura inueniri deberet, sed eo tantum respectu, vt obiecta experientiae, quae per intellectum cognoscuntur, quantum fieri potest, sub vnitate systematica comprehendantur, intellectuique constans sibi atque ad augendam amplificandamque scientiam idoneus vsus vindicetur.

§. 8.

Principia, quae non a correspondenti ipsis experientiae obiecto, sed a ratione, possibilitatem completae et omnibus numeris absolutae cognitionis secuta, originem trahunt, normae sunt subiectiuae rationis speculatiuae, non leges naturae.

§. 9.

Principia rationis regulatiua, qualia hucusque exposuimus, normae sunt subiectiuae, quare vera ipsis inesse nequit vnius aduersus alterum repugnantia, sed diversus tantum cernitur modus, quo rationi perfectum cognitionum systema quaerenti consulitur.

Si haec, quae hucusque exposita sunt a nobis, principia constitutiua essent, et in rerum natura obiectiue fundata, tunc quomodo physicorum inter se discordia conciliari possit, haud intelligitur. Alter enim principium vrgens specificationis omnia diuersa videt, charactheresque distinctiuos generum ac familiarum non modo in animalium verum etiam brutorum structura a natura ipsa constitutos perhibet, quibus, ne ab vnitate aliqua originaria deriuari possint, caueatur; alter omnia similia cernens vnitatem vrget originariam ex proposito naturae in primordiis constitutam, omnemque diuersitatem per degenerationem contingentem inductam esse contendit. Videretur igitur natura vtrobique spectata sibi ipsi contradicere. Verum si, quod rectius est, vtrumque non de rerum natura loqui penitus sibi perspecta, quae quidem nimis abdita est, quam vt ipsam interius pernoscere, quaeque ipsius sint et consilia et leges, compertum habere fas sit, — sed diuersam tantum normam subiectiuam sequi intelligimus, tunc cessat omnis lis, et vtramque normam ad cognitionem promouendam recte adhiberi, perspicitur. Consulit enim augmento scientiae et complemento systematis vterque, tam qui diuersitatem sequi gaudet, quam qui vnitatis vestigia, quae in obiectis experientiae occurrunt, potius legenda esse existimat. Haud enim omnem naturae complexum penitus pernoscere homini datum, sed quantulum id, quod scire licet, ad vnitatem principiorum redigere, et perfecti systematis ideae, quantum potest, cognitionem suam approximare, hoc opus, hic labor est.

Com-

Commentatio ad dialecticam transſcendentalem acceſſoria altera: de deductione idearum transſcendentalium, quoad vſum ipſarum regulatiuum.

§. 1.
Inſtituti ratio.

Reſtat iam nunc, vt quo iure ea, quae de principiorum rationis vſu regulatiuo dicta ſunt in genere, ad ideas transſcendentales applicari poſſint, exponamus.

Nulla conceptus cuiusdam a priori applicatio fieri admittiue poteſt, niſi transſcendentali prius ipſius deductione perfecta, qua vſus eiusdem legitimus comprobetur. De conceptibus rationis ſiue ideis talis quidem deductio, qualis eſt praedicamentorum, quibus obiecta experientiae poſſibilis correſpondere vidimus, exhiberi nequit. Verum ſi aliquam tamen illis realitatem, haud quidem in conſtituendis nouis obiectis, verum in comprehendenda ſaltem ſub vnitate ſyſtematica obiectorum empiricorum cognitione, conciliare volumus, transſcendentalis aliqua vſus ipſarum legitimi deductio ſiſtenda erit. Dari autem idearum vſum aliquem legitimum, nec dialecticam per ſe ipſarum indolem eſſe, iam exinde concludere licet, quod rationi noſtrae naturaliter inhaerent, in qua, quippe ſummo omnis veritatis in cognitionibus noſtris iudice, originariam fraudem admittere nefas eſt.

§. 2.

Transſcendentalis idearum rationis ſpeculatiuae deductio in eo vertitur, vt oſtendamus, rationem in ideis adhibendis neceſſariam ſibi normam ſequi, quoniam per poſitionem idealem obiecti ipſis adaequati vſus rationis empiricus in concilianda vnitate ſyſtematica regi-

 tur,

tur, cognitis per intellectum cohaerentia et amplificatio comparatur, ipsaque tali principio experientia numquam repugnare potest.

In eiusmodi deductione maximi momenti est, vt probe, quid sibi velit obiecti idealis positio, intelligamus. Multum enim differt, an aliquod rationi detur vt obiectum simpliciter, an vero idem vt obiectum in idea (ideale) exhibeatur. Quicquid datur vt obiectum simpliciter, reale est, et determinatur per conceptus, quicquid idealiter ponitur, schema est, minime ad id comparatum, vt re vera ipsi obiectum correspondere opinemur, sed eum in finem institutum, vt cetera obiecta, simpliciter data, per relationem ad eiusmodi ideam secundum nexum systematicum, cuius vinculum est idea, repraesentari possint. Hanc si obseruationem ad ideas, quas exposuimus, transscendentales, psychologicam nimirum, cosmologicam et theologicam, applicamus, inde haud per ipsas obiecta constitui simpliciter, sed schemata exhiberi videbimus, ad quorum ductum obiectorum empiricorum habitus et nexus ipsorum systematicus explorari debet; quare ideam haud pro conceptu ostensiuo sed hevristico (ἑυρισικῳ) seu exploratorio habendam esse patet. Primum igitur quoad ideam psychologicam ita institui experientiam volumus, *quasi* omnia mentis phaenomena, omnis eius et operatiua et receptiua facultas, ab vna penderent substantia simplici, (anima) continua personalis existentiae, saltem in hac vita, duratione gaudente, quamuis status ipsius internus, cuius conditio externa corpus est, in perpetuam fluctuet et commutetur.

Deinde per ideam cosmologicam in explorandis phaenomenorum conditionibus, tam internis quam externis, ita iubemur procedere, *tanquam* series conditio-

ditionum per se infinita sit, ne vnquam experientiae filum perpetuum abrumpatur, quamuis dari extra phaenomenorum complexum eorumdem principia intelligibilia (libertatem et ens necessarium) non renuimus: id tantum prohibentes, ne haec intelligibilia in nexum caussarum naturalium introducantur. Quod denique ad theologicam ideam pertinet, ita secundum hanc instituenda est experientia, *quasi* omnia, quae in experientiam nostram possunt incidere, ad absolute vnum et in se connexum vniuersum pertineant, ipsum autem hoc mundi sensibilis vniuersum a principio intelligibili, extra eiusdem complexum posito, summo et in se constanti, pendeat: in quo quidem principio summam rebusque procreandis idoneam intelligentiam cogitantes, ita obiecta empirice data rerumque caussas et effectus inter se connectere iubemur, quasi haec omnia secundum fines aptissime constitutos ab hoc omnis rationis prototypo ortum originemque traxissent.

Quibus si principiis experientia regitur, cognitio augetur, et ad concertum nexumque harmonicum reuocatur; tunc haud amplius dubitare poterimus, quin ratio haec principia vt normas subiectiuas sequi debeat, quibus et sua adest, quamuis non constitutiua, at regulatiua tamen realitas.

§. 3.

Distinguendum est inter suppositionem absolutam et relatiuam. Idearum transscendentalium suppositio est relatiua ad mundum sensibilem.

Subtilis quidem eiusmodi distinctio videri posset, et scholasticorum sapere argutias. Verum ad rem facit; nec offendi debemus exactis distinctionibus et conceptuum accurata determinatione, praeter quam vbi summa subtilitate nihil agi intellexerimus; ab hac vero

ro

ro vani ſermonis ſuſpicione ſubſequens nos liberabit tractatio.

Si ideam coſmologicam excipimus, in qua formanda ratio antinomiam incurrit, in ceteris nulla adeſt contradictio, quae vetare nos poſſit, quominus haſce ideas etiam obiectiue et hypoſtatice proponamus. Nemo enim eſt, qui de poſſibilitate iſtorum entium, qualia in idea pſychologica et theologica proponuntur, minus ac nos neſciat.

Verum quum ad poſitionem obiecti alicuius haud ſufficiat, vt realitati ipſius nulla obſtet poſitiua conceptus repugnantia, inde certo iure hanc tantum ipſis realitatem vindicare poſſumus, ſecundum quam non vt res per ſe, ſed vt analoga obiectorum exiſtentium, naturae rerum explorandae fundamento ſunt. Haec autem eiusmodi obiectorum ſuppoſitio relatiua eſt, propter mundum ſenſibilem, non abſoluta. Nam entis merae ideae rationis transſcendentali correſpondentis exiſtentiam abſolute ſupponere non poſſumus, quoniam de ipſo nihil omnino niſi in relatione ad mundum ſenſibilem cogitare licet. Vltra enim hunc mundum nullus omnino conceptus, per quem obiecta determinantur, aliquid ſignificationis habet, quoniam conditione omnis realitatis, experientia ſcilicet, ſimulac phaenomena exceſſeris, deſtituitur. Nec igitur conceptus realitatis, ſubſtantiae, cauſſalitatis, etc. extra cognitionem empiricam obiectum aliquod determinare valent, ſed merae ſunt cogitationum formae, argumento prorſus omni carentes, ſimulac eorum, quae in tempore exhibentur, (in quo ſolo materia eſt cognitionis per praedicamenta) prouinciam fueris egreſſus. Nullo igitur mundi ſenſibilis reſpectu habito, nihil eſt, quo in obiecto ideae transſcendentalis abſolute ſupponendo niti poſſimus. Verum ſi obiectum idem relatiue tantum ad mundum ſenſibilem ſuppo-

supponitur, nec id quaeritur, quo modo per se tale noumenon comparatum sit, sed quomodo id ad systematicam huius vniuersi empirici vnitatem procurandam cogitari debeat; tunc sane ens summum extramundanum per praedicata determinari poterit, ad mundum proprie sensibilem pertinentia. (qualia sunt substantia, vis et caussalitas, necessitas etc.) Prototypon enim solummodo definitur, in quo omnium, quae in hoc mundo conspiciuntur, realitatum summa contineatur; et cum quidem in finem, vt ab hac idealiter posita omnes realitates conditionatae deriuari, rursusque diuersa earum multitudo ad ipsam, tanquam communem omnis realitatis fontem et originem, reduci possit; ita vt vnitas conseruetur principii, in qua maxima est ad promouendum naturale studium vis atque auctoritas. Qua propter etiam omnia, quae de summo ente cogitari possunt, ad anthropomorphismum, quem vocant, redeunt; nec nisi secundum analogiam cum realitatibus conditionatis absolutum ipsarum substratum determinari potest. Sic autem iam ipsa ratio, quid in proponendo ideae transscendentalis obiecto sibi velit, ostendit: nec latere nos potest, vsui tantum ipsius empirico in cognitionibus sub vnitate systematica comprehendendis consuli, haud vero novam obiectorum intelligibilium cognitionem ambiri; in qua comparanda nullus conceptuum, ad vsum quippe empiricum restrictorum, vsus admitti posset. Vt quae hucusque paullo forsan vberius disputata sunt in arctum contrahamus, *obiecta idearum relatiue supposita schemata sunt principiorum regulatiuorum*, quorum omnis vis in vsu intellectus empirico promouendo et cognitionibus apte inter se connectendis posita est. Quantum autem per eiusmodi schema recte adhibitum experientia adiuuetur, iam nunc deinceps ad ordinem idearum transscendentalium exponendum est.

§. 4.

§. 4.

Obiectum ideae psychologicae, (anima nimirum substantialis) *relatiue suppositum, maxime est vsui tam ad principia materialia, a phaenomenis sensus externi petita, ab explicatione phaenomenorum sensus interni arcenda, quam ad diuersas in subiecto cogitante modificationes ad commune principium, quantum fieri potest, reducendas.*

Experientiam circa praedicata, sub quibus subiectum cogitans exsistit, consultando magnam quidem phaenomenorum sensus interni diuersitatem propositam nobis videmus; at vnitas ipsorum systematica in communi omnium substrato desideratur, quippe quam empirica synthesis praebere nequit. Hanc autem sistere cupiens ratio, conceptum empiricum de subiecto cogitante deserit, et ad ideam intelligentiae simplicis substantialis ita transit, vt vnitatem cogitationis empiricam (quae efficitur per simplex hoc enuntiatum, „ego cogito„, quod omni repraesentationi possibili necessarie inest) absolute ponat, tanquam substantiae simplici personaliter identicae et in relatione mutua cum realibus extra ipsam positis constitutae originaliter inhaerentem. Haec vero idea, si recte intelligitur, nihil aliud sibi vult, nisi vt omnia sensus interni phaenomena a communi principio, quantum licet, deriuemus: ita vt omnes eiusdem modificationes tanquam vnico inhaerentes subiecto, omnes facultates tanquam deriuatae a simplici et primitiua facultate, omnes commutationes tanquam ad vnam eandemque substantiam perdurabilem pertinentes, denique operationes cogitationis in genere tanquam prorsus a phaenomenis in spatio diuersae, considerentur. Sic autem subiectum psychologicum pro schemate huiusce principii regulatiui habentes, relatiuam ipsi realitatem

tem ad phaenomena ſenſus interni recte pernoſcenda tribuimus, qua quidem ſuppoſitione ſtudium pſychologicum maxime promouebitur. Primum enim cavetur, ne in explicandis, quae ad ſenſum hunc internum pertinent, phaenomenis legibus vtatur empiricis a mundo materiali deſumtis; arcentur ſtolida illa et ventoſa, quibus metaphyſica veterum abundauit, de generatione, morte, et palingeneſi animarum commenta, integraque et ab omnibus abſimilibus expurgata ſubiecti cogitantis conſeruatur contemplatio. Deinde vero, id quod maximum eſt, quaecunque in ſenſu interno occurrunt, ad vnitatem reuocantur principii; quicquid in variis facultatibus cognoſcitiuis aut appetituum diuerſitate ſimile ſit, et in quo ſeſe inuicem attingant, exquiritur, ita vt ex incohaerenti alias cognitionum ſingularum aggregato ſyſtema inter ſe connexum condi poſſit, quod abſque eiusmodi ſchematis, quaſi exiſtentis, poſitione ideali fieri nequiuerat.

§. 5.

Totalitas abſoluta conditionum obiecti in intuitione dati (qualem idea coſmologica poſtulat) relatiue ſuppoſita, maximo eſt vſui ad regreſſum empiricum rite inſtituendum, in quo ſolo ſpes eſt cognitionis naturalis amplificandae.

Ratio, vnitatem quaerens phaenomenorum ſenſus externi, ſchema conſtituit conceptus coſmici, in quo mundus vt vnum totum et ſecundum omnes conditionum ſeries in indefinitum aſcendentes abſolutum conſideratur. Hoc vero ſchema totalitatis conditionum a ſchemate pſychologico eo differt, quod immanens eſt nec intuibilium regionem excedit, quemadmodum in obiecto pſychologico videramus, quod transſcendens eſſe debet, quoniam in ipſo vnitas obiectiua determi-

terminationum subiecti cogitantis continetur ideoque absoluta simplicitas, quam intuitus praebere nequit.

Hanc vero, de qua hic agimus, totalitatem conditionum *absolute* statuentes, antinomiam incurrimus ineuitabilem; *relatiue* supponentes, recte agimus et cognitioni naturali consulimus. Quin adeo indispensabili rationis norma talis suppositio relatiua praecipitur; nam absque illa nullus est intellectus ad cognoscendum vsus. Vbicunque enim vltimam conditionem seu caussam naturalem effectus in experientia dati ponimus, ibi terminus imponitur cognitioni, nec augmentum sperari potest amplius. Quare etiam male consultum fuit scientiae naturali, quamdiu omnia naturae phaenomena pro effectibus habebantur arbitrii superioris immediate et ad libitum quasi ipsos producentis, et in hoc genere mythologia veterum sanae cognitioni nocentissimo sane obstaculo fuit. Quamdiu vero principium regressus caussalis in indefinitum ascendentis secuti sunt naturales philosophi, mirum est, quanta inde et quam praeclara incrementa studium illud acceperit.

§. 6.

Suppositio relatiua obiecti ideae theologicae correspondentis contemplationi rerum naturalium, tanquam ad certos summae sapientiae fines aptissime dispositarum, prospicit, sicque teleologicam inducens explorandae naturae methodum cognitionem auget, illustrat et ad concentum reuocat systematis.

Entis summi eiusdemque realissimi, in quo sufficiens cogitatur et in se perfecta serierum cosmologicarum caussalitas, mere relatiuam esse suppositionem ex omnibus, quae hucusque in hoc genere allata a nobis sunt, abundanter efficitur. Si enim a mundi contem-

contemplatione penitus abstrahimus, nihil est, quo ad eiusmodi entis in se perfecti et suapte natura necessarii positionem absolutam induci possimus. *Relatiue* igitur et ad mundi sensibilis cognitionem perficiendam entis summi idea assumitur, quae si recte ipsam et ex vsu regulatiuo, cui vnice comparata est, interpretamur, nihil sibi vult aliud, nisi, rationis eam esse normam necessariam, secundum quam omnem nexum cosmicum ita considerare iubemur, tanquam omnia quaecunque ingrediuntur in ipsum, ab ente vnico, in quo summam caussalitatem reponimus, ortum originemque trahant, et ab ipso ad fines certos aptissime constituta sint. Eiusmodi vero suppositio relatiua quantum faciat ad experientiam rite instituendam, quantumque ad summam, quam ratio postulat, vnitatem formae finalis in rerum natura explorandam prosit, in propatulo est. Simulac enim omnem rerum ordinem ita consideramus, tanquam a summa aliqua sapientia prouidenti consilio institutus sit, tunc noui aperiuntur in contemplatione vniuersi prospectus. Vbicunque enim res sunt, ibi etiam rerum supponuntur fines, in quibus indagandis ratio ad pulcherrima inventa nouasque nexus rerum finalis leges constituendas traducitur, ita vt ductu eiusmodi principii regulatiui cognitio naturalis non possit non incrementa capere, impediri corrumpiue nequeat. Licet enim fieri possit, vt interdum verum ibi constituerimus nexum finalem vbi nexus tantum physicus siue effectiuus aderat; hic tamen error autoritati principii non derogabit, nec recto rationis vsui obesse poterit. Errore enim intellecto hunc quidem rebus non inesse, quem exspectaueramus, nexum finalem fatebimur; at omni instituto naturali formam inesse finalem supponentes alium quaeremus. Nemo enim vnquam comprobare poterit, inueniri aliquid in rerum natura quod nullo vsui comparatum sit. Vbi igitur rerum non in prom-

tu sunt fines, ibi adesse omnino tales, at nostro adhuc ingenio inaccessos, censendum est; sic enim in ipsis explorandis elaborabimus, qua quidem rationis industria studium naturale promouebitur, quod contraria huic norma assumta prorsus corruit atque destruitur. Exemplo nobis esse potest physiologia, quam et teleologiam corporis organici vocare licet, quum in ipsa membrorum eiusmodi corporis finis et vsus certus demonstretur. Huius disciplinae fundamentale principium a norma, quam exposuimus, subiectiua rationis profectum est, et omnes, quaecunque in corpore animali reperiuntur, partes, organa esse postulat, ad vsum aliquem certum constituta. Obseruatio autem empirica, nimis exigua et est adhuc, et inprimis tum fuit, quum scientiae prima fundamenta iacerentur, quam vt tale principium ab experientia desumtum fuisse crederes: rationis erat ad vnitatem formae finalis cognitionem empiricam componere studentis: nec vnquam tantos exploratio physiologica profectus sperare potuisset, nisi hanc secuti normam physiologi experientiam eius ductu auspiciisque instituissent. Quin etiam in genere nullum in quauis parte scientiae cognitionis augmentum exspectari potest, nisi scopum aliquem principii normalis ante oculos habemus, quo ducamur, et ad quem tendamus; nec intelligitur, quomodo eorum, quae in intuitum nostrum incidunt, rationabilis fieri possit experientia, nisi si formam rationabilitatis, quae naturae inhaeret subiecti cogitantis, et in principiis regulatiuis exprimitur, ad obiectorum cognitionem traducimus, et quae empirice intuemur ad vnitatem systematis a priori reuocamus.

Hactenus de ideis transscendentalibus, quatenus per normam necessariam rationis ipsis vt principiis experientiae regulatiuis inhaerere iubemur. Iam autem, quae quantaque incurramus vitia, simulac re-

...lo hoc vſu relicto conſtitutiuam eis realitatem, natu...ae ipſarum repugnantem aſſignamus, breuiter eſt ex...ponendum. Vt tamen, quae fuſius in ſuperioribus ...irca obiectiuam realitatem idearum nullo modo de...monſtrabilem tractata ſunt, in arctum contracta in ...nimum lectoris reuocemus, hoc in genere animad...uertendum eſt: ad realitatem conceptuum probandam ...ſemper intuitiones correſpondentes requiri, quarum, ...quae conceptibus empiricis adſunt, *exempla*, quae ...puris, *ſchemata* vocantur. Realitas autem idearum ...ue conceptuum rationis nec exemplis nec ſchemate ...demonſtrari poteſt, ita vt theoretica ipſarum cognitio ...nde confici poſſit; quoniam in nulla omnino intuitio...e exhiberi poſſunt. Quare earum realitatem more ...peculatiuo velle demonſtrare, abſonum eſt.

§. 7.

...rimum quod incurrimus vitium, conſtitutiuam ideis realitatem tribuendo, ignaua, ſecundum Ciceronem, ratio appellari poteſt, per quam tale intelligimus principium, quod rationem inducit, vt explorationem naturae in aliquo termino prorſus abſolutam eſſe arbitretur, et perſcrutatione vlteriori abiecta inerti ſeſe ſocordiae tradat.

Hoc vitium fere ineuitabile videtur, ſimulac ob...i, conceptum rationis transſcendentalem ad id tan...m comparatum eſſe, vt experientia regatur, haud ...ro vt in ipſo tanquam vltimo fundamento ſubſiſta...us, relatiuam ſuppoſitionem in conſtitutiuum prin...pium conuertimus. Sic enim commode quidem ra...oni ſpeculatiuae conſuli videtur, dum phaenomena, ...ae aliquid exhibent difficultatis ab incognito aliquo transſcendentali fundamento repetimus; at experi...ntia negligitur, in qua tamen ſola ſpes eſt ſolidae

 cogni-

cognitionis et iustae rerum naturalium interpretationis. Quare perniciosissimo fit consilio, si quod schema est vnitatis systematicae pro obiecto habentes reali, neglectis caussis naturalibus effectus sensibiles a caussis intelligibilibus deriuamus. Saepissime tamen hoc fieri tam a spiritualismi dogmatici defensoribus quam ab iis qui pro theologia naturali physico-theologiam in explicanda rerum natura substituunt, experientia docet. Illi enim, dum *substantialem* subiecti cogitantis vnitatem pro fundamento assumunt explicationis, ab hac identitatem personae per omnes diuersorum statuum vices facillime deriuant, nec non prouidam hominum circa ea, quae post eorum ex hac vita excessum euentura sunt, curam a conscientia simplicis et immaterialis nostrum substantiae procedere statuunt, commode magis quam ad promouendam sanam scientiam vtiliter. Peruertitur enim omnis psychologia empirica, a qua sola tamen istorum sensus interni phaenomenorum rationes et caussae repeti debebant. Nocentius adhuc vitium illud ignauae rationis reperitur in iis, qui in explicando rerum naturalium nexu finali caussas ab experientia repetendas relinquunt, et ad inexplorabile summae sapientiae consilium prouocantes verecundiam simulantes desidiae indulgent. Nulla enim accuratior scientia naturalis possibilis est, si, vbicunque aliquid exhibetur difficultatis, regressum empiricum secundum leges vniuersales mechanismi naturalis deserimus, vltimam protinus caussam in obiecto transscendentali reponentes, quasi nullus adesset naturalis, a quo haec phaenomena explicari possint, nexus; cum tamen hac ipsa idea assumta nihil ad cognoscendum ordinem naturalem et nexum internum in serie phaenomenorum adiuuemur, sed omne potius abrumpatur iustae cognitionis filum. Hoc vero vitium optime deuitabimus, si systematicam naturae vnitatem secundum ideam summae intelligentia

tiae explorandam vniuersaliter proponimus: at in partibus singulis, quae e. g. ad animalium naturam secundum certos fines constitutam, aut ad terrae structuram montiumue aut aquarum et repartitionem et vsum pertinent, semper filum experientiae sequimur, naturalia ex naturalibus explicari debere pro certo habentes. Sic enim teleologicum habemus principium formae finalis in vniuerso, secundum quod in singulis congruens aliqua cum fine certo dispositio supponi debet, hanc autem, vbi non in promtu est statim, non obtrudere quasi naturae, sed ab ipsa diligenter et sobrie explorata exspectare consentaneum est. Sic enim sanae consulitur cognitioni, quae quidem, si explicationi naturali caussalitatem hyperphysicam substituimus, funditus euertitur.

§. 8.

Alterum, quod ex obiectiuo ideae regulatiuae positione oritur, vitium peruersa est ratio, secundum quam existentia summae et intelligentis caussae, quae ex rite obseruatis demum naturae finibus deriuari debebat, principii loco ponitur, et circulus committitur in demonstratione.

Principium regulatiuum ad id tantum institutum esse vidimus, vt eius ductu vnitas systematica in rerum natura quaeratur, quam problematice tantum supponere, et quatenus ab experientia ipsi adaequata confirmetur, exspectare debemus. Peruertunt tamen rem omnem ii, qui existentiam summae intelligentiae, quam e rerum natura accuratius obseruata colligere licebat, anticipando, naturam ad fines certos aptissime constitutam esse debere abhinc concludunt, quoniam

 a caussa

a caussa sapientissima originem trahat. Ita enim id quod demonstrandum erat, iam pro certo habentes ὕστερον πρότερον inducunt ratiocinii. Quo fit, vt saepissime in commentationibus physico-theologicis eiusmodi circulum reperiamus, secundum quem a nexu finali in quibusdam naturae partibus inuento ad existentiam summae intelligentiae, et rursus ab hac summa intelligentia ad formam rerum omnium finalem, quae naturae necessarie inhaerere debeat, concluditur. Sic autem forma rerum finalis, tanquam a natura ipsa aliena, ab externo principio repetitur; id quod instituto argumenti prorsus repugnat, secundum quod a conuenientia naturae ipsi inhaerente ad conditoris eiusdem perfectam intelligentiam conclusio debuerat procedere. Tollitur autem atque euertitur funditus omnis naturae vnitas systematica, si quodcunque in contemplationem nostram incidit, a speciali conditoris rerum omnium consilio deriuamus, nec vero quemadmodum docebat, e legibus potius naturalibus conamur deducere.

§. 9.

Quaestionibus circa theologiam transscendentalem quomodo respondi possit.

Supra, quum de antinomia cosmologica tractaremus, (Dial. transsc. Lib. II. Cap. II. Sect. IV. Apotom. I. §. 4.) obseruatum est, omnibus quaestionibus quas ratio pura circa ideas proponit, etiam quod respondeatur in promtu esse debere, nec ab hac nos solutione excusari posse inscitiam praetexendo. Eiusmodi enim quaestiones non ad rerum naturam, quae saepissime nos latere potest, sed ad rationis nostrae indolem spectant, cuius explorandae in ipsa ratione principium est. Iam igitur, ne vaniter gloriatos nos esse

aliqui

aliquis existimet, — quamquam modestiae potius quam arrogantiae dari debeat assertio nostra, quae cognitionem ad domestica quasi et immanentia problemata reducit — quaestiones aliquas praecipuas circa theologiam transscendentalem vna cum ipsarum solutione proponamus, exemplum simul in his daturi, ad quod similis quaestionum psychologicarum solutio a lectore ipso perfici poterit.

Si quaeris igitur, an aliquid dari oporteat a mundo diuersum, in quo fundamentum contineatur rerum naturalium nexusque, in quo constitutae reperiuntur? — Immo vero, respondemus. Mundus enim quum sit summa atque complexus phaenomenorum, necesse est, vt ab hisce diuersum aliquod existat, quod non exhibetur in intuitu, sed ab intellectu vt phaenomenorum imperceptibile substratum cogitatur. Porro si interrogas, num transscendentale hoc substratum substantia sit, eaque realissima et necessaria? etc. eiusmodi quaestiones sensu carere respondemus. Nam praedicamentorum nullus est vsus praeter empiricum, ad obiecta intuibilia determinanda, quorum regionem simulac excesseris inanes remanent cogitationum formae, in quibus nihil comprehenditur praeter vnitatem obiectiuam, quae vlterius determinari nequit. Vbi igitur deest materia cogitationis (obiectum intuibile), ibi nulla formarum cogitandi applicatio fieri potest; quare praedicamentorum nullus ad substratum intelligibile determinandum vsus est. — At secundum analogiam tamen cum obiectis experientiae ens illud a mundo diuersum cogitari poterit? — Vtique potest; modo ne obliuiscamur, per talem eius determinationem schema tantum constitui principii regulatiui, ad vnitatem systematicam cognitionum, quantum maxime fieri potest, conciliandam, haud vero subiectum intelli-

ligibile quale sit, exinde cognosci. Licet igitur analogia vti intelligentiae, et sicuti in intelligentia humana rerum apte componendarum caussalitatem repositam esse conspicimus, sic et in summa aliqua intelligentia caussalitatem omnipotentem ad vniuersum secundum fines certos aptissime disponendum praesumere et possumus et secundum normam rationis necessariam adeo debemus. — At sic augmentum quaeritur cognitionis, nullo experimento collectae, et de suprasensibilibus aliquid statuitur? — Nequaquam. Semper enim id fixum mente tenentes, de obiecto transscendentali nullum nobis conceptum dari, relatiuam tantum instituimus ideae suppositionem, qua ratio in exploranda rerum natura ducatur. Haud igitur certa entis alicuius realissimi tanquam existentis cognitio, sed eius idea tantum in progressu empirico rite instituendo adhibetur, sicut in legibus ferendis ab idea rei publicae secundum leges aequae libertatis perfectissime constitutae egrediendum, eique, quod non obiectum est experientiae, experientia tamen, quousque licet, adaptanda est.

EPILOGUS.

Iam igitur, quod ex analytica transscendentali profluebat, vltra experientiae possibilis prouinciam nullam nobis non solum haud sperari, sed ne comprehendi quidem posse cognitionem, per dialecticam transscendentalem confirmatum videmus. Quum enim ex analytica nostra emergeret, conceptibus intellectus nullam nisi ad obiecta empirica relationem esse, spes tamen supererat, forsan ope idearum, in quibus, si ab intuitione incipimus, tertium est cognitionis elementum, ad obiectiuam noumenorum cognitionem perueniri posse, et ratio sibi securam hucusque possessionem

nem tot tantarumque cognitionum supranaturalium eripi non posse satis confidebat. Quaestio igitur iuris instituenda erat circa eiusmodi possessionis titulum, quem lite perorata quum supreptícium inueniamus, inde stat sententia, nullam veri nominis esse cognitionem syntheticam a priori, nisi quae solido nitatur fundamento experientiae possibilis. Quare idearum quoque rectus vsus ad obiecta experientiae restringendus, et, abiecta cognitionis transscendentis vana specie, pro immanenti et regulatiuo habendus est.

II.
METHODOLOGIA TRANSSCENDENTALIS.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Methodologia transscendentalis est tractatus de conditionibus formalibus systematis rationis purae perficiendi.

Tractatu elementari iam absoluto, et cognitionis mere transscendentalis siue speculatiuae materia conquisita aestumataque, nunc eam, quam in introductione operis (§. 8. 9.) promisimus, expositionem methodi, quae in condendo cognitionis purae systemate adhibenda sit, aggredimur. Videri fortassis quibusdam posset hanc methodologiam praemittendam et ad eius filum criticae nostrae tractatum doctrinalem redigendum fuisse. Verum si accuratius id secum perpenderint, ante aedificium condendum materiam nobis perspectam esse debere, vt quamnam ipsa compagem admittat, ex ipsius natura diiudicari possit, tunc sane hoc nobis concedent, primum cognitionum purarum naturam, ambitum et limites explorari nobis debuisse, antequam definire poteramus, quemadmodum sub nexum ex principiis, qui in systemate requiritur, redigi debeant. Recte quidem monetur, ad argumentum cognitionum hic non respici, sed formam tantum exhiberi systematis, conditionesque eiusmodi formae constituendae exponi. Est autem id, quod quaerimus,

rimus, cognitionum purarum ſyſtema; quapropter a certo quidem ac definito ſingularum cognitionum argumento abſtrahimus, verum ad notionem communem omnibus in ſyſtemate noſtro connectendis cognitionibus, vt purae ſint et transſcendentales, ſemper reſpiciendum erit in methodo, quae tali cognitionum generi apta eſſe poſſit, exquirenda.

Aptiſſimae autem methodi inueniendae nulla ſpes erat, niſi cognitionum transſcendentalium indole et ambitu prius explorato. Hoc igitur negotio peracto in logica transſcendentali, nunc naturae cognitionum purarum ſuperſtructas leges normales, et certas quidem et accurate definitas eas, proponere poterimus, nec verendum erit, ne, quemadmodum fit in logices vniuerſalis parte, quam applicatam ſiue practicam vocant, inanes tantum variarum methodorum titulos et inutilem terminorum, quos vocant, technicorum pompam ducamus.

Logica enim vniuerſalis ad nullum ſibi iam perſpectum cognitionum genus, ſed ad formam tantum cogitandi reſtricta, nihil certi circa methodum praecipere valet, materiae quippe ſyſtematice connectendae ignara: nos vero de definita cognitionis parte — pura ſcilicet, a priori conſtituta, — agentes, perſpectamque materiae, cuius componendae ratio quaeritur, indolem habentes, ex hac ipſa leges certas methodi inſtituendae repetere poſſumus.

§. 2.

Methodologiae transſcendentalis partes ſunt quatuor, diſciplina, canon, architectonica, denique hiſtoria rationis purae.

Ante

Ante omnia cautione opus eſt, ne in concinnando cognitionum purarum ſyſtemate peruerſam methodum ſequamur, quae in abuſum rationis inducere poſſit. Hanc primam curam *disciplinae* demandauimus: deinde leges conſtituendae ſunt recti facultatum cognoſcitiuarum vſus, quorum complexum *canonem* appellamus, quem deinde excipiet *architectonica*, cognitionum purarum ſchema exhibens ſyſtematicum, ad cuius formam ſyſtema completum rationis purae redigi debet. Coronam operi imponet *hiſtoriae* rationis purae delineatio, ex qua, quam diuerſas ratio hucusque vias ingreſſa ſit, ad cognitionem nunc amplificandam, nunc arctioribus limitibus circumſcribendam, perſpici poterit.

ME-

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

LIBER PRIMUS.

De disciplina rationis purae.

§. 1.

Disciplinam in genere eam vocamus castigationem, per quam inhaerens menti humanae, a certo legum constitutarum tramite deflectendi, nisus coerceri et paullatim exstirpari debet.

Odit plerumque mens humana, cognitionis quippe amplificandae naturaliter auida, institutionem negatiuam, tanquam frenum huic ipsius cupiditati imponere paratam; adamat quae positiua sunt, vt explendo huic desiderio consulentia. Attamen plerumque, vbi pauca tantum cognoscere datur, iudicia negatiua maioris fere momenti sunt quam positiua: veritatis enim vnica tantum via est, errorum varii et multiplices recessus patent, nec illecebrae desunt et illusiones speciosae, quibus seducta ratio paullatim in sequiorem partem concedit. Quare ad iudicia illa, quae vere sunt negatiua, nec tantum secundum formam logicam, sed quoad materiam, quam forma illa logica non tangit, (iudicium enim quoduis, licet quoad materiam positiuum sit, tamen sub forma logica negatiua exprimi potest) maxime est attendendum. Ad prohibendos enim errores comparata sunt, quos si deuitaueris, prona est ad veritatem et decliuis semita. Adhiben-

hibenda igitur est in quouis cognitionum genere disciplina, vt ab abusu caueatur, nec hac deficiente *cultura* ingenii aliquid prodesse poterit. Cultura enim habitus paratur ad vtendum ingenii facultatibus, *disciplina* abusum tollit, et, quas contraximus, prauas consuetudines exstirpat. *) Ad formandum igitur ingenii *cultura* sanae doctrinae accedens *positiuum*, *disciplina* vero *negatiuum* vsum praestabit.

§. 2.

Disciplina rationis purae versatur in legibus negatiuis ex ipsa rationis natura deriuandis, quibus ne falsam in condendo cognitionum purarum systemate methodum sequamur, prohiberi possit.

Liberiores ingenii facultates, qualem imaginationem dicimus seu vim fingendi, nec non similitudinis aut discrepantiae rerum inueniendae solertiam, disciplina coerceri debere, nemo est, qui non nobiscum fateatur. At rationem ipsam, penes quam ceterarum ingenii facultatum imperium esse debet ac moderamen, ipsam disciplina egere, haud ita facile nobiscum conueniretur, ni dialectica transscendentali quanam nobis specie illudat, et quaenam placitorum ipsius, sub rigidioris licet doctrinae forma promulgatorum, saepe sit vanitas, satis superque demonstrauisset. Quamdiu autem ratio intra intuitionis vel empiricae vel purae prouinciam continetur, nullus diu latere poterit error. Quae

*) Haud sumus ignari, in scholis plerumque disciplinam cum doctrina promiscue haberi. At quum, vti saepius monitum est, philosophi sit, inprimis, accuratae vocabulorum significationi prospicere, propterea disciplinam a doctrina sic distingui consentaneum videtur, vt per doctrinam positiua, per disciplinam vero negatiua designetur institutio.

Quae enim in vſu eius empirico ſecus iudicauerit, ſcrutinio experientiae rectius inſtitutae admota mox et intelligi et corrigi poterunt, nec in mathematicis error diu latere poteſt; quae enim peccata fuerint, in intuitione pura ſpatii exhibita, mox apparebunt. At ſi ex meris conceptibus intuitione derelicta res omnis transigitur, in vſu ſcilicet rationis transſcendentali, ibi maxima eſt erroris ſuſpicio illuſionumque multifariae facies et ſophiſmata inter ſe ad ſyſtematis nexum aliquem ſub principiis protopſeudis conciliata, ſeueram requirunt diſciplinam, quam nunc circa rationis purae vſum tam dogmaticum quam polemicum, eiusque et hypotheſes et demonſtrationes exercebimus.

DISCIPLINAE RATIONIS PURAE

CAPUT PRIMUM.

Diſciplina rationis purae circa vſum eius dogmaticum ſiue de methodo mathematica in philoſophicis haud applicanda.

§. 1.

Methodus mathematica, propter plane diuerſam cognitionum mathematicarum et philoſophicarum naturam, in philoſophicis adhiberi nequit.

Scientiae mathematicae ea eſt indoles et praeſtantia, vt in ipſa augmentum acquiratur certae et apodicticae cognitionis nullo experimento collectae, ſed pure a priori conſtitutae. Methodus igitur mathematica, ex hac ſcientiae indole deriuata, ad certitudinem ducit apodicticam, quam diu ad id cognitionum genus, cui compa-

comparata est, (quantorum scilicet dimensionem) applicatur. Vnde spem cepere philosophi, fore vt eadem tantum methodo adlubita ad apodicticam certitudinem circa obiecta, quorum cognitio mere ex conceptibus petitur, perueniri possit; haud considerantes, certitudinem apodicticam in mathematicis ex ipsa harum cognitionum natura, haud vero ab abstracta methodi forma oriri. Ab hoc errore methodus dogmatica (i. e. mathematica ad philosophicas cognitiones applicata) originem traxit, quam vt male in philosophicis adhiberi probemus, *primum* quantum philosophica cognitio a mathematica distet exponendum, *deinde* vero quae propria sunt methodi mathematicae attributa in philosophicis haud inueniri ostendendum erit. Tunc enim vltima demum certae cognitionis circa intelligibilia vnquam acquirendae spes abscindetur, atque quae diuersa sunt per se cognitionum genera, sub eadem methodo non posse comprehendi patebit.

I.

De discrimine, quod intercedit inter cognitionem mathematicam et philosophicam.

§. 2.

Cognitio mathematica est cognitio rationalis per constructionem conceptuum, ergo intuitiua a priori.

Construere conceptum idem est, ac intuitionem ipsi correspondentem sistere a priori. Ad conceptus igitur constructionem intuitio requiritur haud empirica. Haec quidem, quâ intuitio, singulum repraesentat obiectum, quatenus autem per ipsam conceptus siue generalior repraesentatio construitur, schema est vniuersale omnium intuitionum, quae sub eodem conceptu comprehenduntur. Sic v. c. triangulum con-

strui-

ſtruitur, quando obiectum ipſi correſpondens aut per imaginationem in intuitione pura repraeſentatur, aut ſecundum normam ipſius creta vel carbone deſignatur, ita vt empirice ſiat intuibilis. Figura quidem, a priori excogitata, ſimul ac ipſam delineaueris, ſingula eſt et empirice cognoſcibilis, at nihilominus vniuerſalitati conceptus ſchematice exprimendae apta remanet. In intuitione enim empirica trianguli in concreto exhibiti ad operationem tantum reſpicitur imaginationis, quam haec in conſtruendo triangulo exercet, et a reliquis quantitatis vel linearum vel angulorum determinationibus, trianguli conceptum nihil immutantibus, abſtrahitur. *)

§. 9.

Cognitio mathematica vniuerſalia ſpectat in ſpeciali et individuo, nec in conceptu mero commorata, eum exhibet

*) Vt accuratius haec conceptuum conſtructio, quae matheſi propria eſt, eamque a philoſophica cognitione diſtinguit, intelligatur, pauca adhuc, quae e re eſſe videntur, ſubiicienda ſunt. Omnem in genere conceptus cuiusdam exhibitionem, quae efficitur, dum intuitionem ipſi correſpondentem actu imaginationis ſpontaneo producimus, conſtructionem licet appellare conceptus. Haec ſi inſtituitur in imaginatione ſola, *pura* eſt, eaque, cui omnes mathematicorum demonſtrationes tanquam fundamento communi incumbunt: quo ſit vt ad hanc conſtructionem puram prouocans geometra omnes v. c. circuli proprietates ad figuram circuli in arena deſcriptam, quantumuis vaga illa ac inexacta ſit, aeque poſſit demonſtrare, ac ſi vel optimus pictor perfectiſſimam ipſi figuram delineaſſet. — Verum ſi haec, de qua agimus, conceptus conſtructio in materia aliqua exhibetur, *empiricam* eam vocare licebit. Priorem illam puram *ſchematicam* quoque, ſicuti hanc *technicam* haud incommode appellaueris. Haec vero empirica ſeu technica conſtructio vel *geometrica* erit, vel *mechanica;* geometrica quando ad ipſam perficiendam circino tantum atque regula opus eſt; mechanica, quando alius adhuc requiritur apparatus, ſicut v. c. in ſectionibus coni extra circulum deſcribendis.

bet in concreto (in intuitione scil. pura), quasque constructionis conditiones vniuersales inuenit, de ipso conceptus a priori constructi obiecto vniuersaliter praedicat.

Hic est character matheseos distinctiuus, qui ipsam a philosophia, specialia duntaxat in vniuersalibus (in conceptu scilicet generaliori) spectante, secernit, spemque abscindit felicis methodi mathematicae in philosophicis successus. (vid. inf. §.) Simul autem, quare in mathematicis syntheticum cognitionis augmentum in perpetuum comparari possit, ex hac conceptuum constructione pura patet. Simulac enim geometrae conceptus aliquis datus est, haud in ipso solo commoratur, sed protinus ad constructionem obiecti ipsius in intuitione pura procedit. Eiusmodi vero schematica repraesentatio plura continet, quam quae in ipso obiecti conceptu cogitabantur. Quae vero sic in singulo schemate intuitiuo, a priori exhibito, inueniuntur obiecti praedicata, rursus ad vniuersalem conceptum reducit, et de omni sub hoc conceptu cogitabili siue ad ipsius sphaeram pertinente obiecto praedicat generaliter. Nec obiicere licebit, „male quae in „obiecti repraesentatione singula, qualem constructio „exhibet, inuenta intellectaque fuerint, ad vniuersalitatem obiecti referri.„ In empiricis ista valent conceptibus, et recte monentur. Quaecunque enim in obiecto intuitionis, ad conceptus empirici sphaeram pertinente, ambitum conceptus excedentia ope perceptionis inueniuntur, ea haud licet ad omnem conceptus sphaeram referre, quoniam perceptio empirica vniuersalitatem sistere nequit, diuersorumque obiectorum diuersae in perceptione empirica notae inueniri possunt. Verum alia est intuitionis purae vis ad cognitionem vniuersalem synthetice comparandam.

Quae-

Quaecunque enim obiecti conceptus a priori construendi necessariae reperiuntur conditiones, hae tanquam omnibus ad sphaeram conceptus pertinentibus obiectis communes, de obiecto in genere siue vniuersaliter cogitato legitime praedicantur. In constructione enim, quam vrgemus, nihil inest a perceptione petitum, sed praedicata spectantur obiecti in intuitione exhibendi necessaria, ergo omnibus sub eodem conceptu comprehensis obiectis a priori communia. Sic autem synthetica comparatur cognitio solido intuitionis purae fundamento innixa, quo veluti firmo aliquo praesidio ab omnibus aduersariorum aggressionibus defenditur. Hanc autem vere esse methodum, quae in cognitionibus mathematicis adhibetur, quamuis nemo harum peritus negare possit, exemplo tamen illustrare haud superfluum videbitur. Per duas lineas rectas superficiem spatii non circumscribi, ex mero harum conceptu minime consequitur. Analysi igitur conceptus omissa, geometra ad constructionem se confert conceptus de figura bilaterali, ex cuius primum impossibilitate, (haud vero ex interna quadam in conceptu contradictione) axioma illud geometricum deducitur. Similis est ratio axiomatis eius, in quo duas lineas rectas in pluribus vno punctis se secare negamus. Syntheticum est hoc axioma, nec ex conceptu duarum linearum se inuicem secantium analytice profluit. Demonstraturus igitur hoc axioma geometra conceptum construit, ducit lineas in imaginatione pura, et in hoc schemate ab omnibus ceteris ipsarum attributis, longitudine puta et positione abstrahens, vnice ad necessariam constructionis conditionem respicit. Ex qua quum prodeat, constructionem in pluribus vno punctis secantium impossibilem esse, inde axiomatis vniuersalitas deducitur.

Pari modo in theorematibus demonstrandis proceditur, quorum quamuis veritas haud ita immediate

quam in axiomatibus ex conſtructione emergit, attamen per ſeriem proſyllogiſmorum, ex conceſſis iam antea tam axiomatibus quam theorematibus euidenter deducitur, ita vt a quouis theoremate incipiendo vsque ad primas, ſi placet, conſtructionis conditiones et neceſſaria poſtulata aſcendi poſſit, a quibus vsque ad conſequentiam aliquam propoſitam continua procedit ſyllogiſmorum ſeries. Sed haec obuia ſunt in geometricis; verum quaeri tamen poſſet, quomodo haec conceptuum conſtructio ſeſe habeat in ceteris quibusdam matheſeos partibus, in calculo videlicet literali atque analyſi. *) Huic dubio vt obuiam eatur, ante omnia id obſeruandum eſt, in quo geometria ab hisce doctrinis differat. In geometria enim *quantum* conſideratur determinatum ſecundum habitum et figuram; quare in geometricis *oſtenſiua* inſtituitur obiecti ipſius conſtructio; arithmeticae autem doctrinae de *quantitate* (ſiue mera multiplicium homogenorum ſyntheſi) agunt in abſtracto, nec omnino ad qualitatem obiecti in conceptu quantitatiuo cogitati reſpiciunt. Quare conſtructio quidem conceptuum in ipſis requiritur, at alius generis, quod *ſymbolicam* appellare poſſis conſtructionem. Characteres enim aſſumuntur certi ſiue ſymbola, quibus conſtructio quantitatis ſecundum omnes ipſius inſtituendae modos, (ſeu additionem velis, ſiue ſubtractionem, aut radicum extractionem, et quae plura ſunt huc pertinentia,) deſignatur. Praeterea

*) Monendus ὡς ἐν παρόδῳ videtur L. B. ne nomine deceptus analyſin pro analytica habeat ſcientia. Synthetica eſt, quemadmodum omnes matheſeos partes, nec explicandae ſed augendae cognitioni comparata. Nomen, haud, vti videtur, commode ſatis expreſſum, a methodo traxit; id enim quod quaerit, v iam datum ſub ſymbolo vniuerſali proponitur, et regreſſus inſtituitur ad conditiones, ſub quibus datum eſſe poſſit, vt ind ſymbolo pretium ſuum conſtituatur, cui quidem methodo in veterata conſuetudo analyticae cognomen fixit.

rea conceptus quoque vniuersalis quantorum secun-
um diuersas in ipsis relationes sub signis certis exhi-
ctur; et hac demum ratione omnes quantorum vel
enerandorum vel commutandorum modi secundum
ges vniuersales in intuitione sistuntur. Sic vbi quan-
im aliquod per alterum diuidendum est, amborum
haracteres cum symbolo diuisionis sibi inuicem appo-
untur, et ita instituta constructione symbolica pari ac
geometricis successu syntheticum cognitionis aug-
entum comparatur. Ne tamen aliquis opinetur in
oc recedere methodum calculi literalis a constructio-
e geometrica, quod non sicut in hac vniuersalia
ectentur in speciali et definito, quum symbolorum
uersalis sit valor, ita vt quemlibet ipsis numerum
bstituere possis; paucis ipsum monitum volumus,
demonstrationem algebraicam rite attendendo om-
a hac in re geometricae similia inueniri. Sicuti enim
ura, trianguli conceptum construens, singula est,
vniuersalis, quatenus sphaeram omnium triangulo-
m possibilium continet, sic et symbolum omni qui-
m quanto exprimendo comparatum est, at ipsum
nen singulum, et tanquam singulum aliquod defini-
nque quantum exprimens consideratur, et in de-
onstratione semper cum ipso vt certo definitoque
tur.

§. 3.

gnitio philosophica est cognitio rationalis ex concepti- bus meris seu discursiua, quae specialia spectat in vniuersalibus.

Hanc si definitionem spectamus, quam opposita
cognitio rationalis philosophica a mathematica su-
considerata patet, exemploque eodem, quo supra
sumus, illustrari potest. Detur enim philosopho
ceptus trianguli, sua methodo tractandus. Nihil

 prosi-

proficiet; quoniam in conceptu ipsi subsistendum est. Euoluet elementa, conceptum quippe lineae rectae, anguli, numerum denique ternionis, singula per se considerabit, nec tamen vnquam angulorum trianguli summam duobus rectis aequalem esse demonstrabit. Ea enim, quam sequitur, methodus ad analysin quidem conceptuum, haud vero ad syntheticam amplificationem cognitionis apta est. Ad hanc enim comparandam obiectum conceptus dati in intuitione vel empirica vel pura determinandum est. Intuitio autem empirica vniuersalitatem et necessitatem cognitionis comparare non valet; eae enim, quae obiecto cuidam singulo *empirice* inesse cognoscuntur, determinationes ad vniuersalitatem conceptus nequeunt referri. (conf. §. 3.) Quare vt cognitiones apodicticae acquirantur a priori, obiectum exhibendum erit in intuitione pura, quae mathematica est methodus, vberius iam explicata. Nec vero omnis philosophiae occupatio in analysi consistit conceptuum, sed sua quoque philosophicae cognitioni est synthesis conceptuum, absque constructione obiecti, a priori instituta. Verum haec non ad amplificandam de obiecto quodam certo cognitionem, sed ad conditiones, sub quibus obiectum in genere in experientia possibili percipi potest, constituendas spectat, quemadmodum vberius in sequenti paragrapho exponetur.

§. 4.

Cognitionis discursiuae duplex est genus; alterum analyticum, quod consistit in exponendis specialibus, quae in conceptu vniuersali implicite cogitantur: alterum syntheticum, in coniungendis a priori conceptibus conspicuum, in quorum synthesi conditiones generales experientiae possibilis cogitantur.

Vt

Vt analyticam illam, quae philosopho potissimum demandata est, functionem, obuiam quippe satis, et per se claram, praetermittamus, quaedam tamen de synthesi philosophica, cuius ceteroquin natura in logica transscendentali exposita fuit, adiicienda videntur esse. Ratio enim reddenda est de caussis, quare necessario quodam modo ad duplicem in cognitionibus rationabilibus comparandis methodum, mathematicam scilicet et philosophicam, deferimur. Syntheseos philosophicae a mathematica diuersitas, et, quod ab hac originem trahit, duplex cognitionum rationabilium genus, a duplici conceptuum a priori argumento originem trahit. Quamuis enim omnis conceptus, quaeque ex ipso deriuatur cognitio postremum ad intuitionem possibilem, in qua sola obiectum cognitionis praeberi potest, referatur; attamen diuersa est admodum ista relatio. Conceptus enim a priori aut ipse iam continet intuitionem puram (a priori datam), tuncque construi potest et mathematicae est cognitionis; aut nihil in ipso cogitatur praeter synthesin intuitionum possibilium, non exhibitarum a priori, tuncque construi nequit nec intuitiuam comparare valet cognitionem, sed discursiuae tantum cognitioni et sistendis intuitionis in genere conditionibus aptus est. Ex quibus efficitur, quum ab omnibus, quae ad intuitionem pertinent, nihil nobis datum sit a priori, praeter puram phaenomenorum *formam*, (spatium videlicet et tempus,) eos tantum, qui de hisce vt quantis a priori datis formantur, conceptus aut per *figuram*, si ad *qualitatem* respicis quantorum, aut per *numerum*, si mera consideratur *quantitas*, construi posse. Ea vero, quae ad *materiam* spectant phaenomenorum, empirica sunt et in perceptione exhibentur a posteriori; a priori autem empirica haec materia per conceptum transscendentalem rei siue obiecti in genere repraesentatur, in quo nihil praeter vnitatem obiectiuam

et syntheticam intuitionum empirice possibilium cogitatur. Quaecunque igitur circa hunc obiecti in genere conceptum, nullam intuitionem a priori continentem, synthetice cognosci possunt, ad leges redeunt et conditiones, sub quibus ea, quae a posteriori in perceptione exhibentur, ad vnitatem syntheticam reuocari debent, siue quod idem est, ad experientiae possibilitatem i. e normam, sine qua cogitari nequit, constituendam. Eiusmodi autem enuntiata a priori, praedicata rerum a priori constituentia, sine quibus in experientia sisti non possent, propositiones transscendentales appellare licet; propositiones igitur transscendentales, ad rem in genere spectantes, numquam deriuantur ex constructione conceptuum, quoniam nulla in ipsis continetur intuitio; sed perficiuntur secundum conceptus a priori, regulam tantum syntheseos intuitionum empiricarum inuoluentes. Conceptus transscendentales, ad rem in genere spectantes, v. c. de realitate, substantia, vi etc. nullam inuoluunt nec empiricam nec puram intuitionem, sed possibilitatem syntheseos intuitionum empiricarum ad vnitatem obiectiuam determinant, seu conditionem definiunt, sine qua nullum *obiectum* exhiberi potest in perceptione. Omnis igitur propositio transscendentalis, hisce superstructa conditionibus, synthetica quidem erit ex conceptibus seu discursiua et ad cognitionem philosophicam pertinens; at ea tamen, quae non ad obiectorum cognitionem synthetice amplificandam spectat, sed principium sistit omnis syntheseos intuitionum possibilium, per quod obiecti in intuitione empirica dabilis determinatio primum sit possibilis. Haec sunt, quae de synthesi philosophica in genere adspergenda e re fore duximus. (conf. §. 3. fin.)

II.

II.

De methodo mathematica in philosophicis haud applicabili propter fundamenta eiusdem in philosophicis deficientia.

Superest vt, diuersitate cognitionis mathematicae a philosophica iam explicata, ad methodi mathematicae elementa singulatim exponenda nos conuertamus; quae si in philosophicis comparari non posse intellexerimus, inde ipsam methodum ad ista perperam adhiberi, nec non philosophicam cognitionis rationem in mathematicis applicandam non esse patebit.

§. 5.

Fundamenta, quibus methodus mathematica nititur, sunt: definitiones, axiomata, demonstrationes.

De quouis genere seorsim dicendum est.

§. 6.

De definitionibus. Definire idem est ac conceptum rei alicuius intra fines suos complete et originitus sistere. (*Complete* i. e. secundum omnia ipsius elementa constitutiua, et *originitus*, ita vt a nullo altero fundamento deriuata sit definitio, nec demonstratione egeat.)

Iam vero ex ipsis iustae definitionis requisitis, qualia modo exposita sunt, patet, in philosophicis nullam dari posse definitionem proprie sic dictam. Primum enim conceptus empirici non definiri possunt, sed explicari; insunt enim conceptui empirico quaedam tantum notae alicui obiectorum generi competentes communiter. Numquam igitur de completa conceptus expositione, certa nobis persuasio dari potest. Sub

eodem enim vocabulo modo plures, modo pauciores notae comprehendi possunt, velut si vnus in auro praeter pondus colorem et ductilitatem adhuc id simul cogitet ipsi proprium, quod rubigine non corroditur, alter, huiusce ignarus attributi, tria tantum illa praedicata pro constitutiuis auri characteribus habeat. At si omnes quoque in expositione conceptus alicuius nunc congruerent, tamen definitionem stricte sic dictam non haberemus. Procedens enim experientia aut demit ex conceptu, quae in nouis repertis eiusdem generis obiectis desiderantur, atque ita comparatiua, qua hucusque valuerant conceptus, vniuersalitate destituuntur; aut noua addit per accuratiorem obiectorum decompositionem vel dissolutionem detecta ipsorum praedicata generalia: sicque nusquam terminis stabilibus inclusum conceptum empiricum mox intra arctiores fines compelli, mox hucusque statutos euagari videmus; quare definitioni locus non est in empiricis. Secundo loco nec conceptus a priori dati, quales sunt substantia, caussa, ius, honestum et alia complura, definiri possunt, si strictiori verbum sensu accipimus. Nam licet hac in re diuersi sint conceptus a priori ab empiricis, quod non, sicuti in hisce, conceptus ab obiecto, sed more inuerso obiectum a conceptu determinetur; attamen quae in tali conceptu inuolutae quasi sint notae atque characteres non nisi per applicationem ipsius ad exempla in concreto euolui possunt. Quare semper in hisce dubium superest circa completam eiusmodi conceptus analysin, quae exemplorum multitudine persuaderi quidem nobis, at numquam ad apodicticam certitudinem perduci potest. Quare rectius in hisce conceptibus *expositionis*, sicuti in empiricis delineandis *explicationis* vocabulo vtimur.

Quare, quum neque conceptus empirici, neque qui a priori dati sunt, definiri possint, hoc tantum super-

superest, vt de iis videamus, qui ad libitum cogitantur, quorumque voluntaria est synthesis ex proposito intellectus instituta. Horum definitio sensu strictissimo non possibilis est solum; sed et iure optimo postulatur. Eius enim, quod nec per intellectus naturam imperatum, nec empirice datum est, sed sponte cogitatur, ratio semper reddi posse debet. Eiusmodi vero conceptuum duplex est genus; aut enim ex datis empirice collectis et ad libitum tantum compositis conceptus conflatus est, aut elementa eius ab intuitione pura petita in eadem construi possunt a priori. Primi generis obiectiua realitas problematica est, et ab experimento subsequenti pendet, nec per eiusmodi conceptuum expositionem verum et reale obiectum definitur, sed consilium tantum declaratur obiecti, si fieri potest, constituendi; quare non definitionem eam sed *declarationem* potius *consilii* vocandum esse videtur. Definitioni igitur locus tantum est in conceptibus, quorum synthesis — ad libitum quamuis excogitata — construi potest a priori; ex qua constructione simul obiectiua conceptus realitas demonstrari potest. Quae quum ita sint, mathesis sola definitiones habet; obiecta enim ipsius ex conceptibus, in spatio constructis, conceptus ex definitione arbitraria obiecti nascuntur, vnde intelligitur, conceptum semper definitioni, definitionem obiecto congruam esse debere. Vnde colligimus:

a) In genuinis definitionibus, quae mathematicae sunt cognitionis, errari non posse, quoniam originitus constituuntur, conceptusque, definitioni superstructus, semper id tantum continebit, quod in definitione cogitandum proposueris; ergo semper definitionem explebit, numquam excedet. Erratur tamen saepissime in definitionibus mathematicis circa praecisionem expositionisque sobrietatem, cauendumque inprimis est mathematicis, ne aliquanto plures

res ingerant notiones, quam quibus ad constituendum conceptum opus est. Sic e. g. plerumque in definitione circuli peccatur, dum esse circulum lineam aiunt curuam, cuius omnia puncta ab vno aliquo (centro) aequaliter distant. In hac definitione nimii aliquid cernitur in adiecta determinatione curui; eam enim lineam, cuius elementa omnia (puncta) ab vno aliquo distant aequaliter, semper curuam esse debere, i. e nullam eius partem rectam esse posse, hoc proprio theoremate definitionem subsequente demonstrandum est. Atqui haec et talia faciliter intelligi et corrigi possunt a priori. In explicationibus autem atque expositionibus, quas diximus, facillime errari posse, aeque constat.

b) Alterum est, quod ex supra dictis consequitur, hoc scilicet: in philosophicis haud ita mathematicam methodum imitari nos debere, vt, vbi de cognitione acquirenda — non ordinanda — agitur, definitio tractationi ipsi praemittatur. Quum enim definitiones philosophicae proprie sint expositiones conceptuum obscure datorum, in quibus euoluendis omnis opera collocatur, inde emergit, ex ipsa hac industria primum completam conceptus expositionem, (seu definitionem mauis philosophicam) prouenturam fore; opus igitur philosophicum coronari rectius definitione, non inchoari.

§. 7.

De axiomatibus. Axiomata vocamus principia synthetica a priori, quorum certitudo apodictica immediate constat a priori, siue euidens est.

Sic definita axiomata in philosophicam non ingredi posse cognitionem, per se patet. Est enim philosophia cognitio rationalis ex conceptibus; (conf. §. 3.)

§. 3.) conceptus autem ſynthetice coniungi nequeunt, niſi per intermedium conciliantis vtrumque tertii; nullum igitur in philoſophia datur principium immediate certum. Matheſis autem pura axiomata habet, quatenus per conſtructionem conceptuum obiectis praedicata ſua tribuuntur immediate, in intuitione pura. Principia igitur matheſeos, quatenus intuitiua ſunt, axiomatum nomen rite demerentur; principia vero philoſophiae diſcurſiua ſunt, et deductionem requirunt vlteriorem, quam euidentia mathematica non deſiderat. Obiici quidem hoc loco nobis poſſet, quod ipſi in expoſitione principiorum intellectus puri mentionem fecerimus axiomatum intuitionis. (conf. analytic. transſc. Lib. II. Cap. II. Sect. tertia praefat. §. 3.). Verum illud, quod ibi expoſitum eſt, principium ipſum non eſt axioma, ſed ad explicandam axiomatum mathematicorum poſſibilitatem a priori ſpectat; ipſum vero ſyntheticum eſt ex conceptibus, et deductionem ſuam a ſchemate quantitatis repetit. Aliud autem eſt, axioma ſiſtere; aliud, axiomatum poſſibilitatem, cuius in philoſophia transſcendentali, de poſſibilitate cognitionum a priori in genere tractante, ratio vtique reddenda erat, deducere.

§. 8.

De demonſtrationibus. Ipſum iam vocabuli etymon hoc inuoluit, eſſe demonſtrationem probationis genus intuitiuum, quod ex intuitione pura, in qua obiecta ſiſtuntur, euidentiam certitudinis apodicticae repetit.

Omnium igitur doctrinarum ſola eſt matheſis, quae placitorum ſuorum *demonſtrationem* exhibere queat. Quod enim facta attinet a poſteriori cognoſcibilia, eorum apodictica probatio impoſſibilis eſt. Argumenta quippe probantia, ab experientia repetita, certitudinem apodicticam comparare non valent: experientia enim

enim, quomodo res ſeſe habeat, edocemur; haud vero rem aliter ſeſe habere non poſſe: hoc vero eſt, quod in certitudine apodictica requirimus. Quicquid autem ex conceptibus a priori in cognitione diſcurſiua iudicatur, quantumuis apodicticum ſit, certitudine tamen intuitiua ſiue euidentia neceſſarie carebit. Matheſis vero, omnem cognitionem ſuam ex conſtructione conceptuum (ſiue ex intuitione pura, quam, conceptibus correſpondentem, a priori conſtituit,) deriuans, quodcunque enuntiauerit demonſtrare i. e. certitudinem apodicticam mathematum *intuitione* comprobare valet. Quare demonſtratio ipſi ſoli reſeruanda eſſe videtur: philoſophicis autem argumentationibus aptius fortaſſis *probationum acroamaticarum ſeu diſcurſiuarum* vocabulum ponetur, quoniam verbis res agitur, obiectumque in cogitatione tantum, ad quam verbis opus eſt rem deſignantibus, haud vero in intuitione ſiſti poteſt. Methodi mathematicae nullam fieri poſſe applicationem ad cognitiones philoſophicas conſtituendas, iam ſatis explicatum eſſe arbitramur. Verum vt omnis dogmaticae methodi vnquam in philoſophicis inſtituendae ſpes abſcindatur, hoc reſtat adhuc, vt, nulla dari omnino in cognitione ſpeculatiua *dogmata*, breuiter oſtendamus.

§. 9.

Propoſitionum directe ſyntheticarum, ſiue immediate euidentes ſint, ſeu per deductionem apodicticae, duplex eſt genus: aut enim mathemata ſunt, aut dogmata.

Directe ſyntheticam eam appellamus propoſitionem, quae ex conceptibus per ſe ſine vlla reſtrictione propoſitis efficitur, atque totum conceptus ambitum explet. Eiusmodi propoſitiones directe ſyntheticas *mathemata* appellamus, quando intuitiue ſiue per conſtructionem conceptuum conſtituuntur; *dogmata*, quan-

quando discursiue secundum conceptus meros cognoscuntur; et in hoc cum vsu loquendi vulgari congruimus, secundum quem nec placitis geometricis nec arithmeticis dogmatum denominatio ponitur, enunciatis philosophicae cognitionis vnice reseruanda.

§. 10.

Ratio quoad vsum speculatiuum nullum continet iudicium, directe syntheticum ex conceptibus, siue dogma; quare in cognitionibus speculatiuis (philosophicis sensu strictiori) *methodus digmatica applicari nequit.*

Per rationem speculatiuam nulla constitui posse dogmata, facile est intellectu. Per ideas enim nullae omnino effici possunt propositiones syntheticae, obiectiua realitate valentes; quae vero intellectus puri conceptibus superstructa sunt principia certa quidem sunt atque apodictica, verum eadem non dogmata seu propositiones directe syntheticas appellari posse patet. Haud enim directe ex conceptibus efficiuntur, sed synthesis horum conceptuum per experientiam possibilem constituitur, nec nisi in relatione ad hanc obiectiue valet. Haud igitur sine restrictione valent principia intellectus, sed ex conceptibus efficiuntur, non quatenus hi per se considerantur, sed quatenus in relatione cogitantur ad experientiam possibilem. Hac enim conditione remota, nullum intellectus puri principium per se seu directe cognosci potest. Vt exemplo vtamur, principium hoc, „omne quod fit caussam habet,„ non ex conceptibus ipsis eius, quod fit, et caussalitatis, cognoscitur: sed sub conditione tantum, quatenus scilicet per tale principium experientia fit possibilis, apodictice certum est, de quouis obiecto, ad experientiam possibilem pertinente. Non igitur directe syntheticum est, nec totum conceptus caussalitatis ambitum explet, sed ab ipso sub conditione desum-

sumtum. Ergo nec dogma est; sicque in ceteris omnibus, ad quorum intellectum tertio egemus, in relatione ad quod restrictiue valent. Quare nec dogmatica methodo vti licet in cognitionibus discursiuis, in quibus dogma non continetur; nec ad quorum possibilitatem intuitiua requiritur contemplatio, ea in discursiuis exspectare, aut quae absolutum conceptuum purorum vsum et directam synthesin supponunt (dogmata), in cognitionem restrictam et conditionatam ingerere fas est.

DISCIPLINAE RATIONIS PURAE
CAPUT SECUNDUM.

De disciplina rationis purae circa vsum eius polemicum, siue de critica, antitheticam rationis purae, ex qua disceptationes polemicae nascuntur, tollente.

---

§. 1.

Vsus polemicus rationis purae versatur in placitis ipsius contra aduersariorum negationem dogmaticam defendendis; oritur ex suppositione rationis cum semet ipsa vere discordantis.

Vsum rationis polemicum frequenter satis hucusque in metaphysicis adhibitum, fuisse haud inficias iri potest. Propugnabant enim plerumque philosophi placitis suis circa doctrinas rationales, in dialectica nostra exhibitas; quaecque dogmatice asseruerant, contra eos, qui eadem pari cum certitudine negari posse contende-

tendebant, omni cum ſtudio conabantur defendere. Sic bellum exortum eſt per ſatis longam ſaeculorum ſeriem productum; vtraque autem pars apodictice ſe ea demonſtrauiſſe gloriabatur, quibus e diametro oppoſita partis alterius placita haud minori cum evidentiae laude ferebantur. Nec iniuſte tale inſtituitur contra aduerſariorum arrogantiam certamen. Quamuis enim dogmatice ea nos perhibere nequeamus, quae iſti abſolute negant, tamen hanc ipſorum negationem omni fundaménto carere contra ipſos probari poterit, et κατ' ἄνθρωπον cum ipſis licet diſputare, dogmaticas aſſertiones negationibus ipſorum opponendo; quae quamquam noſtram thefin κατ' ἀλήθειαν tueri nequeant, tamen iſtos compellunt, vt eandem nec negari poſſe apodictice fateantur. Vtilis quoque partium ita confligtantium labor eſt ad excitandum veritatis ſtudium; quo magis enim intellexerimus, ab vtraque parte nihil agi, eo perſeuerantius in cauſſas diſcordiae inquiremus, et ad ſanam rationis criticam confugiemus, vnde pro victoria pax inter vtramque partem ſub legibus aequis, pro incerta et inquieta cognitionum transſcendentium poſſeſſione tuta intra limites experientiae ſcientiarum prouincia, pro temerario in intelligibilia auolatu immanens et ſecurus rationis ad phaenomenorum leges explorandas vſus comparatur.

Hunc certaminis euentum praeuidentibus, quicquid ab aduerſariis intenditur hoſtilitatis, primum polemice, vt ſcilicet ipſorum frangatur ſuperbia, potuit refelli. Verum nec in hoc ſubſiſtendum eſt, ſed omnia mox ad criticae ſanioris trutinam reuocanda ſunt: ne ſcilicet in eorum ſententiam concedere cogemur, qui rationem vere ſibimet ipſi et naturaliter diſcordare opinati, omnem veritatis inueniendae ſpem eripiunt, nec alium rationis vſum, niſi ad inania et ludicra quaſi certamina, relinquunt.

§. 2.

Antithetica rationis purae per criticam nostram sublata, simul omnis tollitur circa ideas transscendentales disceptatio polemica. Id enim, quod nec est nec esse poterit vnquam obiectum cognitionis, nemo in posterum nec demonstrare nec refellere praesumet.

Nihil vtique tristius contingere posset generi humano, quam si, veri nominis antitheticam inesse rationi humanae, i. e. e diametro opposita sibi placita vtraque apodictice demonstrari posse, aliquis argumentis idoneis comprobare posset. Tunc enim desperandum protinus foret de vero vnquam inueniendo, ipsa nimirum ratione, penes quam summum est omnis controuersiae iudicium, fallaci reperta.

Videbatur quidem circa cosmologiam rationalem eiusmodi antithetica vere existere in mente humana, sat idealismus criticus inuenit dissolutionem et litem resoluit. Omnis enim controuersia in male intellecta bbiectorum, qualia nos cognoscimus, natura haerenat; dum scilicet quae phaenomena sunt, ex opinioqe vulgari pro rebus haberentur, per se spectatis, in quibus completa conditionum synthesis postulabatur, ituam de phaenomenis exspectare haud licet. Simulac paque ea, a qua omnis controuersia pendebat, suppositio, phaenomenon scilicet qua tale esse aliquid per e datum, re futata erat, tunc in sententiis hisce oppositis: „phaenomenorum scilicet seriem a primo aliquo „exordio absolute incipere„; et: „seriem phaenome„norum per se datam nullibi incipere sed in infinitum „extendi„, nulla amplius conspici poterat vera rationis ipsius discordia; sed consequentias eas esse intelligebamus ex falsa suppositione deriuatas, quae vna cum hoc ipsorum principio in nihilum recidunt.

Nulla

Nulla igitur amplius circa cosmologiam rationalem metuenda est veri nominis antithetica: verum quoad psychologiam et theologiam rationalem quomodo ab hoc metu liberemur, iam nunc videndum est. Harum enim doctrinarum non idem est habitus ac cosmologiae rationalis, nec eodem, quo in hac, errore decipi possumus. Hic enim non de phaenomenis agitur; sed mere noumena sunt, quae tractantur. In hisce igitur si argumenta idonea a ratione pura proferri possent, quibus vsus ipsi aliquis ad noumena cognoscenda vindicaretur, tunc sane a vera nobis antithetica verendum foret, nec apparet quomodo eorum, qui, esse animam absolute perdurabilis et simplicis substantiae, et esse ens summum realissimum aut contendunt aut negant, discordia conciliari possit. Spes enim illa, quam philosophi quidam, argumentorum consuetorum imbecillitatem sentientes, fouerunt, fore scilicet vt aliquando demonstrationes euidentes cardinalium istarum propositionum, scilicet, „esse Deum et animae naturam esse immortalem„ invenirentur, per criticam nostram, qua cognitionem omnem adeoque vsum idearum penitus immanentem esse nec cognitionem transscendentem omnino dari definitum est, prorsus abscissa et deiecta est. Itaque antitheticam rationis purae, si qua foret, per euidentem aliquando demonstrationem resolui posse omnino desperandum est. At illud ipsum, quod vitio datur rationi, — scilicet omnes eius conatus ad cognitionem aliquam transscendentem comparandam vanos esse, — nos a metu verae ipsius circa obiecta transscendentia discordiae in perpetuum liberat. Quod enim cognosci omnino nequit a priori, eandem ob caussam nec negari vnquam apodictice poterit. Quicunque enim apodictice demonstrare praesumeret, nec esse ens summum nec animam nostram esse substanti-

am mere intelligentem, illi probandum foret, eiusmodi obiecta plane esse impossibilia.

Pertinent enim talia obiecta ad rationem puram, nec ab experientia diiudicari possunt. Quare nec existentia eorum propter defectum experientiae plane negari poterit, sed ex obiectorum impossibilitate eiusmodi assertio comprobanda foret. At vndenam petitam hanc quaeso cognitionem afferre poterit, secundum quam quid in rebus vltra omnem possibilitatis aream positis possibile sit aut impossibile, determinare aliquis valeat, quum secundum eos, qui rationi a priori positi sunt, terminos nulla omnino realis cognitio regionem experientiae possibilis excedat? Quare de quibus nihil omnino *scire* homini datum est, nec vera vnquam antithetica constitui poterit. Neganti enim, quae nos tantum *demonstrari* non posse contendimus, negationis incumbit probatio; hanc autem tentantem vires deficient, ceratae que ope quantumuis daedalea pennae in sublime elatum sustinere non valebunt. Nobis vero nullam vnquam confutationem vetitis semper cardinalia ista, quae vrgemus, dogmata accipere licebit, demonstrationis tantum arrogantia abiecta. Sunt enim argumenta modeste et pro virium humanarum modulo petentibus sufficientia. Nam quae respectu theoretico demonstrari quidem nequeunt, at respectu practico necessarie postulantur, iis satis firma semper aderit persuasio, qua aduersarii vsque carent, certaque fides et inconcussa eiusmodi praeceptis poterit haberi, quamuis vano scientiae supranaturalium titulo abiecto.

§. 3.

Ex supra dictis efficitur, semper vtilem veritati explorandae libertatem opinionum oppositarum publice proponenda-

nendarum esse; nec vnquam ipsam vi externa inhiberi coerceriue debere.

Nullam veri nominis antitheticam inesse rationi humanae, quoniam nulla ipsis circa intelligibilia cognitio datur, hucusque demonstrauimus; quare nec vnquam, quae religionis sunt dogmata praecipua ab aduersario, ne acutissimo quidem, concuti euertique posse, metuendum est. At haec nobis securitas numquam obtigisset, nisi omnibus, quaecunque ab aduersa parte afferri possunt, argumentis libere expositis atque perscrutatis. Ista igitur libertas vel maxime bonae caussae profuit, proderitque semper; numquam enim aduersariis vi oppressis secura tutaque pax conciliari poterit, sed tum demum firmabitur, quum libera ante iudicem, rationem scilicet, actione forensi instituta, sententia secundum statuta criticae recte intellectae, feretur. Fuerunt autem et adhuc sunt, qui, ne quid res publica ex inceptis aduersariorum detrimenti capipiat, veriti, libertatem discussionum constringere, eos, qui opiniones vulgo receptas impugnabant, externa vi prohibere, et quasi ad restinguendum incendium omnia contra ipsos conuocare, consilia ipsorum vt perniciosa et rei publicae funditus euertendae aptissima perstringere, in animum induxerunt. Non videbant sane talia moliti, se, dum contrarias partes tanto cum impetu impugnarent, re vera aduersariis fauere, sibi ipsis nocere plurimum. Iniquitas enim aliqua et caussae propriae prauitas supponitur in eo, qui aduersariorum metuens aggressiones, clamando alterum superare, vocem eius vi reprimere, haud vero quieta caussae peroratione litem transigere audet. Propterea ius quoque per talem inhibitionem violatur omnibus commune, secundum quod libertas ex legibus aequis constitui debet, nec restrictioni locus est, nisi quatenus libertas singulorum per libertatem omnium

 um

um neceſſarie circumſcribitur. Nec non iniuſte culpantur ii, qui dum rem agunt rationis, et dogmaticis aſſertionibus aeque dogmaticam opponunt negationem, bonae cauſſae inſidiari et rem publicam prodere magno cum clamore feruntur. At quod rei publicae intereſt, firma videlicet de praeceptis religionis fundamentalibus perſuaſio, in tali certamine omnino non agitur; haec enim a parte practica per ſe ſtat, nec telis petitur in dogmaticum tantum rationis ſpeculatiuae vſum directis. Nec absque ſumma iniuria aut *Humium*, qui nullam rationi humanae de ſummo ente cognitionem comparari poſſe contendebat, aut *Prieſtleium*, qui et libertatem et immortalitatem animae omnino negabat, pernicioſi contra ſalutem rei publicae conſilii incuſare liceret; quum vterque hoc tantum ageret, vt ratio ad cognitionem ſui reducatur, nec ipſi vſum aliquem vltra leges naturae materialis, quas ſolas perſpectas habemus, permittamus. Quare libera omnibus ſententiae ſuae publice proponendae facultas largienda eſt; molimina enim alterius partis per alterius argumenta ſatis coercebuntur, ſanaeque rationi ſic optime conſuletur. Nihil enim tali certamine profici intelligentes, vtraque pars a polemicis demum abſiſtent diſceptationibus, ſententiaque rationis definitiua quietem multo ſtabiliorem procurabit ea, quae per vnius partis victoriam vi externa extorqueri fortaſſis poterat, multo acriorem poſtmodum oppreſſorum reſiſtentiam excitatura. Quare nec eorum adoptandam cenſemus eſſe opinionem, qui iuuenturem ſaltem, academicae inſtitutioni vacantem, a cognitione ſcriptorum grauiſſima quaedam dogmata impugnantium arceri debere opinantur, ipſisque notitiam argumentorum tam noxiorum, qualia a ſcepticis paſſim prolata ſunt, praeberi vetant. Perfidiae enim eſt, alterius partis argumenta proferre, alterius abſcondere, nec diu eiusmodi fraus incomperta latere poterit. Perſonant

nant enim obſtrepentium voces, praetereaque latet in vnoquoque pectore idem dubiorum atque obiectionum fons, vnde iſtorum philoſophemata emanauere. Nihil igitur agitis, iuuenilem rationem ſopiendo; breui excitabitur, deceptamque ſe videns credulitate ſua abuſum eſſe indignabitur, et quo cautius vos omnem veſtrae contrariam ſententiam remoueritis, eo promtius hanc veſtram induſtriam pro ſtratagemate habebit, ad falſitatem aut ſaltem infirmitatem argumentorum veſtrorum diſſimulandam comparato. Sic autem verendum eſt, ne nouitatis ſpecie correpta iuuentus faciliorem aduerſariis aurem praebeat, et nimia veſtra cautione inducta vltro charybdin, quam tanto ſtudio circumuehebamini, incurrat. Sincere igitur potius atque aperte cum iuuentute agendum eſſe putamus. Oſtendenda ſunt pericula, pateat labyrinthus, at nec filum deſit ariadneum, cuius ductu ratio ſeſe expedire poſſit. Breui, praeceptis criticae ſedulo ratio iuuenum imbuenda erit, tuncque vtriusque partis certamina aequa fide exponenda ſunt, vt ipſorum induſtria in applicandis criticae principiis et refellenda omni ſpecie dialectica exerceatur. Sic maturitas quaedam comparabitur rationis, ad nullam poſtea nouitatem aut inſolitam argumentorum ſpeciem trementis; et quo citius ſpes omnis argumentorum ſpeculatiuorum abſcindetur, eo ardentius in partem practicam omnis collocabitur induſtria; qua bene perſpecta firmior perſuaſio ſimulque rei publicae vtilior comparabitur, quam quae a parte ſpeculatiua vnquam exſpectari poterat.

Omnem itaque, ſub quonam titulo exerceatur, liberi idearum commercii reſtrictionem abolendam eſſe cenſemus, ſimulque iſtorum improbamus iniquitatem, qui in gratiam plerumque receptarum communiter opinionum, quamuis ipſi inſufficientiam argumentorum ſuorum ſentiant, tamen eadem vrgent

 ſemper,

semper, et euidentiae quadam specie, quam interius ipsi non agnoscunt, alios saltem studeat decipere. Bonae enim caussae per subterfugia et subdolam astutiam pessime consulitur; semper enim renouatur quaestio, quam eludere tantum, haud vere integre aperteque resoluere studueris. Verum si, quod in argumentis speculatiuis perpendendis iure optimo postulatur, in certamine ab vtraque parte probitas semper integra obseruata et veritatis studium, haud vero opinionum quouis modo perhibendarum pertinacia adhibita fuisset; tunc de grauissimis illis circa libertatem, existentiam Dei, animaeque immortalitatem quaestionibus quid sentiendum sit, longe citius intelligi, certaminique finis imponi potuisset.

§. 4.

Ratio cum semet ipsa discors in scepticismo nequit acquiescere.

Ad eos, qui istam, quam diximus, tam diu desideratam inter discordes philosophorum scholas pacem retinent, sceptici pertinent inprimis, quamuis quietem rationis praetendentes, quam tamen cum induciis potius ad tempus constitutis, quam cum pace firmata comparari malim. Hi enim, ignorantiam suam circa ea, quae cardinalia rationis problemata appellauimus, confessi, et in neutram partem inclinantes, arma vtrique praebent, certaminisque assident spectatores otiosi, nihil euentum curantes. In hoc vero ipsorum consilio, ad praeparandam ceteroquin decisionem legitimam vtilissimo, rationem non posse subsistere, facile est intellectu. Vbi enim simpliciter ignorantia praetenditur, nec an et quare necessaria ea sit ex definitione limitum cognitionis naturalium comprobatur, ibi non sedatur, sed acrius incitatur cognoscendi studium, vt aut eam, quae sine ratione sufficienti nobis negatur, cogni-

cognitionem nihilominus adipiſcamur, aut inſcitiae noſtrae cauſſas neceſſarias exploratas habeamus. Quo fit, vt ratio cum ſemet ipſa diſcors in ſcepticiſmo nequeat ſubſiſtere, ſed ad criticam, cognitionum limites conſtituentem, confugere cogatur. Quae vt rectius intelligantur, iam quantum ſcepticiſmus a critica noſtra diſtet, vberius exponendum erit.

§. 5.

Scepticiſmus inſufficientiam rationis purae ad obiectorum transſcendentium cognitionem ex factis comprobat a poſteriori, per argumentorum dogmaticorum cenſuram, et falſum eſſe poſſeſſionis a dogmaticis affectatae titulum demonſtrat; verum ſpem non adimit eandem prouinciam iuſtiori fortaſſis titulo rurſus occupari poſſe. Critica vero rationis finibus certis ſcientiae poſſibilis regionem includit, et cauſſas pandit inſcitiae noſtrae neceſſarias; quid cognoſci poſſit, quid non, ex ipſa facultatis cognoſcitiuae natura a priori definiens.

Ex hac ſcepticiſmi cum critica noſtra comparatione protinus id emergit, quod antea iam fuit obſeruatum; ſcilicet per eam philoſophandi rationem, quam ſceptici ſecuti ſunt, rationis conatus ad cognitionem dogmaticam in intelligibilium regione comparandam non reprimi, ſed excitari potius. Scepticorum enim ea eſt methodus, vt quodcunque a dogmaticis philoſophis in vtramque partem vel poſitiue vel negatiue ſtabilitum eſt, argumentis vtrobique oppoſitis infringant. Sic autem humiliant quidem rationem, et inſcitiam ipſius in lucem protrahunt; at cauſſas inſcitiae non ſimul reuelantes, peruerſum tantum rationis vſum hucusque inſtitutum eſſe exprobrant, haud vero rationis ipſius inſufficientiam ad tales conatus ex ar-

gumentis deducunt a priori petitis. Quare per ipsos inscitia rationis tanquam contingens repraesentatur et spes relinquitur, posse ea, quae inepte hucusque petita esse intelligimus, rectiori fortassis via aliquando tamen nos adipisci. Quare quum in contemplatione speculatiua a dogmatico et positiuo rationis vsu incipiamus, scepticismum, qui hunc impugnat, pro altiori iam gradu maturioris et per lapsus iudicii frequentes ad diffitendum viribus suis redactae rationis habere poterimus. At in hoc subsistere tamen non licebit; quando enim ea, de qua certiores facti sumus, inscitia pro contingenti habetur, tunc ad ipsam tollendam eo magis impellimur. Inscitia autem est vel *rerum* vel *terminorum cognitionis* possibilis; si *rerum*, ad explorandam obiectorum naturam nos adigit, vt dogmatice aliquid de ipsis statuatur; si *terminorum cognitionis* possibilis, ad criticam ipsorum explorationem conducit, qua sola nimirum, quid cognitione attingere valeamus, atque vbinam necessaria per naturam facultatis cognoscitiuae inscitia incipiat, effici potest. Antequam vero hi cognitionis possibilis limites bene firmiterque positi sunt, nusquam requies datur, nec temerarius rationis vsus tolli potest, nisi impossibilitate successus per criticam ex principiis certis demonstrata. Est igitur critica adultae iam ac plane virilis rationis tertium et definitiuum quasi molimen, in quo ea, quae maxime necessaria est homini, cognitio virium suarum absoluitur. Quantum enim ad cognitiones a priori comparandas ratio valeat, aestimatur; quidnam scientiae sperari possit, quid extra omnium cognoscibilium regionem situm attingi nequeat vnquam, proponitur, et sana admouetur rationi disciplina, qua circumuagationibus in regione aërea et inani missis factis ad immanentem et solidarum cognitionum fertilem vsum restringitur. Quare si hanc rationis successiuam institutionem, quae in critica desinit, cum ea,

quam

quam per diuerſas aetates intellectus ſibi format, cognitione de extenſione et finibus terrae comparamus, totum cognoſcibilium complexum ſuperficiei globi aſſimilantes; dogmaticorum ea erit perſuaſio ac puerorum, qui, montibus incluſi patriis, eo, quem vident, coelo rerum vniuerſalitatem comprehendi putantes, nihil ſibi incognitum relictum eſſe, ſed omnia, quae ſint, a ſe perſpici opinantur; horizontem, quo longius procedas, eo latius extendi, et extra montes quoque dari aliquid, feliciter ignorantes. Sed iam adultior relinquit anguſtam plagam iuuenis, videt extendi coelum, terram in latius patere; quoque magis vera augetur cognitio, eo magis ficta illa cognitionis vniuerſalitas, quam puerilis inſcitia affectauerat, in arctum contrahitur. Cognoſcit nunc, multa ſibi incomperta eſſe, et quantum vel ipſe vel alii proceſſerint, ſupereſſe ſemper quae nec cognita ſint, nec ea, quam ſequitur, ſemita vnquam attingi queant. Haec ſcepticorum eſt ratio, arrogantiam dogmaticam reprimens, diffidens ipſa viribus ſuis; vbique dubia, nec quo certum pedem figat, intelligens. Verum certae ſcientiae auidus peregrinator noſter multitudinem eorum, quae non cognoſcantur a ſe, conſiderans, quo vſque tandem terra pateat ſciſcitatur, vti ſcilicet, quousque procurrere detur et vbi neceſſarie ſubſiſtendum ſit, perſpectum habeat. Fit mathematicus et terram eſſe globum, ſuperficiemque ipſius curuam ſiue ſphaericam intelligens, ex curuatura arcus, quam in ſuperficie ductum metitur, diametrum globi, e diametro ſuperficiei magnitudinem determinat; atque ita quousque cognitio procedere poſſit, intelligit; finibus terrae, in quibus neceſſarie ſubſiſtendum ſit, ſecundum principia a priori exploratis. Haec eſt methodus percunctationis criticae, limites cognitionis neceſſarios ſecundum naturam iudiciorum ſyntheticorum a priori definientis; ex qua inſcitiae noſtrae non perceptio aliqua empirica, qualem ſcepti-

cismus affert, sed *scientia* comparatur principiis certis superstructa.

§. 6.

Scepticismus, dum non ex principiis sed ex factis rationis (i. e. ex insufficientia argumentorum in hoc genere prolatorum) *transscendentem principiorum cognitionis vsum improbat, nec, deficiente nimirum critica, hunc transscendentem vsum ab immanenti rite secernit, tandem eo defertur, vt ipsum hunc immanentem vsum in dubium vocet, eiusque vniuersalem et necessariam a priori validitatem deneget, cum quo simul omnis constans sibi et legibus a priori adstricta experimentalis cognitio funditus euertitur.*

Quantum immineat a parte scepticismi periculum videmus, et verendum erat, ne omnis omnino rationabilis et secundum leges a priori constituta cognitio etiam in ea, quae relicta est nobis, experientiae prouincia penitus aboleatur. Si enim nulla sunt intellectus immanentis principia constitutiua a priori, quibus in experientia instituenda ducimur, tunc omnis sane cognitio empirica in inconditum singularum perceptionum aggregatum resoluitur. Atqui quomodo sceptice philosophantes ad istos errores deferamur, facile est expeditu. *Humii* vtamur exemplo, scepticorum et quoad ingenii acumen et quoad sincerum veritatis amorem facile principis, cuius profundis meditationibus iam nunc insistere, quaeque lateat errorum caussa, euoluere iuuabit.

Augurabatur fortassis vir perspicacissimus, esse aliquod iudiciorum genus, in quibus ferendis vltra subiecti conceptum egredimur, eique praedicata tribuimus, in conceptum istum non ingredientia; quamvis nullibi discrimen illud, quod inter iudicia analytica

ca et synthetica intercedit, clare ab ipso expositum inueniamus. Ab obscura autem nec euoluta huiusce discriminis, quod sensisse magis quam sciuisse videtur, intellectione id necessario debebat profluere, quod, vti elucet ex scriptis ipsius, nec de possibilitate iudiciorum syntheticorum a priori nec de ipsorum realitate obiectiua rationem sibi posset reddere. Vnde prona ad hanc penitus negandam via deferebatur. Ostendit hoc inprimis circa principium caussalitatis, cui intellectus puri principio vniuersalitatem, quâ de omnibus obiectis experimentalibus necessarie valet, detrahendam esse censebat, contingentem in ipso et subiectiuam solummodo normam, obseruationibus saepius repetitis superstructam, conspiciens, cui consuetudine decepti realitatem obiectiuam perperam tribuamus. Videbat rectissime philosophus noster, nec effectus *certos* caussarum, aut effectuum caussas in casu dato posse determinari a priori, sed ab experientia deriuari debere. Ceram enim liquescentem videntes an solis radiis ant vi ignis mollita fuerit, nisi experientia docente, ignoramus, et rursus non eundem semper effectum a sole vt caussa data exspectare licet a priori; emollit enim ceram, argillam vdam obdurat. Hoc autem videns Humius, effectus scilicet caussarum a priori non posse determinari, hanc experientiam cum lege ipsa permutauit, et principium illud, secundum quod omne, quod fit, a caussa pendere statuimus, pro empirico habuit, quod propterea nec necessarium sit nec vniuersale. Perperam igitur a contingentia determinationis caussarum vel effectuum secundum legem ad contingentiam legis ipsius concludebat, nec principium experientiae possibilis considerans, a quo lex nostra deriuatur, synthesin obiectorum secundum caussalitatem contingentem cum synthesi conceptuum purorum, quae necessaria est et possibilitatem experientiae constituens, permutabat. Omnium autem intellectus

lectus puri principiorum sola lex caussalis fuit, quam aggrediebatur, quoniam in synthesin intellectus a priori in genere haud inquirens, reliquos eiusdem modos ignorabat. Et in hoc contemplationis quam instituebat transscendentalis nimis angusto ambitu caussa latet, quare praeclarum hoc ingenium in scepticismi vestibulo substiterit, nec ad criticam ipsam penetraverit. Si enim illud inuenisset principium hodegeticum, secundum quod completa omnium intellectus puri propositionum fundamentalium enumeratio systematice potest institui, tunc natura earum interius perspecta rectius inter transscendentalem et immanentem ipsarum realitatem distinguisset, nec priorem promouendo alterum simul sustulisset. Sic vero absque argumentis idoneis rationi omnem vim ad cognitionem a priori in genere comparandam denegando, ipse communem istam scepticorum sortem expertus est, quod scilicet philosophemata eius ipsa in dubium vocarentur, nec vsus quidem dogmaticus rationis aboleretur: sed potius, quae hucusque haud prospere successerant, a tempore subsequenti exspectarentur. Vt igitur scepticae philosophandi methodo pretium suum dicamus, προπαιδευσιν eam esse iudicamus rationis, qua antequam ad criticam perueniatur, opus est: haud vero in ipso perfectum aliquod systema cernitur, in quo ratio possit acquiescere. Quae sunt eius partes, expletae sunt, simulac dogmatica philosophorum arrogantia per ipsius obiectiones ad diffidendum viribus suis redacta fuerit: ipse vero in vitium incidit dogmaticorum, simulac ante rationis criticam explorationem contendere praesumit, id cognitionis, quod nondum adeptum est, numquam posse comparari.

DISCIPLINAE RATIONIS PURAE
CAPUT TERTIUM.
De disciplina rationis purae circa hypotheses.

§. 1.

Hypothesin vocamus assumtionem alicuius non dati, a quo tanquam conditione fundamentali id conditionatum, quod vere datum ideoque certum est, potest deriuari.

Hypotheseos non, vti plerumque credere videntur, is vsus, ea licentia est, vt quicquid fingere atque audere possis, quod interna duntaxat contradictione careat atque veri specie aliqua splendeat, secundum analogiam cum eis, quae comperta habemus, excogitata. Sed et haec quoque pars disciplina eget vel maxime, ne quod rationis esse debet institutum in vanum imaginationis temere circumuagantis lusum abeat. Egemus autem hypothesi in conditionatis, quae per experientiam data sunt, quorumque conditiones non compertas habemus, explicandis, atque a fundamento aliquo cognitionis deriuandis. Iam igitur quaenam in hypothesi genuina requirantur praedicata necessaria, deinde quid circa hypotheses rationis speculatiuae sentiendum sit, exponendum est.

§. 2.

In hypothesi genuina quae requiruntur duo sunt: primum vt obiectum hypotheseos possibile sit; deinde vt hypothesis ad ea, quae explicari debent, data experientiae, ex ipsa a priori elicienda, sufficiat.

Quod

Quod ad primum illud in hypothesi genuina momentum attinet, iam statim intelligimus, quum in hypothesi constituenda id agatur, vt possibilitas explicetur rerum in experientia datarum, rationem in hac explicanda nullo alio fundamento vti posse, quam quod cum conditionibus experientiae possibilis consentit. Conditio enim eius, quod vere obiectum est experientiae, simul in nexum experientiae ingredi et per consequens legibus ipsius congrua esse debet. Haud igitur licet caussas inferre effectuum, ab omni, qui empirice cognoscitur, rerum habitu prorsus alienas, nec noua quaedam obiecta secundum categorias excogitare, ab omni conditione empirica, in qua tamen sola categoriae vim habent ac significatum legitimum, prorsus abhorrentia.

Quaecunque igitur contra hanc legem excogitantur vires originariae, aut praedicata rerum, — veluti v. c. intellectus, qui absque sensibus obiecta intueri valeret; aut vis attractionis absque omni contactu; substantiae porro in spatio quidem praesentes at non impenetrabiles; aut substantiarum commercia secundum alias, quam quas experientia suppeditat, leges instituta; denique rerum praesentia quidem at non in spatio exhibita; et persistentia non in tempore perdurans; — vana sunt, nec pro fundamentis explicationis in hypothesi rationabili assumi possunt. Primum enim hoc a priori certum est, ipsam, quae per hypothesin quaeritur, conditionem eius, quod in experientia datum est, in experientia possibili contineri, ergo ad ipsius leges comparatam esse debere; deinde vero talia ludentis potius phantasiae quam seuerioris rationis commenta assumendo nihil proficimus. Id enim quod datum est interius cognoscere cupientes, fundamenta inferimus explicationis ipso explicando longe obscuriora, taliaque in quibus nihil omnino intelligi comprehendiue possit.

Nec

Nec igitur ideas transſcendentales ad explicanda vera naturae phaenomena in hypotheſi conſtitutiua licet aſſumere, ſed ipſis tantum vt fictionibus hevriſticis, quae problematice cogitantur, et normali rationis circa vſum ipſius ſyſtematicum regendum principio aptae ſunt, vtendum eſt. Sic igitur animam e. g. ſimplicem *cogitare* permiſſum eſt, vt ſcilicet ſecundum hanc ideam completa et neceſſaria vnitas omnium mentis facultatum, quae in concreto non poteſt exhiberi, nobis in diiudicandis phaenomenis internis principio ſit. Attamen ſimplicem animae ſubſtantiam vt neceſſariam phaenomenorum ſenſus interni explicandorum conditionem in hypotheſi *aſſumere*, nec licitum eſt, nec cognitioni promouendae aptum. Aut enim eiusmodi ſubſtantia obiectum foret perdurabile intuitionis ſenſualis, igitur ſimplex phaenomenon. Hoc vero conditioni repugnat ſubſtantiae, quae ſecundum formam ſpatii comparata ergo compoſita eſſe debet. Aut ens foret mere intelligibile, tunc vero ne poſſibilitas quidem ipſius comprehenditur, ergo nec obiectum eſſe poteſt in hypotheſi rationabili aſſumendum. Entia enim aut praedicata rerum mere intelligibilia, quorum ne poſſibilitas quidem comprehenditur, in hypotheſi, ad explicandam phaenomenorum naturam deſtinata, aſſumi nequeunt. Alterum erat, quod ad genuinam hypotheſin conſtituendam neceſſarie requirebatur, ſcilicet vt ſufficiens ſit hypotheſis ad ea, quorum explicandorum cauſſa aſſumta eſt, perfecte ab ipſa deriuanda. Quando igitur in ſtabilienda hypotheſi aliqua, alia rurſus egemus ad aptitudinem prioris oſtendendam adſciſcenda, tunc ſuſpicio oritur fictionis arbitrariae ad ſopiendum ad tempus rationis, perfectam phaenomenorum ſibi oblatorum explicationem quaerentis, deſiderium comparatae, nec vinculum, quo hypotheſis cum obiecto dato connexa eſſe debet, ſatis firmum perſuaſioni praebetur. Iam igitur hac quo-

 que

que ex parte laborari videmus, ſimulac ſimplicem animae ſubſtantiam in hypotheſin conſtitutiue aſſumimus. Ab independenti enim animae ſubſtantialitate phaenomenon illud ſatis certum, in quo animae vigorem ſimul cum corpore materiali et creſcere et extenuari, et in genere ſtatum animi a mutabili materiae conditione pendere videmus, haud poteſt explicari; ſed ad haec phaenomena cum hypotheſi priori concilianda nouae excogitandae ſunt opiniones, quibus, quo plures in auxilium vocare cogimur, eo magis autoritati prioris derogatur. Pari modo nec aſſumtio cauſſae abſolute perfectae pro completa ad rerum finitiones et naturae, qualem conſpicimus, aptiſſimam ſtructuram inde deriuandam, hypotheſi poteſt haberi. Nam, vt iam quaeſtionem de poſſibilitate obiecti hypotheſeos praetermittamus, ad ordinem naturae explicandum non ſufficit. Quatenus enim nos naturam cognoſcimus, et mala dantur in ipſa et imperfectiones rerum ſunt, quorum aut nullus aut noxius nobis apparet finis; ſunt media, quae mala prouiſa et ad finem non conducentia eſſe videntur. Haec et ſimilia, quae totidem obiectionibus contra hypotheſin noſtram anſam dedere, non niſi per recens excogitata cum ipſa poſſunt conciliari.

§. 3.

Speculatiuus rationis vſus non admittit hypotheſes, nec defectum explicationum phyſicarum per commenta rationis ſupranaturalia ſupplere licet.

Hypotheſis transſcendentalis rationis ſpeculatiuae aſſumtio foret ideae rationis ad rerum naturalium explicationem ipſi ſuperſtruendam. Tales autem ideas hypotheſi ſolidae ipſis ſuperſtruendae haud eſſe idoneas ex ſuperioribus ſatis, vt equidem exiſtimo, patebit. Obiectum enim ideae, cuius poſſibilitas non comprehendi-

henditur, quonam quaesumus iure ad explicandam possibilitatem obiectorum, quorum existentia data est, adhiberetur? Siue quonam modo id, cuius natura necessarie ignoratur, ad perfecte explicandam eorum, quae experimento cognoscere licet, naturam sufficeret? Stat igitur, quae naturalia sunt, e caussis naturalibus deriuari debere, nec transscendentia arcessenda esse principia, quae non sanae cognitioni sed ignauae tantum rationi consulunt.

§. 4.

Ratio pura quoad vsum eius polemicum ius habet affectandi hypotheses, quibus aduersariorum aggressiones a se propellat.

Sicuti aliud est, augmentum quaerere iustae cognitionis, aliud aduersarium tantum arcere, ne quod nos asseri non posse confitemur, ipse dogmatice negare praesumat; sic et transscendentales istae hypotheses, quae vsui dogmatico non sunt, vsum aliquem habent polemicum, vbi ex concessis disputatur contra aduersarium, hypothesibus aeque fallacibus nos impugnantem. Armorum loco sunt, quibus contra hostem vtimur, similibus armis nos prouocantem; et sic legitimus ipsarum instituitur vsus, modo ne per hanc ipsarum positionem realitas aliqua ipsis verae hypotheseos, sed relatiua tantum assignetur contra arrogantiam hypotheseos oppositae vtilitas. Ille autem, contra quem eiusmodi arma dirigenda sunt, hostis in nobis ipsis est potissimum; est in ratione, ante purgatum per sanam criticam iudicium naturaliter dialectica, et ad transscendentalem δογμασιαν in vtramque partem prona. Quare eradenda sunt discordiae elementa in mente humana satis alte recondita, et inprimis sinceritate contra se ipsum, rarissima illa in hac impenetrabili fere mentis humanae labyrintho virtute opus est, ne nos-

met ipsos specie quadam veri decipiamus ad tempus, et nouae semper discordiae fomentum relinquatur.

Sed redeamus iam ad argumentum nostrum; superest enim vt exemplis, quisnam hypotheseos ex concessis disputanti vsus sit, ad refellenda aduersariorum argumenta dogmatica illustremus. Ponamus igitur, esse aliquem qui immaterialem animae substantiam commutationibus naturae materialis haud obnoxiam, dogmatice negare praesumserit, argumentis innisus e facultatum spiritualium dependentia a statu corporis mutabili petitis, vnde, esse omne id, quod ad cogitationem pertinet, modificationem tantum materiae organicae, gestiret deducere; tunc legitimus existit hypotheseos vsus, quem diximus. Huic enim alteram licet opponere hypothesin, qua oppositae illius vis infringatur: nimirum, esse corpus non caussam cogitationis productiuam, sed eius restrictiuam potius in hac sensuali nostrum vita conditionem, ad quam omnis quidem facultatis cognoscitiuae vsus, quamdiu hisce in terris versamur, restrictus sit: verum idem hoc corpus, dum vitam animalem producat, verae et spiritualis vitae impedimentum esse; nec ab ea, qua per exiguum praesentis vitae spatium adstringimur conditione, ad vniuersae existentiae habitum vel conditionem recte concludi. Insistet forsan vlterius alter, et speciosa proferet argumenta immortalem animae humanae naturam impugnaturus. Quanam, inquiet fortassis, satis firma fiducia vos freti sortem immortalem creaturae tribuitis, cuius adeo generatio et existentiae primordium, vti in ceteris, quas terra fert, animalibus, a casu saepissime fortuito pendet, saepe a victu cultuque parentum, ab institutis rei publicae, imo a vitiis et peruersitate hominum varie afficitur: ita vt cuius contingens adeo et libertati imo permissi est existentia, ei aeternam nec vllo casui obnoxiam persisten

sistentiam assignetis? — Praesto est, quod respondeamus; nec, quamuis hypothesi nostrae demonstrationis autoritatem arrogare non possimus, ab istis obiectionibus aliquid nobis verendum; ad eas enim confutandas satis valebit, nec aliud nobis in ipsa proponenda consilium est. Licet enim hoc adducere: omnem vitam per se esse intelligibilem, temporis vicibus haud subiectam, et hanc proprii nominis vitam nec incepisse per generationem nec morte terminari; hanc nostram vitam nil praeter phaenomenon esse verae illius vitae spiritualis, et esse omnem mundum sensibilem nihil praeter imaginem naturae intelligibilis ad praesentem nostrûm cognoscendi conditionem aptam. At hisce nos vinclis aliquando exsolutos, in commercio nos versari cum naturis spiritualibus esse intellecturos, nec veram istam vitam intelligibilem a phaenomenis, quibus nunc circumuolitamur, pendere: quare quae de contingentia et ortus et interitus hominum dicuntur, nihil ad purum illum et diuinae naturae participem spiritum spectare. *) Haec et talia contra aduersarios recte monentur, sicque semper excogitata partis vnius per hypotheses alterius debilitari poterunt, donec omnia, rationis purae natura critice explorata, firmata tandem pace concilientur.

*) Fuit haec Platoni propria et ingeniose ab ipso exculta hypothesis. Conf. ex multis, Plat. Phaedon.: ἐαν μεν ψυχη καθαρα ἀπαλλαττηται, μηδεν του σωματος συνεφελκουσα, ἀτε ουδεν κοινωνουσα ἀυτῳ εν τῳ βιῳ ἑκουσα ἐιναι, αλλα φευγουσα ἀυτο, και συνηθροισμενη ἀυτη εις ἀυτην, ἀτε μελετωσα ἀει τουτο. (τουτο δε ουδεν αλλο ἐστιν ἡ ορθως φιλοσοφουσα, και τῳ ὀντι τεθναναι μελετωσα ῥαδιως — ἡ ου τουτ' αν ἐιη μελετη] θανατου; — — παντεπασι γε. — —) Ουκουν ουτω ἐχουσα, εις το ὁμοιον ἀυτη το θειον ἀπερχεται, το θειον τε και ἀθανατον, και φρονιμον, ὁποι ἀφικομενη ὑπαρχει ἀυτη ἐυδαιμονι ειναι, πλανης και ἀγνοιας και φοβων και ἀγριων ἐρωτων και των ἀλλων κακων των ἀνθρωπειων ἀπηλλαγμενη.

DISCIPLINA RATIONIS PURAE
CAPUT QUARTUM.
Disciplina rationis purae circa demonstrationes.

§. 1.

Primum rationis purae circa demonstrationes transscendentales praeceptum sic habet: demonstrationem transscendentalem ne coneris instituere, antequam de principiis, quibus eiusmodi demonstratio superstruatur, satis constet; alias enim ne irritas sint demonstrationes fundamento instabili impositas verendum est.

Vltra conceptum obiecti cuiusdam egressis a priori, in iudicio synthetico componendo vinculo aliquo opus est, per quod inter duos conceptus synthetice appositos legitimus comprobetur nexus. In mathematicis intuitione pura ad conceptus synthetice coniungendos ducimur; quo fit vt in hoc genere argumenta immediate ab euidentia intuitionis procedant. Quae vero sunt iudicia transscendentalia sunt simul et synthetica, in iis, antequam ad demonstrationem ipsam accedas, obiectiua conceptuum purorum realitas et syntheseos possibilitas a priori est ostendenda. Quatenus autem de immanenti conceptuum intellectus puri vsu agitur, synthesin ipsorum legitime fieri, ab experientia possibili facile deducitur. Vt exemplo rem adstruamus, omne quod fit a caussa pendere non ita probari poterat, quasi conceptus eius quod fit directe ad conceptum alium, caussae nimirum, necessarie cum ipso connexum, nos traduceret. Nulla enim vnquam

quam argumentatione eiusmodi saltum legitime fieri comprobabitur. Verum ostendendum erat, quod et in analytica fecimus, experientiam de obiecto per eiusmodi synthesin primum fieri possibilem, proptereaque, vt obiectum aliquod experientiae cogitare queamus, non aliter fieri posse, nisi quatenus idem vt effectus consideratur cum caussa necessarie praecedenti connexus. Sic demum in relatione ad experientiam possibilem necessaria sisti poterat phaenomenorum obiectiua secundum nexum caussalem synthesis. In quauis igitur demonstratione transscendentali simul principium ostendendum est, secundum quod a priori ad cognitionem aliquam syntheticam circa obiecta perueniri possit, quae in conceptu dato non continetur. Qua cautione neglecta verendum est, ne subiectiua aliqua idearum associatio pro obiectiua et necessaria perperam habita in errores nos et dialecticam transscendentalem inducat; vnde paralogismi emanuerunt et antinomiae cosmologicae et ontologicarum demonstrationum sophismata. Vbi enim non conceptibus vtimur, quatenus experientiam determinant a priori, sed absolutum ipsis idearum ambitum assignamus, circa mere intelligibilia, demonstrationis transscendentalis speciem affectantes: ibi, quo remotius hoc cognitionum genus ab intuitiua euidentia foret, eo certiori principio opus foret, quo eiusmodi conceptuum synthesin obiectiue realem esse ante ipsam demonstrationem conuinceremur, ita vt suspicio voluntariae in ipsa et subiectiuae tantum. in fauorem fortassis receptarum communiter opinionum excogitatae, assumtionis remoueretur. Cuius principii ante demonstrationem directam ex conceptibus proponendi necessitatem indispensabilem si prae oculis habuissent metaphysici philosophi, certe sophismata rationis speculatiuae aut non commissa aut longe citius detecta fuissent. Quaecunque enim circa obiecta idearum demonstrare praesumi-

mimus, aut ex legibus intellectus puri (lege caussalitatis) aut ex principiis deriuanda sunt rationis. Quod ad leges intellectus attinet, earum circa intelligibilia nullus omnino significatus, nulla est realitas, quippe vnice ad experientiam rite instituendam comparata. Quae autem sunt principia rationis purae, eorum vsum obiectiuum affectari quidem, ratione per speciem transscendentalem decepta, at ista detecta in nihilum recidere, nec vllam praeter normalem ipsis inesse vim ad systematicam experientiae vnitatem comparandam pariter intelleximus. Quodsi igitur ante initam demonstrationem transscendentalem principium possibilitatis eiusdem sistendum esse cogitauissent, tunc maturius sane in intelligibilibus per omnes rationis purae conatus nihil agi sensissent. Quae autem ante demonstrationem non adhibita fuit cautio, saltem post factum a nobis adhibeatur, atque vbicunque nobis speculatiua offertur demonstratio, ibi deductio postuletur principii, quod ipsi fundamento sit. Quae si principia ex ratione pura petita esse asseruntur, eiusdem critica rite intellecta nihil a demonstratione exspectari posse scimus, remque omnem neglectis sophismatibus, licet ex telis arachneis callide concinnatis, ad ipsius tribunal reiicere licebit.

§. 2.

Alterum, quod disciplina rationis purae circa demonstrationes transscendentales monet, hoc est: propositionis transscendentalis plures vna demonstrationes non dantur.

Vbi non ex conceptibus sed ex intuitione conceptui correspondente argumenta procedunt — (siue pura illa sit intuitio, vti in mathematicis, seu empirica, quemadmodum in scientia naturali,) amplissima datur

tur propositionum syntheticarum opportunitas, quae variis modis inter se connecti possunt, ita vt diuersa ingressis via ad vnam eandemque propositionem peruenire liceat. Omnis autem propositio transcendentalis a conceptu mero proficiscitur, et de ipso conditionem, secundum quam obiectum conceptui correspondens possibile sit, synthetice praedicat. Quapropter, quoniam praeter conceptum nihil datur amplius, ex quo obiectum determinari possit, vnica tantum dari potest eiusdem demonstratio, in qua quomodo conceptus datus possibilis sit, ostendatur, et abhinc ad obiectum ipsum per eiusmodi conceptum cogitandum fiat conclusio. Sic v. c. in analytica transscendentali principium caussalitatis (in quo id quod fit a facto anteriori (caussa) pendere statuitur) ita demonstrauimus, vt conceptum eius quod fit seu positionem obiectiuam facti alicuius in tempore plane non possibilem esse, nisi eiusmodi nexus dynamicus constituatur, ostenderemus, vnde factum ipsum, quatenus obiectum est experientiae, hac lege teneri rite profluebat. Haec autem vnica est huiusce principii demonstrandi methodus. Obiectiua enim facto alicui dato realitas siue veritas conciliari nequit, nisi conceptui de eo quod fit obiectum secundum legem caussalem determinetur. Omnia reliqua argumenta, quae principio nostro comprobando inuenta fuere, ad hanc nostram demonstrationem redeunt, et ab hac vim repetunt et neruum probationis. Adeo dialectica ista, quae circa obiecta idearum tentata fuerunt, argumenta omnia ad vnum redeunt, a quo solo successus speratur. Sic in psychologia transscendentali, vbi id quod cogitat simplex esse, demonstrandum praesumitur, omnia ex conceptu simplici subiecti cogitantis (ego qui cogitat) deducuntur; in argumentis theologicis omnia ad reciprocabilitatem conceptuum entis realissimi et necessarii redeunt.

 Sic

Sie autem in arctum contractum videmus argumentorum transscendentalium orbem; id quod in diiudicandis sophismatibus principiis rationis purae, vti aiunt, superstructis maximi sane momenti est. Solent enim insistentes dogmatibus suis metaphysici, et insufficientiam argumentorum suorum plerumque sentientes, id quod nerui in ipsis minus est, per argumentorum copiam compensare, caussidicis haud absimiles, qui infirmo iudicum ingenio freti, multam proferunt plerumque rationum farraginem, vt ex pleno aceruo quid vnicuique commodum sit possint depromere. Quare quingentis argumentis propositionem transscendentalem tueri molitum, nullam veri nominis demonstrationem habere, iure optimo suspicamur.

§. 3.

Tertium disciplinae rationis purae circa demonstrationes transscendentales praeceptum sic habet. Demonstrationes transscendentales semper ostensiuas, numquam apagogicas esse oportet.

Huiusce praecepti quaenam sit ratio, facile est expeditu. Propositionis enim transscendentalis ea est natura, vt veritas ipsius non nisi ex *possibilitate* cognitionis, de qua agitur, syntheticae comprobari possit. Demonstratio autem directa seu ostensiua sola est, in qua vna cum persuasione veritatis fontium quoque ipsius aditus recluditur. Demonstratio apagogica certitudinem quidem afferre potest cognitionis; at nexum eiusdem cum conditionibus possibilitatis non sistit. Apagogica methodo in iis tantum scientiae partibus vti licet, in quibus vitiosae illi repraesentationum subiectiuarum pro cognitione obiectiua rei ipsius subreptioni, quam saepissime in ratiociniis dialecticis inuenimus, locus

locus esse nequit. Vbi vero a tali subreptione metuendum est, ibi saepissime fiet, vt id quod contradicere propositioni cuidam videtur, subiectiuis tantum cogitandi conditionibus, nec vero obiecto ipsi repugnet, aut vt duae, quae absolute contradicere sibi censentur, propositiones, tantum sub conditione aliqua subiectiua (perperam *obiectiue* sumta) repugnent, qua falsa ambo oppositae propositiones simul concidunt. Tunc vero realis repugnantia non exsistit, et methodus apagogica, quae a falsitate oppositi ad veritatem alterius concludit, perperam adhibetur. In mathematicis eiusmodi subreptio committi nequit; obiectum enim ipsum in hisce per constructionem conceptuum a priori definitur; quo fit, vt apagogica demonstratio in hisce communiter felici cum successu adhibeatur. In scientia naturali, in qua non nisi per saepius resumtam experimentorum obseruationumque repetitionem a vitio isto subreptionis cauere nobis possumus, non securus satis methodi apagogicae fit vsus. Quorsum tamen factum sit, vt plerumque apagogicas demonstrationes adamauerint philosophi, facile est explicatu. Vbi enim fundamenta veritatis cuiusdam nimis alte latent, quam vt deductione a primis inde cognitionis principiis ita facile attingi queant, ibi plerumque ex consectariis ipsam solemus probare, et regressum, vt ita dicam, instituere argumentationis. Ex consequentiis autem ad cognitionem aliquam duplici more concludi potest, per modum scilicet aut *ponentem* aut *tollentem*, ita vt aut veritas cognitionis ex veritate consequentiarum, aut eiusdem fraudulenta species ex consequentiarum falsitudine demonstretur. Quod ad modum *ponentem* attinet, eius vsus sensu strictissimo fere impossibilis est. Quisnam enim vnquam omnia, quae ex cognitione aliqua deriuari possint, consectaria se perspecta habere glorietur? nec tamen antequam hae con-

consequentiae, omnes computatae veraeque repertae sint, ad veritatem hypotheseos, ex qua velut ex communi principio deriuantur, licet concludere. Attamen indulgentia aliqua in hoc genere concludendi adhibetur plerumque, ita vt, si omnes, quas cognitas habemus, consequentiae ab hypothesi aliqua commode deriuentur, ceterarum possibilium suppleatur consensus, et hypothesis secundum analogiam pro vera accipiatur. Nihilominus tamen hac via hypothesi numquam vim demonstrati axiomatis accedere posse patet. Quare faciliori et securiori plerumque vtuntur modo *tollente*; in quo vna tantum consequentia falsa ex propositione aliqua recte deriuata, opus est, vt ipsam propositionem falsam esse iudices, et per consequens eius contradictorie oppositum verum esse cognoscas. Haec demonstrandi apagogica est methodus, quae vbi recte adhibetur, ostensiua illa firmiorem comparat persuasionem, quoniam principio sustinetur contradictionis, et propius euidentiam tangit. Vbi vero principium contradictionis propter suppositiciam tantum nec realem oppositorum repugnantiam adhiberi nequit, ibi methodum apagogicam, quae hoc innititur fundamento, admitti non posse in aprico est. Tentata tamen fuit, vti vidimus, in quaestionibus transscendentalibus rationis purae circa obiectiuam idearum realitatem enodandis; ibique illusoria ista speciosae quidem at inanis dialecticae ratiocinia peperit, in quibus refellendis tam longe morati sumus. Sic e. g. ens necessarium propterea negandum esse quidam opinati sunt, quoniam eiusdem positio legi aduersetur caussalitatis, nec non mundum esse finitum inde apagogice demonstrare voluerunt, quod opposita sententia, scilicet mundum esse infinitum, per consequentiam tollatur. — Si enim infinitus esset mundus, inde aliquod infinitum altero infinito maius esse proflueret; quod cum sibi ipsi repug-

pugnet, inde mundum non esse infinitum, ergo finitum, conclusum est. Ex qua nos labyrintho haud aliter expedire poteramus, quum et altera pars iisdem armis apagogicae demonstrationis procederet, quam vt nullam veri nominis in diuersis hisce sententiis repugnantiam esse ostenderemus. Illi enim, qui ens necessarium negant dogmatice, seriem considerant contingentium tanquam per se datam, et repraesentationes phaenomenorum tanquam obiecta realia per se existentia, atque vt quodlibet huiusce seriei membrum conditionatum sit postulant, ne lex caussalitatis infringatur. Verum recte de phaenomenis sentientes, in eo quod non datum est per se, sed in regressu dynamico vnice consistit, totalitatem nullam posse cogitari, ergo quaestionem de ente necessario ad mundum sensibilem relato nullum omnino significatum habere, nec igitur sententiarum realem conflictum esse intelligimus. Quod autem ad intelligibilia attinet, super haec nec lex caussalis nec alia vlla intellectus puri regula (quippe immanens et semper ad vsum tantum experimentalem comparata) extendi patitur, quapropter nec ens necessarium noumenon negari potest dogmatice.

Similis est species, quae nos decipit, dum realem repugnantiam in sententiis istis inuenire putamus, secundum quas mundus aut infinitus aut finitus esse asseritur. Foret ita, si mundus hic sensibilis esset aliquid per se datum; at quum intra nos in regressu tantum repraesentationum existat, propterea istud notum, „non entis nulla esse praedicata„ applicare licebit, et nec finitum nec infinitum hunc mundum esse, quum non per se existat, asserendo, antinomiam istam ex falsa suppositione oriundam resoluere. Haec paullo fortassis vberius a nobis allegata sunt, quo clarius nullam demonstra-

ſtrationibus apagogicis in quaeſtionibus rationis purae fidem aſſignandam eſſe, quum nulla detur conceptuum directa oppoſitio, intelligamus. Directe igitur et per deductionem conceptuum transſcendentalem res agenda eſt; quod ſi ſemper intellectum fuiſſet, ſane difficili ſtudio et ſudori in exornandis eiusmodi demonſtrationibus, quales hucusque refutatae ſunt a nobis, ſaepe effuſo, parſum fuiſſet.

ME-

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS
LIBER SECUNDUS.
De canone rationis purae.

INTROITUS.

Rationis purae non datur canon nisi respectu practico.

Ex iis, quae in superioribus de philosophia rationis purae exposita sunt, satis id quidem constabit, esse eam non organon aliquod nouarum cognitionum comparandarum, sed disciplinam potius ad reprimendos conatus irritos rationis, idearum suarum realitatem obiectiuam more speculatiuo demonstrare studentis, institutam. Vsus igitur philosophiae purae praecipuus negatiuus est, et in definiendis legitimae cognitionis terminis versatur; ipsa enim, quae principiis rationis purae assignabatur, vis regulatiua non nouae scientiae acquirendae apta est, sed ad eam, quae per intellectus vsum empiricum datur, sub vnitate systematis comprehendendam spectat. Quamquam autem vna ex parte humilietur ratio, per omnem speculationis industriam nihil agi, sed hanc potius seueriori disciplina compescendam esse intelligens, tamen a parte altera sibi ipsi rursus confidit, dum per hanc disciplinam summae ipsius in omnibus quaestionibus decidendis autoritati iudiciali nihil derogari agnoscit, quoniam non aliena ipsi admouetur censura, sed ipsa legem sibi et legitimi vsus terminum constituit.

Attamen nescio quid semper superest haesitationis, et inexpletum sentitur cognitionis vacuum, quod ra-

rationem impedit, quo minus spem positiuae cognitionis aliquo modo comparandae penitus abiiciat. Sunt enim, quae circa recte sentire rationis interest maxime, extra omnem experientiam possibilem posita, quaeque per vsum ipsius speculatiuum attingi posse desperandum est. Ad quae quum naturali et indelebili desiderio feratur, inde oritur praesumtio, latere alicubi fontem cognitionum positiuarum ad rationis purae prouinciam pertinentium, qui quoniam per vsum eiusdem speculatiuum non inuenitur, in *practico* quaerendus erit. Iam igitur de hoc vberius est dicendum.

§. 1.

Canonem appellamus in genere complexum principiorum, ad quorum normam rectius facultatis cuiusdam cognoscitiuae vsus in comparanda cognitione debet institui.

Sic logica vniuersalis, quoad partem eius analyticam, canon est intellectus et rationis, leges exhibens generales, vsus harum facultatum formalis recte instituendi. Quod vero ad intellectum, quem purum diximus, (quatenus in eo fons est cognitionum syntheticarum a priori comparandarum) attinet, eius canonem exhibuimus in analytica transscendentali. Vbi vero legitimus facultatis alicuius vsus ad cognitionem syntheticam comparandam non datur, ibi canonem eiusdem nullum dari omnino, per se patet.

§. 2.

Rationis purae quoad vsum speculatiuum non datur canon.

Examini hucusque vsum rationis speculatiuum submisimus, et inualidum ipsum ad cognitiones syntheticas

theticas comparandas inuenimus; quo factum est, vt omnia, quae de ratione speculatiua allegari poterant, ad disciplinam redirent. Si quis igitur rectus huiusce facultatis vsus, si cognitionis per ipsam comparandae, et per consequens canonis eiusdem condendi spes est, in parte practica, vti diximus, vnice versabitur.

§. 3.

Tribus capitibus tractatio nostra circa canonem rationis purae absolue ur. Primum enim, quinam sit rationis purae finis vltimus, siue quae sint problemata, ad quorum solutionem omnes demonstrationum ipsius conatus, omnia meditationum commenta tendant, exponendum, nec non quanam ex parte tantum hisce problematibus pondus ad excitandum rationis studium concilietur ostendendum est. Deinde, quidnam ratio pura secundum principia practica ad problemotum istorum solutionem afferat, exponemus; tertio denique loco, qua in re differant opinio, scientia, fides, enodabitur, vt scilicet, qualis cuique cognitionum generi adhaesionis conueniat gradus, pateat; ne qua in re scientia requiritur, subiectiua contenti simus fide, aut vbi fidei tantum locus esse potest, scientiam frustra sectemur aut stolide nobis arrogemus.

CANONIS RATIONIS PURAE
CAPUT PRIMUM.
De fine vltimo rationis purae.

§. 1.

Tria sunt problemata cardinalia, in quibus resoluendis omne rationis purae studium consummatur, et ad quae tanquam ad scopum aliquem vltimum omnem speculationis industriam dirigimus, liberum videlicet arbitrium, immortalitas animae, existentia Dei.

Iam supra allatum est a nobis, eam, quam a parte speculatiua ideis transscendentalibus tribui vidimus, significationem non sufficere rationi, sed naturali eam studio ad id deferri, vt realitatem ipsis obiectiuam sensu strictissimo competere demonstret. Omnium autem idearum praecipuae eae sunt, quas in paragraphi titulo enunciauimus, ceterarumque realitas in tantum a nobis expetitur, quantum arctiori cum hisce nexu cohaerere videntur. Iam itaque quanam ex parte tanta accedat hisce ideis dignitas, et hoc tam graue momentum, quo ad haec studia ratio accendatur, videndum est.

§. 2.

A parte speculatiua leue est problematum transscendentalium momentum, nec, si realitas ipsorum demonstrari posset, magna inde ad cognitionem promouendam caperetur vtilitas. Quare eximium illud, quod ipsis tri-

tributitur, pondus a parte practica siue nexu eorum necessario cum conditione hominis morali deriuandum est.

Si quod rationis in explicatione problematum transscendentalium interest, a parte speculatiua siue secundum vim ipsorum ad cognitionem theoreticam promouendam spectatur; haud sane, ex felicissimo licet percunctationis successu, tantae operae in spinosas transscendentalium meditationum quaestiones collocatae pretium consentaneum redundare posset, nec stimulus afforet tam infatigato rationis studio excitando idoneus. In concreto enim siue ad explorationem naturalem confirmandam nulla inde perciperentur phaenomenorum explicandorum emolumenta. Licet enim demonstratum sit, voluntatem hominis esse liberam, tamen haec libertas ad intelligibilem volitionis caussam vnice pertinebit. Quod enim actionum est, in quibus haec voluntas κατα φαινομενον sese exserit, eae sicut omnia cetera naturae phaenomena secundum inuariabilem caussalitatis legem a rationibus determinantibus in indefinitum deriuandae erunt. Licet quoque spiritualis animae natura, simplex ea aeternaque, a priori comprehendatur, tamen ab hac certitudine nullae consequentiae deduci poterunt, quae vel ad huiusce vitae phaenomena explicanda vel ad conditionem futurae pernoscendam adiumenti aliquid afferant. Conceptus enim de natura immateriali negatiuus est, propterea que cognitioni promouendae aut consequentiis legitimis ex ipso eliciendis haud idoneus. Nec maior foret, quae a positiua ideae tertiae demonstratione redundaret vtilitas. Si enim compertum haberemus a priori, existere summam aliquam intelligentiam, exinde quidem finitiones rerum in hoc vniuerso obuias, et ordinationem omnium generalem ad firmum aliquod principium reuocare liceret: at nihil hac cogitatione

ad nexum ſingulorum et habitum explicandum adiuuaremur; nec propterea vbi difficultas datur in explorandis cauſſis naturalibus, ad voluntatem ſummae intelligentiae, a qua haec ita conſtituta ſint, prouocare permiſſum foret. Vetant enim hoc leges congruentis experientiae, quae, contingentium conditiones ſemper in ſerie phaenomenorum per regreſſum dynamicum nos explorare iubent. Nihil igitur per conſtitutam mundi ſenſibilis ad cauſſam noumenon ſiue intelligibile ſubſtratum relationem, etſi talis demonſtrari poſſet, proficeretur in cognitione naturali; nullus enim cognitionis transſcendentalis ad experientiam legitime inſtituendam immanens vſus fieri poteſt.

Aliud igitur hiſce ideis pondus et grauius, quam quod a parte ſpeculatiua deriuetur, momentum ineſſe oportet, quo excitata ratio nihil ſe egiſſe nec generi humano bene conſuli omnino exiſtimat, niſi de realitate earum perſuaſum habere poſſit. Hoc autem, quod ipſius in hoc genere intereſt maxime, in nexu harum idearum cum vſu rationis practico conſiſtit, de quo iam nunc dicendum eſt.

§. 3.

Practicam in genere vocamus id, quod per libertatem poſſibile eſt, atque cum libero arbitrio tanquam eiusdem vel conditio vel conſequentia neceſſarie cohaeret.

§. 4.

Praeceptum aliquod vocatur practicum, quando id, quod fieri oporteat, per ipſum definitur. (Conf. Dial. transſc. Lib. II. Cap. III. Sect. III. §. 4.)

Praeceptorum practicorum duplex eſt genus: aut enim praecipitur, quisnam vſus liberi arbitrii fieri debeat, ſub conditione empirica, vt finis certus ad libitum conſtitutus

tutus obtineatur: aut absolute imperatur, quid fieri oporteat, semper et vbique, nulla subiectiui cuiusdam propositi, quod obtinere velimus, ratione habita. Prioris generis praecepta leges vocantur pragmaticae seu regulae prudentiae, secundi ordinis praecepta obiectiua sunt, et leges purae practicae aut morales appellantur; imperatiuae quoque, quoniam absolute iubent nec ad conditionem vllam restringuntur. In hisce constituendis vsus rationis purae practicus versatur.

Vbi conditiones liberi arbitrii exercendi adsunt empiricae, ibi rationi nullus relinquitur vsus praeter regulatiuum, qui ad vnitatem et concentum legum empiricarum sub fine aliquo conciliandarum spectat. Sic, vt exemplo vtamur, omne rationis in constituenda doctrina prudentiae negotium in eo versatur, vt omnes, qui per appetitus nostros proponuntur, fines singulos sub vno et vltimo felicitatis fine comprehendat, et media ad summum hunc finem obtinendum conducentia eligat et systematice coniungat. In hoc genere igitur quae constituuntur leges, non purae sunt, nec prorsus a priori determinatae, sed ab experientia tenent, et sub conditione fecilitatis, a sensibus expetitae, feruntur. Leges autem practicae, ab omni conditione empirica alienae, in quibus ipsis finis iam continetur a ratione prorsus a priori constitutus, quarumque ob id ipsum absolutum est imperium et obiectiua vniuersalitas — purae sunt; dumque in mente exhibentur, vsum rationis purae practicum produnt, quapropter ipsarum canon potest constitui.

§. 5.

Finis vltimus rationis purae ad regendum secundum leges morales libertatem spectat; hac enim ex parte summa philosophiae purae problemata (paragrapho 1ma

 expo-

exposita) *omne pondus suum repetunt, atque eorum resoluendorum necessitas oritur.*

Non vt *scire* possis recte, sed vt *facias* recte, in hoc omnis, quem a solutione cardinalium rationis purae problematum exspectare licet, vsus vertitur. Ad cognitionem speculatiuam leue esse in quaestionbus rationis purae momentum, supra iam indicauimus. (§. 2.) At respectu practico maximum ipsis inesse pondus, per se patet. Nisi enim liberum sit arbitrium, lex moralis prorsus aboletur, si non est Deus nec vita futura, consequentiae tolluntur legitime ex ipsa deductae, nec spes superest eius, quod per ipsam ostenditur, summi boni vnquam adipiscendi; id quod in sectione subsequenti pluribus erit ostendendum.

§. 6.

Quaestio circa liberum arbitrium ad canonem rationis purae non pertinet; libertas enim practica, de qua sola hic agitur, in mente legis moralis sibi conscia, vt eiusdem conditio, necessarie supponitur, et ab experientia comprobatur.

Dari in mente humana leges practicas puras, quibus quod facere aut omittere fas sit, (omne in genere liberi arbitrii in ente rationabili exercitium) obiectiue a priori determinetur, quaeque *absolute* et sine vlla propositi cuiusdam empirici obtinendi conditione necessarie, quid fieri debeat, imperent: huius loci non est deducere; sed hoc negotium criticae rationis practicae referuamus. Hoc loco realitatem legis moralis iure optimo supponimus, ad conscientiam vniuscuiusque ratione praediti prouocantes, in qua, quando de honesto et officio cogitat, imperatiua moralis ab omni principio empirico prorsus distincta exhibebitur; assen-

su

ſu ceteroquin, ſi quid in hoc eſt momenti, omnium, qui hoc in genere elaborarunt, philoſophorum freti. Atque eadem, quae legis ſibi moralis conſcia eſt, ratio libertatem practicam immediate cum ipſa coniunctam eſſe intelligit. Conſiſtit enim, vti ad locum de libertate transſcendentali monuimus, (conf. Dial. transſc. Lib. II. Cap. II. Sect. V. Apotom. III. §. 3.) libertas practica in independentia arbitrii ab impulſu ſenſualitatis, ſecundum quam cauſſalitati rationis in determinando arbitrio locus relinquitur. Lex vero moralis, dum contra ſenſuum affectus quid fieri *debeat* praeſcribit, perfici hoc quoque *poſſe* a nobis, aperte ſupponit. In eo enim, quod facere aliquid *debeas*, adſtrictio intenditur ad vnum aliquod ex multis, quorum faciendorum poteſtatem habeas. Quem igitur legis moralis ſibi conſcium eſſe ſupponis, eum libero arbitrio praeditum eſſe vt exiſtimes, analyticum eſt. Conſpirat in eundem ſenſum omnis quoque experientia; id enim quod ſenſus afficit, propterea non in neceſſarium nos aſſenſum rapit, nec appetitus ad obſequium nos indiſpenſabile conſtringit, ſed locus eſt reflexioni circa id, quod reſpectu totius noſtrae conditionis bonum atque vtile videtur, in qua reflexione cauſſalitas rationis, voluntatem libere ab impulſu ſenſuum determinantis, ſiue libertas practica cernitur. An vero haec rationis cauſſalitas ſeriem, quam inchoat, phaenomenorum, libere per ſe ſiue abſolute incipiat, vel ipſa a cauſſis remotioribus mundi ſenſibilis rurſus determinetur haec quaeſtio mere ſpeculatiua eſt, nec ad vſum rationis practicum pertinet. Quaenam vero de hac libertate transſcendentali noſtra ſit ſententia, in antinomiae coſmologicae ſolutione expoſitum fuit; hanc igitur tanquam a propoſito noſtro prorſus alienam dimittimus, libertatem tantum practicam, quae ab ipſa legis moralis conſcientia neceſſarie profluit, ſtabilientes.

§. 7.

Duae igitur tantum sunt, quarum in canone rationis purae solutio postulatur, quaestiones; hae scilicet, an Deus sit, et vita futura?

Iam igitur, quidnam ratio pura secundum nexum, in quo haec problemata cum vsu ipsius practico constituta sunt, de ipsis statuat, videbimus.

CANONIS RATIONIS PURAE
CAPUT SECUNDUM.
De prototypo summi boni tanquam principio quaestionum rationis purae resoluendarum.

---

§. 1.

Omne quod rationis interest cognoscere, respectu tam speculatiuo quam practico, ad haec tria momenta redit, scilicet vt cognoscamus, 1) quantum scire possimus, 2) quid facere debeamus, 3) quid sperare nobis liceat, secundum legem moralem, quod oportet, facientibus.

In hisce tribus momentis omnis, ad quam expetendam ratio naturaliter defertur, cognitio absoluta est. Prima harum quaestionum mere speculatiua est, et in ea resoluenda omnis in hoc opere tractatio nostra versata fuit. Inuenimus autem eos scientiae nostrae per facultatum cognosciciuarum naturam constitutos limites, intra quos respectu mere speculatiuo libenter conti-

tine-

tinere nos possimus, verumtamen istorum, quae a parte practica pernoscere nostra interest maxime, problematum nullam inuenimus solutionem, adeoque eius more demonstratiuo vnquam adipiscendae spes omnis per naturalem virium nostrarum ad obiecta transscendentia cognoscenda insufficientiam prorsus ademta est.

Altera quaestionum practica est et ad rationem quidem puram pertinet, quatenus per ipsius vsum practicum lex moralis constituitur; at quoniam non transscendentalis est, sed ad conditionem hominis moralem spectat, ad hanc operis nostri critici partem proprie non pertinet. Quare secundae ipsam parti reseruamus, quae in censura rationis practicae instituenda versabitur; summam tantum aliquam rei, quatenus ad argumentum nostrum facit, hoc loco anticipaturi. Tertia vero quaestionum propositarum, quae ad ea spectat, quae legi practicae obtemperantem *sperare* permissum sit, practica est et theoretica simul: practica, quatenus spes omnis ad conditionem animi ad legem moralem bene compositi restricta est; theoretica vero, quatenus cognitio aliqua sortis futurae, in quantum haec cum habitu entis rationabilis erga legem practicam cohaeret, intentatur. Hanc igitur ad quaestionem respectu practico institutam at theoreticam tamen cognitionem spectantem si, quod constanter responderi possit, habemus, inde solutio problematum supra (cap. I. §. 7.) propositorum exspectanda est, ita vt quae scire demonstratiue fas non est, propter rationes practicas firmiter tamen sperare permissum sit, spesque rationabilis respectu practico eas partes sustineat, quas scientia in cognitione speculatiua tuetur.

§. 2.

Omnis in homine spes ad felicitatem adipiscendam spectat; hanc quomodo obtineamus, leges pragmaticae docent: lex vero moralis ita agere nos iubet, vt digni simus felicitate; quae quidem dignitas conditio est necessaria felicitatis secundum principia rationis dispensandae.

Felicitatem in genere eum appellamus statum, quo omnium appetituum, tam secundum *multitudinem* ipsarum (extensiue) quam *gradum* (intensiue) perfecte expletorum, continuo atque inuariabili sensu (protensiue) fruamur. Huiusce conditionis adipiscendae leges feruntur practicae, at empiricae simul, quia quales insint homini appetitus, quaeque ipsorum explendorum media dentur, ab experientia petendum est, et secundum varia subiecta varium esse debet necessarie.

Prorsus ab hisce diuersa est lex moralis, quae non id facere nos iubet, quo participes fiamus felicitatis, sed ita agere imperat, vt digni fiamus felicitate. Haec lex moralis, quam quare in homine quouis supponere liceat supra ostendimus, — a priori constitui et per rationem puram cognosci potest, *quoniam nihil per ipsam petitur, quod ab experientia pendeat, sed libertas tantum entis rationabilis in genere regenda, et ad conditionem eam necessariam (dignitatem) componenda praesumitur, ad cuius normam solam distributio felicitatis, secundum principia rationis instituta, potest cogitari.*

§. 3.

In idea rationis purae systema moralitatis cum effectibus felicitatis necessarie connexum est.

Ratio

Ratio, dum in vsu ipsius practico felicitate nos *dignos* fieri vult, necessariam proponit conditionem, sub qua sola distributionem felicitatis ex legibus aequis institui posse agnoscit. Nullam igitur probat felicitatem, quae non cum hac conditione congruat aptissime. Eadem igitur necessitate, qua legibus practicis se adstrictam sentit ratio, etiam respectu theoretico accipere cogitur, vnicuique felicitatem pro modulo dignitatis sperandam esse.

Necessitas praeterea *praecepti* et vis cogendi sentitur in lege morali, qua omnino destitueretur, si nulli cum praecepto effectus praemiorum poenarumue connexi essent a priori; et interna aliqua contradictione laboraret lex moralis, nisi hic inter moralitatem et felicitatem nexus a priori constitueretur. Nam quum dignitatem pro principio statuat felicitatis legitime possidendae, et absolute, huic vt dignitati studeatur, imperet, eadem flagitat quoque, vt conditionis compos id vere nanciscatur, quo dignum sese reddiderit, spemque ita facit felicitatis per dignitatem obtinendae. Sic in idea rationis, quae ipsa sibi aduersari nequit, vinclo necessario connexam moralitatem cum felicitate videmus.

§. 4.

Dignitas moralis et felicitas, ad hanc entium rationabilium dignitatem aequissime accommodata, summum bonum constituunt, quod in mundo morali necessarie cogitatur.

1) Quaestionem illam de summo bono, a veteribus inprimis philosophis agitatam, quamuis propius ad criticam rationis practicae pertineat, tamen hic perstringere, summamque ipsius exponere necesse est, quoniam ab hac pendebit potissimum, quid circa problema-

blemata ista, quae respectu practico resoluta habere necesse est, statuatur. Duae sunt oppositae sibi circa summum bonum philosophorum sententiae, dum scilicet vna pars (Epicureorum atque Eudaemonistarum in genere) in voluptate (ἡδονῃ) illud seu omnis generis felicitate ponendum esse existimant, altera (Stoicorum, eorumque communiter, qui philosophiam morum tractauerunt) in virtute sola siue animo ad legem moralem perfecte composito perfectum illud bonum consistere censent. Nos neutri partium fauentes, quid constanter dici possit perscrutabimur.

Felicitas sola nondum perfectum illud bonum est, quod quaerimus. Ratio enim, penes quam summum est hac de re iudicium, felicitatem non probat, nec iuste ipsam possideri censet, nisi *dignitas* quoque adsit e recto erga legem moralem habitu oriunda. Nec vero haec mens recti honestique tenax (moralitas quam dicunt in genere), et ob id ipsum dignam se felicitatis esse sibi conscia, sola per se pro summo bono haberi potest. Sed et ad hoc consummandum effectus dignitatis siue felicitas ipsa accedere debet, quam, dum ea dignos nos reddere debemus, per rationem sperare sine dubio iubemur. Ipsa enim ratio, ab omni priuati commodi studio aliena, si felicitatis distributio ipsi demandata esset, haud aliter sibimet ipsi consentire videretur, nisi in ea largienda modulum sequeretur dignitatis, quacum felicitas in idea practica ita connexa est, vt ratio dignitatem pro principio habeat, sub qua sola felicitatis possessio ab ipsa iusta et legitima censeri possit, in quouis alio possessionis titulo iniquitatem aliquam et iniuriam sibi siue, quod idem est, legi practicae illatam dolens. Ex quibus omnibus emergit, summum bonum constare in felicitate secundum legem dignitatis entium rationabilium moralis conformiter distributa.

2) Hoc

2) Hoc autem summum bonum in mundo morali necessarie cogitari, ex ea, quam ratio sibi de mundo morali format, idea probandum est. Mundum appellamus *moralem*, quatenus tanquam cum legibus moralibus absolute conformis consideratur; id quod secundum libertatem entium rationabilium esse *potest* et secundum imperatiuam practicam esse *debet*. Hic igitur mundus moralis intelligibilis est, quoniam in eius idea tam ab omnibus subiectiuis actionum conditionibus (finibus empiricis,) quam ab impedimentis perfectionis moralis, in imbecillitate ac impuritate humanae naturae conspicuis, abstrahitur. Haud tamen propterea mundus moralis pro diuerso aliquo a nostro hoc mundo, seu obiecto quodam intuitionis intellectualis haberi debet, quale omnino cogitare non possumus; sed idem est, in quo versamur, mundus, quatenus in hoc vnice ad libertatem indiuiduorum rationabilium respicitur, quae sub imperio legis moralis tam cum semetipsa quam cum libertate ceterorum omnium perfecte conspirat. *Intelligibilem* igitur hunc mundum vocamus, quatenus non exsistit, (libero scilicet arbitrio contra sensum legis moralis affecto) at *practicam* tamen ipsi *realitatem* tribuimus, quatenus existere eum et posse et debere per legem practicam docemur: quae quidem ita nos agere tanquam in tali mundo constitui simus, atque quantum in nobis est, ad ipsum vere efficiendum afferre iubet.

In hoc, qualem nunc definiuimus, mundo morali systema felicitatis ad amussim dignitatis moralis vere distributae, atque cum hac necessario effectus cum caussa vinculo coniunctae, obtinebit realiter. Libertas enim per leges morales modo excitata modo constricta ipsa per se caussa foret felicitatis vniuersalis, ipsaque sibi ductu horum principiorum entia rationabilia immotae perpetuaeque omnium prosperitatis forent autores.

§. 5.

§. 5.

Elementa summi boni, quae in mundo intelligibili tanquam necessarie connexa cogitantur, in mundo sensibili separata sunt, in quo nullus eorum nexus a priori concipitur.

Systema moralitatis, per semet ipsam felicitatem tanquam effectum necessarium producentis, ea niti conditione patet indispensabili, vt omnes et singuli, quae per legem moralem imperantur, faciant, omnesque actiones tanquam ab vna eademque voluntate morali deriuatae secundum legem vniuersalem finibus omnibus priuatis remotis peragantur. Haec autem conditio cum in mundo sensibili, — in quo affectus obtinent, rerumque cupidines aut metus et colluctantes sibi inuicem fines priuati, naturaque ipsa saepissime liberiores animi facultates adeoque rationis exercitium impediens, — expleri nequeat vnquam; inde nexus quoque, qui in mundo morali necessarie cogitatur inter legem moralem et felicitatem, in sensibili nullus est. Obtinent igitur duo diuersa in hoc systemata; alterum *sapientiae*, quod dignitati studet, alterum *prudentiae* felicitati inseruiens, quorum quis sit nexus inter se, nec a natura rerum nec a caussalitate actionum liberarum ipsa (quam in regno morali necessarie felicitatis effectiuam esse vidimus,) colligi potest. Naturam igitur, qualis est, in principiis ponens ratio, summum bonum quonam modo effici possit, haud intelligit.

§. 6.

Nihilo tamen minus summum bonum propter vim legis moralis obligatiuam speratur rationabiliter.

Quam-

Quamuis autem in mundo ſenſibili non omnes legi morali conformiter agere inueniantur, tamen inde nihil debilitatur huiusce legis vis ac virtus imperatiua; ſed vnusquisque ita ſe gerere iubetur, quaſi in mundo intelligibili, in quo omnia ſecundum legem libertatis puram tranſigantur, vere conſtitutus ſit, nec aliorum inobedientia, quaeque ex ipſa in nos redundare poſſunt incommoda, nos a fide erga legem moralem diſpenſare valent: omnis potius eiusmodi transgreſſio a ratione abſolute praecipiente ſeuere reprimitur. Vnde colligimus, non ſenſibili huic ſolum, ſed mundo intelligibili nos eſſe natos, quem eius legibus iam nunc obtemperando, quantum in nobis eſt, debemus efficere. Vidimus enim, rationem, dum, vt dignitati (quae principium eſt felicitatis diſpenſandae in mundo intelligibili) ſtudeamus vnice, hoc praecipit, ſpem oſtendere certam euentus cum hac conditione aliquando correſpondentis, ſiue felicitatis ſecundum gradus dignitatis adipiſcendae, et ab hac ſpe omnem pendere legis moralis tamquam *praecepti* vim et cum conſequentiis nexum legitimum. At in hoc mundo haec non reperitur ſyſtematica felicitatis cum moralitate vnitas, *quare eam tanquam futuram ſperare, omniaque ſupponere per rationem ipſam adigimur, ſine quibus id, quod ſummum eſt bonum*, (quodque nobis, quippe ad intelligibilem rerum ordinem pertinentibus, propoſitum eſſe ſentimus) *ſperari non poſſet.*

§. 7.

Vt ſpem rationabilem fouere poſſimus ſummi boni vnquam obtinendi, duo ſunt, quae neceſſario ſupponi debent: primum ſuprema intelligentia, a qua tanquam prototypo ſummi boni elementa eiusdem perfecte deriuari poſſint; dein vita futura, in qua ipſorum coniunctionem exſpectamus.

Quum

Quum natura, qualem percipimus in mundo sensibili, non per se cum lege morali ad efficiendum summum illud, quod agimus, bonum conspirare cognoscatur; ratio vero nexum postulet, inter moralitatem et felicitatem aliquando conciliandum: inde efficitur, huic si spei euentum aliquando congruum exspectare velimus, supremam aliquam intelligentiam supponi debere, a qua natura omnis vt ab vltima caussa intelligibili originem trahat, ita vt ipsa omnia sub imperio secundum leges morales comprehendens, mundum sensibilem legibus intelligibilibus conformare queat. Ideam autem eiusmodi intelligentiae, a cuius perfectissima voluntate morali vna cum summa sufficientia caussali felicitatem secundum dignitatem moralem distributam speramus, prototypon appellamus summi boni, quippe in quo solo huius elementa, qualia mundi moralis idea postulat, coniuncta inueniantur. Summa igitur et huic prototypo adaequata intelligentia siue DEUS necessarie postulatur, siquidem mundi moralis vnquam perficiendi spem per rationem ipsam excitatam euentu carere non posse persuasum habemus. Huius autem summae intelligentiae effectus in mundo morali constituendo quum in hac vita sensibili nondum cernantur, inde altera nobis post hanc postulatur conditio futura, quae eius, quod hic frustra desiderauimus, vere nos participes reddat, in quantum ipsi in hoc mundo idoneos nos praestiterimus felicitatis in mundo morali secundum principia dignitatis obtinendae.

Deus igitur et vita futura necessarie supponuntur a ratione pura, quae, dum legem nobis fert absolute imperatiuam, huiusce legis effectum legitimum sperare nos iubet, imo necessarie postulat. *)

§. 8.

*) Leibnitius mundum, quatenus in ipso vnice ad entia rationabilia eorumque nexum secundum leges ethicas sub imperio supre-

§. 8.

Principium practicum theologiae moralis eo omni principio speculatiuo praestantius est, quod nos ad entis summi vt unius intelligentiae, perfectissimae, conceptum vltro deducit, simulque firmum physico-theologiae constituendae fundamentum praebet.

Rationis speculatiuae censura, quam supra instituimus, nos docuit, nec theologiam a parte transscendentali tentatam, nec eam, quae a contemplatione naturae deriuatur, satis idonea nobis afferre argumenta, quibus ad suppositionem *entis unius* eiusdemque *perfectissimi*, quod vt principium caussarum naturalium ab ipso prorsus dependentium considerandum sit, rite deducamur. Hic vero defectus a theologia morali, cuius principia iam nunc exposuimus, egregie suppletur. Si enim vnitatem moralem tanquam legem mundanam vniuersalem consideramus, ad quam omnis natura conformari, et in qua omnia conspirare debeant, quae ad hunc mundi complexum pertinent; tunc ab vnitate finis vltimi (summi boni efficiendi) ad vnitatem caussae supremae, a qua effectus huic legi consentaneus exspectatur, rite concludimus. Vna igitur eaque suprema esse debet voluntas, quae mundum secundum leges morales regit. Omnipotens simul haec voluntas esse

premae intelligentiae respicitur, *regnum* appellauit *gratiae*; ipsumque *regno naturae* opposuit, in quo iisdem quidem legibus subiectae sint naturae rationabiles, at nullum actionum suarum euentum sperare possint, nisi quem leges physicae mundi sensibilis afferant. In hoc igitur regno naturae constituti regnum tamen gratiae vt speremus firmiter, eadem nos ratio iubet, quae ita nos in omni vita agere, ita legibus practicis morem gerere vult, quasi ciues regni illius gratiae vere iam instituti decet.

esse debet, vt omnis ipsi natura subiecta sit, et ad fines ipsius morales conformari possit, pariterque omniscia, vt mentem interius cognoscat rationabilium, quaeque ipsis sit moralis dignitas aestimare possit. Omnipraesentia quoque atque aeternitas ipsi tribuendae sunt, vt vbique quod ad summum bonum pertinet expleat, nec in vllo vnquam tempore consentiens naturae cum libertate harmonia deficiat etc. etc.

Sic vero quem a parte speculatiua frustra sperauerämus, a parte morali vere constituitur conceptus de ente summo omnimode determinatus, isque, qui ab argumentis practicis deductus desiderio rationis, quod respectu *practico* adeo vrgens esse cognouimus, amplissime satisfaciat. Vnitas autem systematica mundi moralis, in quo omnia secundum eandem legem practicam reguntur, et ad eundem finem (summum videlicet bonum) conspirant, nos ad vnitatem finium (siue *teleologicam*) in omni hoc nexu cosmico secundum leges naturales praesumendam immediate conducit. Vt enim summum bonum efficiatur, propterea omnis natura, vti supra indicauimus, ab ente summo, tanquam ipsius *autore* deriuanda est. Mundus igitur vt ex vnius summae intelligentiae idea ortus atque enatus, totum nobis offert systematice connexum, cuius ob caussas morales suppositam vnitatem indagando persequentes, principium habemus omnis scientiae naturalis ad systema teleologicum redigendae; vnde rursus, vnitate finium empirice magis magisque perspecta ad vnitatem autoris confirmandam retrogredi licet. Ita quemadmodum *transscendentalem* summi entis determinationem tum demum aliquid capere realitatis vidimus, quando a parte practica postulatur, sic *physicotheologicam* tum demum recte condi posse apparet, quando fundamento morali incumbit. Egregie autem cum hac nostra sententia consentiunt omnia, quae de cognitionis diuinae incrementis historia docet. Ante

quam

quam enim conceptus morales satis stabiliti expurgatique essent, nec cognitio naturalis, quamuis satis bene iam perspecta, nec in genere rationis per aliarum scientiarum studium acquisita cultura, dignam stabilemque de DEO sententiam perficere valuit; nec adeo magnum aliquod tali quaestioni pondus adiicere valuit. Simulac autem, inprimis per purissima, quae in religione a Iesu promulgata continentur, morum praecepta, sensus hominum moralis acui incipit, tunc quantum rationis intersit, vt recte de Deo et rebus diuinis sentiat, intellectum, et in hac parte ardentissime laboratum fuit, quo studio demum is de Deo conceptus effectus est, quem pro iusto et consummato habemus, non quasi propius ad cognitionem obiecti ipsius more speculatiuo accessum sit, sed quoniam hic conceptus solus est, qui cum principiis practicis, (propter quos solos de Deo aliquid sentire necesse est) aptissime congruit. Sic igitur rationis purae vsui practico omne, quod recte de Deo sensum fuit vnquam, quamquam mere speculatiuum esse apparet, vnice debemus; optimeque semper ibi de Deo sentiri inueniemus, vbi lucidior est de bono et honesto cognitio, et studium in ipso promouendo ardentius.

§. 9.

Cauendum est, ne, theologia a morum principiis deducta, ordinem inuertamus, atque, quasi demonstratiue ad cognitionem entis summi peruentum sit, leges practicas a voluntate eius suprema deriuare conemur.

Admonitione adhuc opus esse videtur, ne, quando per rationis vsum practicum vsque ad necessariam caussae supremae intelligentis suppositionem accessum est, principii, quod ad summum hoc fastigium nos perduxerat, penitus obliti, leges morales ipsas a vo-

luntate diuina, quasi fundamento cognitionis deriuemus. Sic enim philosophando nobismet ipsis contradicimus, et vim ipsam legum moralium per se necessariam peruertimus. Contradictionem incurrimus, quoniam legum moralium cognitio conceptum de voluntate aliqua diuina necessarie praecedit; quaecunque enim de Deo et voluntate eius statui possunt, propter legem moralem eiusque nexum necessarium cum summo bono statuuntur, nec aliud datur praeter practicum istud in hoc genere cognoscendi principium. Vim quoque debilitamus legum moralium per se imperatiuam; contingens enim est earum et conditionata autoritas, simulac a voluntate aliqua deriuantur, de qua tamen nullum omnino conceptum habemus, nisi quatenus secundum ipsas has leges practicas formatur. Periculosum praeterea tale est inceptum, dum scilicet voluntate diuina a legibus practicis sic separata, fines huic voluntati suggerere licet, ad arbitrium imaginationis humanae excogitatos, et noua officiorum genera proponere, quorum vis omnis obligatoria a voluntate suprema Dei (tametsi haec per se et more speculatiuo cognosci posset) repetitur; qui noxiarum suppositionum pessimorumque errorum fons ad euertendam sanam morum doctrinam, et religionem vitiosis theologiae monasticae commentis prorsus corrumpendam vberrime fluxit. Ab hac iniquissima petitione principii vt nobis caueamus, id pro certo constet, vt ad omnis generis officia haud propterea nos obligari opinemur, quoniam praecepta sint diuina, verum e contrario ea pro praeceptis diuinis propterea habeamus, quoniam interne nos ad ipsa obligatos esse intelligimus. In genere igitur sic nos officiis omnibus incumbere, sic voluntatem diuinam reuereri atque explere putandum est, si legem moralem, qualem ratio nos practica docet, sanctam atque inuiolabilem ducimus, atque quantum in nobis est, summo, quod ab ipsa no-
bi

bis praeponitur, bono vbique et semper promouendo studemus. Vnde efficitur, rectum theologiae moralis vsum immanentem esse, vt scilicet in vltimo naturae nostrae fine explendo adiuuemur; haud vero transscendentem, in quo arrogantia est cognitionis speculatiuae, quae ad arbitraria rationis commenta deducit, et a recto disciplinae practicae tramite in deuia atque infructuosae argutiae plena philosophemata deflectitur.

CANONIS RATIONIS PURAE

CAPUT TERTIUM.

Exponitur, qua in re differant opinio, scientia, fides.

Iam igitur id aggredimur, quod vltimo loco exposituros nos fore promisimus, scilicet vt gradus adhaesionis varios, secundum quos id, quod rationis vsu seu speculatiuo siue practico decretum est, pro vero habetur, exponamus. Talis autem expositio a canone rationis purae iure optimo postulatur, ne scilicet in vsu rationis aberrantes speculatiuam ibi instituamus disquisitionem, vbi in fundamenta fidei practicae inquirendum erat, aut opinari ad libitum nobis permittamus, vbi obiecti, quod tractatur, indoles *scientiam* a priori certam flagitat.

§. 1.

Assensus omni quod pro vero habemus, placito, duplex praeberi potest, aut propter rationes obiectiuas, aut

 sub-

fubiectiuam. Priorem conuictionis, fecundum perfuafionis affenfum vocamus.

Quando id, quod pro vero habet aliquis, ab omni ratione praedito fimiliter iudicatur, tunc rationes affenfus obiectiue fufficientes funt, et conuictioni locus eft. Vbi vero cauffae affenfus in fingulari fubiecti affentientis difpofitione reconditae funt, a fubiectiua idearum affociatione originem trahentes, ibi perfuafi affentimus, non conuicti, et affenfus varius eft atque mutationi obnoxius.

Perfuafio haud ita facile a conuictione certa diftinguitur, quamdiu ad affenfum vnice refpicimus fubiectiue in mente noftra excitatum. Hic enim paris eft vtrobique. Multum tamen refert, an ratiociniorum aliqua fubiectiue tantum in nobis concinnat fpecie inducti aliquid pro vero habeamus, quod per fe falfiffimum effe poteft, an propter correfpondentiam cognitionis cum obiecto ipfo; in qua fola veritas eft, quae omnium intellectu praeditorum confenfum vnanimem poftulat, fecundum notiffimum illud, quod confentientia vni tertio inter fe confentire pronuncia. Quare vt obiectiuam conuictionem a mera perfuafion difcernamus, et quantum perfuafio conuictioni pro pior fit aut diftet ab ipfa, experiamur, quid de re aliqua iudicemus, aliis tradendum erit. Quorum fi intellectus per rationes a nobis expofitas ad eundem quem ipfi fouemus, affenfum rapitur, tunc iure reputabimus, hunc complurium nobifcum confenfum ab obiectiuis rationibus deriuari, et iudicio noftro pl iam confidere licebit, quamquam perfecta inde co uictio non deriuari queat. Vbi vero hoc aliorum co fenfu prorfus deftituimur, ibi fubiectiuas rationes n pro obiectiuis habuiffe et perfuafioni fimplici pond adieciffe conuictionis pro certo eft.

§.

§. 2.

Assensus, quatenus secundum obiectiuum in ipso momentum in relatione ad conuictionem consideratur, tres dantur gradus, opinio, fides, scientia. *)

§. 3.

Opinionem vocamus assensum, quem ipsi a parte tam obiectiua quam subiectiua insufficientem esse iudicamus: talis vero assensus, in quo subiectiue quidem rite acquiesci censemus, quamuis ad obiectiuam conuictionem ipsum non sufficere simul agnoscamus, fides est. Tertium genus est scientiae, in qua assensus est, tam subiectiue quam obiectiue prorsus sufficiens. Vbi rationum assensus obiectiuarum sufficientia adesse cernitur uniuersalis, consensum omnium intelligentium necessarie prouocans, ibi certitudinem praedicamus cognitionis; vbi vero rationum obiectiuarum subiectiua tantum sufficientia adest, ibi conuictio interna oritur, cui tamen certitudo externa non competit.

§. 4.

Opinio semper tamen nexum cum veritate aliqua obiectiua requirit. Circa cognitiones puras opinioni locus esse nequit.

Quamuis problematicam prorsus et ab vtraque parte insufficientem esse opinionem constat, tamen nexus in ipsa aliquis cum veritate quadam certa requiritur; alias enim nullum in ipsa assensus excitandi momen-

*) Tò scire, εἰδέναι, non scientia illa, quam τέχνην appellare liceret.

mentum foret; et vanus tantum imaginationis ludus cerneretur. Eorum vero, quae prorsus a priori statuuntur, omne experientiae adminiculum excludentia, aut necessaria est et certa cognitio, aut nulla omnino. Quare nec in mathematicis opinari licet, nec actionem aliquam committere, quoniam eam esse permissam *opinamur*. In hisce enim cognitionis partibus quid valeat nec ne, quoniam sciri *potest*, idem *sciri* quoque, non supponi *oportet*. Quod vero ad rationis vsum transscendentalem oportet, in hoc quoniam sciri numquam aliquid posse pro certo habemus; ab omni iudicio, respectu speculatiuo instituendo, abstinendum est penitus, rationes enim assensus subiectiuae, quae fidem faciunt, respectu speculatiuo nullius sunt momenti.

§. 5.

Vt fides adsit, rationes requiruntur subiectiue sufficientes. Vbi vero respectu theoretico rationes assensus non sufficere intelligimus, fides tamen respectu practico datur, defectum assensus subiectiui in iudicio mere theoretico explens.

§. 6.

Respectus practicus, propter quem iudicio alicui theoretico haud sufficienti fidem habemus, duplex cogitari potest: vel technicus, quando fines expetuntur ad libitum propositi et contingentes, vel moralis, quando finis propter quem sententiam amplectimur, necessarius est et a ratione ipsa constitutus. Quapropter distinguendum est inter fidem pragmaticam contingentem et instabilem, atque fidem moralem, quae necessaria est et immutabilis.

Simu-

Simulac finis aliquis propositus est, etiam conditiones eiusdem obtinendi hypothetice necessariae sunt. Haec autem necessitas subiectiua est, si ego tantum, qui ad agendum prouocor, nullam aliam finis obtinendi conditionem noui. Tunc ei, quam scio, conditioni fides a me habetur practica, cuius normam in agendo sequor: at quae, quoniam alii tamen alias finis obtinendi conditiones scire possent, contingens est. Haec est quam *pragmaticam fidem* appellamus, quam v. c. medicus sectatur in adhibenda medicina, vbi circa morbi latentem naturam dubia supersunt, at aliquid tamen remedium properandum est. Vniuersalis autem est absolutaque necessitas, quando id obiectiue constat, neminem alias conditiones finis propositi efficiendi posse cognoscere. Tunc fides conditioni habetur respectu practico necessaria eaque, quam *moralem* modo diximus. Huius quae sit natura vberius explicabimus, paucis tantum de fide doctrinali praemonitis.

§. 7.

Assensum, quem iudiciis quibusdam theoreticis praebemus, propter rationes subiectiue sufficientes fidem appellare licet doctrinalem. Huius quam firma sit persuasio, quamque propinqua conuictioni, per commoda vitae in medium posita, quae errantibus nobis perdenda sint, diiudicari potest.

Haec quam sic descripsimus doctrinalis fides, analoga est fidei practicae; in quantum, licet circa cognitionem aliquam de obiecto theoreticam actioni quidem secundum persuasionem nostram instituendae locus non sit, verum tamen in imaginatione aliquid possumus concipere, ad quod vel peragendum vel patiendum nosmet ipsos obligamus, si quae pro veris habuimus, fal-

 sa esse

sa esse reperiantur. Quare, si quis firmam atque immotam prae se fert de re aliqua, circa quam obiectiue nondum constat, conuictionem, propone commoda vitae in casu erroris demonstrati ipsi perdenda, aut labores cruciatusue suscipiendos, et videbis, quanti ipse persuasionem suam aestimauerit. Hac fide doctrinali quae amplectamur, multa sunt. Vt vnum e multis afferamus, habitari planetas, quas terrae nostrae similes, orbes pariter solem circum describere videmus, ita harum rerum peritis persuasum est, vt, si possibilitas certitudinis obiectiuae explorandae detur, certe quouis pignore certarent, multaque hac super conuictione vitae commoda in aleam coniicerent, errore demonstrato sibi perdenda.

§. 8.

Decretis de existentia Dei atque vita futura fides est doctrinalis, quam theologia naturalis excitat, at contingens ista, nec ad firmae conuictionis assensum in omnibus comparandum satis apta. At eorundem quae a parte practica habetur, fides moralis necessaria est, et assensum omnium, qui conditionis sibi moralis conscii sunt, efflagitat.

Vt rerum in hoc mundo finitiones explorare, atque rationem sapientis, cuius tot vestigia occurrunt ordinationis reddere mihi possim, nulla est, qua rectius ducar in inuestigando, conditio, nulla, quae tot exemplis illustretur, tot difficultates resoluat, tam vtilitet studio prosit, sententia, quam ea, quae a summa aliqua intelligentia hoc mundi vniuersum ad fines sapientissimos conditum compositumque esse statuit. Quare assensus, quo tale decretum etiam respectu speculatiuo amplectimur, opinionis vim atque pondus longe excedit; quare fidem rectissime doctrinalem vocabimus

qua

quae etiam circa vitam futuram per confiderationem praeftantiffimarum animi facultatum et terreftris noftrae conditionis breuitatem ad iftarum euolutionem vfumque, vti videtur, male comparatam fapientique in ceteris naturae ordinationi repugnantem, facile excitabitur. At haec fides, etfi fatis obuia, tamen mutabilis eft, nec ad firmam, quam de re tam graui iure optimo poftulare videmur conuictionem fufficiens. Sunt enim quae a parte fpeculatiua conturbare nos poterunt, et contra talem explicationem finitionis naturalis (cuius in phyfico-theologia intelligibilis tantum cauffalitas fupponitur; quoduis enim phaenomenon datum ab altero in eadem ferie pofito deriuari debet) obiici poffunt fatis conftanter, ita vt quae *mihi* ad conuictionem fubiectiue fufficere poffent fidei doctrinalis fundamenta, affenfum *alterius* haud aequaliter excitent, atque vniuerfalis in iftis vis atque autoritas defideretur. Longa alia vero eft *fidei moralis*, qua decretis iftis adhaeremus, natura. In hac enim conftituenda a neceffitate finis cuiusdam, quae abfolute cognofcitur, ad neceffitatem conditionis rectiffime concludimus. Quatenus enim nos tanquam in regno morali conftitutos neceffario confiderare debemus, abfoluta nobis lex a ratione ipfa propofita eft, fcilicet vt fummo bono, in quo vltimus continetur naturae rationabilis finis, promouendo, quantum in nobis eft, ftudeamus. Hunc vero nobis, quatenus ad moralem noftram naturam refpicimus, neceffario propofitum finem vt obtineamus, noftro ftudio, noftra induftria effici nequit. Vt enim, legi obtemperantes, ita nos geramus, quemadmodum ciues regni intelligibilis, per libertatem fupra mundi fenfibilis conditionem elatos decet, tamen effectus ifte, qui in regno morali neceffarie cum dignitate coniunctus effe concipitur, fub nulla alia conditione fperari poteft, nifi vt Deus fit, qui naturam, per fe, quatenus a nobis cognofcitur, cum liber-

libertate haud congruam, secundum leges morales regat, et vita futura, in qua finis vltimus, cuius caussa naturam omnem rationabilem exsistere per legem moralem constat, obtineatur. Esse igitur Deum et vitam futuram credimus, quoniam legem libertatis ad exemplar mundi moralis regendae latam nobis esse scimus a priori. Haec vero fides moralis firma est et immutabilis, propterea quod ea, quibus hanc fidem damus, rationis decreta conditionem continent, sub qua sola is, quem necessario effici debere cognoscimus, finis vere aliquando potest obtineri. Quem igitur pectore gerimus mundum moralem aliquando effici debere eadem ratio postulat, quae iam hisce in terris ipsius legibus nos adstringit; quare quae vnica est huiusce vere constituendi conditio, ea ab omni ente morali fidem sibi postulat certam et irreuocabilem, quoniam nulla vnquam alia, sub qua summus naturae finis obtineri possit, poterit exeogitari. Dubium igitur illud, quod in fide tam pragmatica quam doctrinali superest, scilicet posse alias a perspicaciori ingenio finis obtinendi conditiones excogitari, aut rectiorem phaenomenorum theoretice explicandorum modum inueniri, in hanc fidem moralem omnino non cadit. Aut enim hic esse aut nullibi, quod quaerimus, secundum principia rationis effectibus expetitis caussas conuenientes assignantis, a priori constat.

Haud igitur *scire* nos aliquid de Deo aut vita futura, licet gloriari; in hoc enim arrogantia est demonstrationis speculatiuae, sed firmiter nos ita credere et certitudinem haec circa dogmata moralem habere dicendum est. Haec enim non obiectiuam aliquam rerum experientiae regionem excedentium cognitionem, sed nexum cum eo, quod respectu practico certum est et absolute imperatur, (lege morali) necessarium requirit. Obuia autem quamuis sit vnicuique ratione praedito et ad vniuscuiusque assensum excitandum prorsus sufficiens haec

haec fides moralis, attamen subiectiua est, quatenus moralis sensus siue mens ad grauitatem sanctamque autoritatem legis practicae agnoscendam aliquo saltem modo conformata, in hoc genere argumentationis requiritur. Mens enim erga id quod honestum sit vel turpe plane indifferens, nec dum moralis suae altiorisque dignitatis sibi conscia, habitu omni ad hanc probationis methodum foret destituta. Quare cum ipsi existentia Dei argumentis speculatiuis probanda foret, propterea numquam ad certam et immutabilem persuasionem posset peruenire; nec vero ipsius, quid hac de re sentiendum sit, multum interesse posset. At facile intelligitur, esse neminem, qui, etsi a recto isto sensu morali absit longissime, non magnum tamen hisce quaestionibus momentum adiiciat. Nam ratio tamen sufficiens erit, quae ipsum inducat vt Deum esse et vitam futuram vereatur; quum etiam ex rationibus speculatiuis horum contrarium demonstrari nequeat omnino. Ergo fides aliqua *negatiua*, etiam in maxime peruersis inuenitur, quae, licet haud e puro sensus moralis fonte profluxerit, tamen ad coercendas prauas cupidines et retinendos impetus vitiosi excessus virtutisque aliquod simulacrum in hominibus culturae moralis adhuc inexpertes efficiendum, vtilis erit. Quo vero magis excoletur sensus moralis, quo promtior ad quoduis bonum honestumque voluntas, quo paratior ad cuncta virtutis caussa et facienda et sustinenda animus erit, eo maius fidei morali incrementum accedet, eo faciliorem argumentis practicis aurem praebebimus. Quare vt recte credamus, recte agatur necesse est, quoque magis praeceptis moralibus imbutum pectus habebimus, eo certius nobis persuasum erit, alii nos quam huic mundo natos ad altiorem rerum ordinem pertinere, in quo omnis perfectior moralis natura conuenienti sibi sorte gaudere possit.

Sic

Sic absoluto canone id effectum est, vt vltra experientiae prouinciam egressis non scientiam sed fidem tantum, hanc vero sufficientem, firmaeque persuasioni aptissimam, quatenus in subiectis sensus moralis supponitur, praeberi intelligamus. Ex autem, quae hac fide amplectimur, dogmata, semper a sensu communi quasi per diuinationem aliquam inhaerentem ipsi agnita fuere: vnde quam arcte ipsorum suppositio cum necessitate morali cohaereat comprehenditur. Grato autem animo agnoscere et reuereri oportet prouidam, quae humano generi consulit, curam, cuius sapientissimo sane consilio effectum est, vt ea, quae ad hominum vitam recte instituendam et ad spem solatiumque in rebus aduersis pertinent, dogmata non ita abscondita remotaque sint, vt argumentis ad ipsa intelligenda speculatiuis et magno profundioris doctrinae apparatu opus habeamus: quanta enim foret hominum pars, quae sic abdita eruere, aut ab aliis in lucem prolata comprehendere et in vsum conuertere posset? — Verum e contrario aditus ad istas veritates facilis et in omnibus idem, quatenus omnes sensu morali praediti sunt; nec philosophus vel acutissimus de iis, quae cognoscere hominis interest maxime, plura sapiet, quam communi quilibet sensu, recte a iuventute inde exculto, praeditus comprehendere valet. Ab ea enim parte, in qua philosophus excellit, speculatiua scilicet, haec circa obiecta nihil effici potest, nisi forsan hoc in computum adducimus, inscitiae nostrae necessitatem ab hoc a priori demonstrari posse.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

LIBER TERTIUS.

De architectonica rationis purae.

§. 1.

Architectonicam vocamus artem systematis condendi. Est autem systema vnitas variarum cognitionum sub idea. Idea vero, a qua deductae partes systematis in vno cohaerent, est conceptus rationis de forma totius, variorum in hanc totius compositionem ingredientium copiam partiumque loca respectiua a priori determinans.

§. 2.

Vnitas systematica character est formalis scientiae, a cognitione communi (per aggregatum) *distinguendae.*

Idea scientifica siue principium scientiae a priori delineandae finem continet totius, et formam cum hoc fine conuenientem.

§. 3.

Vnitas finis, ad quem communis est partium relatio, et a quo habitus ipsarum respectiuus determinatur, completam totius systematici delineationem possibilem reddit, ita vt quibusdam partibus datis, quae adhuc desiderentur, cognosci possit a priori.

Vnde

Vnde efficitur, idea scientifica satis perspecta, atque euoluta, in compositione systematis nec additioni arbitrariae locum esse, nec aliquas partes ad libitum adimi posse; sed esse scientiae systema corpori simile organico, articulato, non coaceruato, quodque crescere possit per intus susceptionem, haud vero per appositionem, omnibus scilicet partibus in idea veluti embryone iam inuolutis.

§. 4.

Ad condendum totum schemate opus est, siue partium a priori, ex principio finis, constituta et quantitate et dispositione.

§. 5.

Schema, secundum conceptum empiricum et fines ad libitum constitutos delineatum, vnitatem comparat technicam, et contingentem: secundum ideam vero redactum, et omnes partes a priori comprehendens, vnitatem comparat architectonicam.

Veri nominis scientia non technice componitur propter variorum similitudinem, aut contingentis cognitionum vsus in concreto ad fines externos conuenientiam; sed conditur architectonice, propter affinitatem partium internam communemque omnium a summo per ideam constituto fine deriuationem. Quo fit, vt monogramma scientiae institui possit a priori, delineationem totius secundum membra constitutiua continens, obiectumque suum vt totum per se suisque terminis inclusum a quouis alio distinguens.

§. 6.

Omnibus scientiae condendae conatibus semper idea fundamento fuit. Verum vti fieri solet in principiis, hac idea non satis perspecta euolutaque, huc illuc euagatum fuit, nec euentus ideae protypo adaequatus prodiit. Hac

Haec in genere sors esse solet humana, vt quid in quouis genere recte aut cogitari aut effici possit sentiant prius, quam perspiciant. Laborem autem haud ita leuem illum veriti, qui in eo impendendus erat, vt ideas operatione analytica penitus euoluentes, quid tandem velint aut quaenam res agatur, sibi ipsis rationem sufficientem reddant, confusis aut saltem haud satis explicitis notionibus ratiocinia et scientiarum adeo systemata superstruere solent communiter, eoque confidentius, quo eius, quam tractant, scientiae fundamentum solidum magis ignorant.

Ideam igitur semper secuti sunt, qui scientiae condendae autores fuere: at ea in primordiis non satis explicata, materiam systemati condendo vndique allatam congessere, et male inter se cohaerentia respectu vario technice composita sunt; vsque dum ex naturali partium congestarum vnitate clarior ideae lux affulsit, tumque separatis, quae ad rem non pertinere visa sunt, cetera secundum nexum internum sub principiis rationis ad systematis organici solidam compagem redigi potuerunt. Quare in scientiae cuiusdam systemate iudicando non ad eam, quam ipse autor proposuit, instituti sui declarationem potissimum attendendum est, verum inuestiganda est secundum partium ab ipso allatarum idea, quae praeformata in mente ipsius latebat, et pretium ipsi secundum congruentiam aedificii sui cum hac dicendum est.

§. 7.

*Architectonica rationis purae monogramma exhibet philosophiae rationis purae; siue cognitionum rationalium *) ex conceptibus.*

Exclu-

*) Adnotatu hoc loco opus esse videtur, non omnem cognitionem, quae obiectiue rationalis est, etiam subiectiue rationalem fieri,

Excludit igitur tam cognitiones mathematicas ex constructione conceptuum, quam cognitiones a posteriori siue empiricas.

§. 8.

Philosophiae conceptus est duplex, doctrinalis vnus, (conceptus scholae) alter cosmicus, in quo ad vniuersale eiusdem pondus respicimus. (Quatenus ea tractat, quae

fieri. Quando enim omni cognitionum argumento relicto, non, vndenam petitae aut cuius sint ponderis, sed quomodo in singulo, a quo tenentur, subiecto cogitante consistant, perpendimus; tunc respectu mere subiectiuo cognitio aut rationalis est ex principiis, aut historica ex datis. Cognitio obiectiue siue per se rationalis, tamen in subiecto mere historica esse potest, quando scilicet aliquis hoc tantum tenet cognoscitque, quod ipsi alicunde datum traditumque fuit; et memoriter tantum retenta rursus depromere, haud vero ex principiis ipse deducere potest. Ex quibus efficitur, cognitionem philosophicam obiectiue rationalem tum primum subiectiue quoque rationalem fieri, quando principiis interius perspectis ipsi systema inde deducere possumus, quod proprio Marte stat, quasi a ratione nostra per eruditionem praeuiam tantum excitata, conditum atque excogitatum. Animaduertendum tamen est, mathematicam cognitionem eo differre a philosophica, quod numquam mere historica esse potest, sed in eo, qui ipsi discendae operam impenderit, simul subiectiue rationabilis euadit, ita vt mathematicam propositionem haud aliter tenere possimus, ac si ipsi primum eam propria meditatione inuenissemus. Huius autem discriminis ea potissimum caussa esse videtur, quod cognitionum mathematicarum principia certitudine euidenti valent, nec nisi simul cum schemate suo, in intuitione pura constituto, in mentem reuocari possunt, in quo schemate et obiectiua cognitionis realitas et demonstrabilitas intuitiua simul exhibentur. Philosophiae autem cognitio discursiua schemate omni caret, nec eiusdem demonstratio intuitiua dari potest: vnde saepissime fit, vt memoriter eiusdem placita retineantur, ad rationem vero adminiculo sensitiuo destitutam non transeant; sicque historice cognitis aggregentur, quae intus suscipi atque in propriam rationis legislationem conuerti fas erat.

quae scitu rationabilium dignissima sunt, et ad quae cognoscenda per ipsius rationis naturam compellimur.)

§. 9.

Philosophia secundum conceptum doctrinalem est systema perfectum cognitionis discursiuae; secundum conceptum cosmicum vero teleologia rationis humanae siue scientia de finibus principalibus rationis humanae omniumque cognitionum ad hosce relatione communi.

Conceptum doctrinalem acuratius examinantes, systema illud, quod in ipso cogitatur, sensu obiectiuo ideale esse intelligemus. Sensu enim obiectiuo eiusmodi philosophia vniuersalis foret, et prototypon, secundum quod omnes subiectiui in systemate concinnando conatus diiudicari deberent et aestimari. Huiusce vero philosophiae exemplar nusquam adhuc in concreto exiltit, sed idea est scientiae possibilis, ad quam quisque propria sibi via properamus omnes, vsque dum ectypon vitiosum illud ac defectiuum prototypo, quatenus per humanam sortem licet, simile effectum sit. Eo autem antequam peruentum sit, philosophiam (a subiectiuo aliquo systemate probe discernendam) discere non possumus; vbinam enim est aut quibus notis dignoscitur? sed philosophando vt assuescamus, et rationem in applicandis principiis generalibus ad ea, quae tentata fuere in philosophicis, molimina exerceamus, in hoc omnis, qui ab institutione percipi potest, fructus consistit. Illa autem doctorum hominum in systemate condendo studia ad scientificam cognitionum vnitatem seu perfectionem logicam siue formalem, quae per se expetitur, respiciunt. Quatenus autem argumentum philosophiae secundum eiusdem conceptum cosmicum consideramus, vnitas cognitionum philosophicarum constituitur systematica secundum nexum

vel propiorem vel remotiorem cum finibus, quos ratio necessarios et summos agnoscit in natura humana, et ad quod omnis cognitio vt ad vltimum aliquod punctum conciliationis referri debet. Hoc respectu philosophus non artifex amplius est systematis cognitionum rationalium concinnandi, sed legislator rationis humanae, quatenus quid fieri debeat, et ad quem scopum omnes facultatum cognoscitiuarum conatus dirigendi sint, praecipit.

Quantum igitur in mathematicis, aut in logica vel physica scientia, quantum speculatiuo studio in metaphysicis effectum est, ab hoc philosopho, rem gerente generis humani, tanquam medium consideratur, ad summos naturae nostrae fines promouendos aptum, et secundum internam ad hosce fines relationem in systemate teleologico comprehendendum. Eiusmodi autem philosophus, quemadmodum sapiens Stoicorum, nullibi quidem est in concreto; at eius idea in ratione indiuidui cuiuslibet inuenitur, dum, vti iam monstratum fuit, cognitioni philosophicae quisque tantum respectu practico dignitatem atque momentum adiungit, atque omne, quod sciri inueniriue potest, ex relatione cum summo, quem ratio humana sibi constituit, fine metitur.

§. 10.

Omnes rationis humanae (quippe perfecte systematicae quare et in ea sola systematis fons et origo est,) *fines sub vno summo et vltimo fine conciliari debent, in quo cetera omnia vt media concurrunt, veluti radii a peripheria communi circuli* (quo circumscriptam omnis cognoscibilis prouinciam cogitare licet) *ad commune centrum tendentes.*

§. 11

§. 11.

Finis supremus, ad quem natura omnis rationabilis constituta est, in eo vertitur, vt rationi imperium liberi arbitrii, per leges ab ipsa a priori sancitas (morales) *regendi, contra impulsus sensualitatis, secundum fines empiricos voluntatem determinantis, vindicetur.* (Conf. Can. rat. pur. Cap. I. §. 5.)

Ea autem, quae de hoc summo fine, in quo humani generis vltima destinatio cernitur, tractat scientia, *ethica vocatur* siue *philosophia morum.* In systemate igitur philosophicae cognitionis, respectu teleologico instituto, huic centralis debetur locus, ad quem cetera omnia, seu metaphysica sint ea, siue ad cognitionem naturalem pertinentia, quaeque ad intellectus et rationis regimen in genere (logica), quaeque ad rem publicam secundum principia constituendam pertinent (politica), referri debent.

§. 12.

Omnis philosophica cognitio, cui summum, ad quem referri debet, finem iam nunc indicauimus, vel pura est vel empirica.

Philosophiam *puram* appellamus eam, quae a puro rationis fonte omni experientia praetermissa hauritur: *empirica* est rationalis quidem cognitio, at principiis empiricis superinstructa. Hanc in architectonica rationis purae praetermittimus.

§. 13.

Philosophiae purae secundum duplicem rationis vsum, vel theoreticum (speculatiuum) *vel practicum, obiectum est duplex: natura et libertas. Philosophia naturae*

ad id quod est, philosophia circa libertatem, ad id, quod esse debet, siue legem moralem respicit.

Duo igitur in primordiis diuersa videmus cognitionis philosophicae systemata, quorum vnum leges naturales, alterum leges morales comprehendit: ambo autem respectu teleologico ad vnum philosophiae systema completum reuocantur.

§. 14.

Philosophiae purae praecursoria est propaedeutica siue critica rationis purae, quae in facultate rationis purae ad cognitionem puram a priori constituendam explorando versatur. Quam deinde insequitur scientia ipsa rationis purae, omnem tam veram quam speciosam cognitionem philosophicam, quatenus ex ratione pura deriuatur, nexu systematico comprehendens. Haec est quam metaphysicam scientiam appellamus.

§. 15.

Metaphysica secundum duplex rationis purae obiectum vel metaphysica est naturae, vel morum.

Metaphysica naturae siue metaphysica sensu arctiori continet principia pura ex conceptibus circa theoreticam rerum omnium cognitionem. *Metaphysica morum* exponit principia rationis, quae quid faciendum omittendumue sit (vsum libertatis in genere) a priori determinant: quare et ethica pura vocari potest, ab omni anthropologiae principio empirico aliena.

§. 16.

Metaphysicae sensu arctiori partes sunt duae: ontologia siue philosophia transscendentalis et physiologia rationis purae.

Ha-

Harum quae prior eſt pars, ontologiae nomine inſignita, ſyſtema exhibet omnium ab *intellectu et ratione* determinatorum tam conceptuum quam principiorum ad res in genere ſpectantium, nulla adhuc obiectorum datorum ratione habita. Haec eſt ea, quam in introductione philoſophiam transſcendentalem ſeu philoſophiam rationis purae mere ſpeculatiuae diximus. Phyſiologia autem rationalis *naturam* ſeu complexum obiectorum, per intuitionem (ſeu ſenſitiua illa ſit aut quocunque alio modo poſſibilis) praebitorum, conſiderat.

§. 17.

Phyſiologia rationalis concipi poteſt reſpectu duplici, quem immanentem et transſcendentem licet appellare.

Reſpectu immanenti natura conſideratur, quatenus, quae ipſius cognoſcuntur a priori, applicationem patiuntur in concreto ad experientiam determinandam; reſpectu vero transſcendenti, quatenus ad eum reſpicimus obiectorum nexum, qui omnem experientiam poſſibilem ſuperat atque excedit.

§. 18.

Phyſiologiae immanentis partes ſunt duae, phyſica rationalis et pſychologia rationalis. Transſcendentis ſimiliter dichotoma eſt diuiſio, ſecundum quam et coſmologiam et theologiam rationalem complectitur.

Phyſiologia immanens naturam ipſam conſiderat, qualis a nobis concipitur ſecundum conditiones a priori, ſub quibus ſolis dari atque a nobis percipi poteſt. Natura autem cum duplex ſit, ſeu corporea, quatenus in ſenſum externum cadit, ſiue cogitans, quae obiectum eſt ſenſus interni; inde metaphyſicam naturae duplicem eſſe oportet, vel corporeae vel cogi-

tantis naturae. Eam, quae naturae corporeae cognoscendae principia exhibet, a priori constituta, physicam; eam vero, quae de subiecto cogitante et secundum analogiam de spirituali natura in genere agit, psychologiam rationalem appellauimus. Physiologia autem transscendens, quae in nexu naturae, qui vltra omnem experientiam possibilem cogitari potest, inuestigando versatur, aut nexum sistit obiectorum internum inter se, aut vniuersae naturae nexum dynamicum cum ente extra et supra naturam omnem posito. Vnde duae ipsius partes, cosmologia nimirum et theologia rationalis, constituuntur.

§. 19.

Haec sic subdiuisa si faciliori obtutu vt iuxta se posita considerare volumus, quatuor inde efficiuntur schematis metaphysices proprie sic dictae partes principales: ontologia, physiologia rationalis sensu anguftiori, (physicam et psychologiam rationalem complectens) *cosmologia denique, et theologia rationalis.*

§. 20.

Haec, quam sic exposuimus, metaphysicae scientiae distributio architectonica est, quippe ab originaria philosophiae purae idea deriuata; propterea que immutabilis. Varia autem atque instabilia, quae passim in philosophorum systematibus inueniuntur, metaphysices schemata ex confusa nec satis determinata eiusdem notione profluxere.

Quamdiu rationis speculatiuae vsus aliquis exstitit, tam diu etiam de metaphysica scientia cogitatum fuit. Est autem hoc omni naturae ratiocinabili proprium, vt ab eo, quod percipitur in sensu, ad ea quae sunt in intellectu ascendat, primaque exquirat cogni-

tionis

tionis principia; vnde metaphyficam aliquam omni rationi ineffe naturaliter per fe patet. At fimul hoc quoque certum eft, differentiam fpecificam elementorum cognitionis, quorum vnum a priori plane noftrum eft ac immutabile, alterum vero, quod a pofteriori fiue ab experientia petitur, varium atque mutabile, numquam fatis clare perfpectam fuiffe, ita vt partes cognitionis heterogenae paffim coaceruarentur, vnde inftabilis metaphyficae et definitio et diftributio originem traxit, et puritas fcientiae corrupta eft. Vt quaedam e multis afferamus, fic faepiffime metaphyficam definierunt, vt fit fcientia de primis cognitionis humanae principiis. In qua definitione hoc notandum eft, quod non, vti fas erat, diftinctum aliquod ac plane difcretum, ab aliis cognitionibus genus, fed nobilitas tantum aliqua fecundum vniuerfalitatem principiorum defignaretur. Hoc vero criterio metaphyficam fcientiam haud fatis ab empirica cognitione diftingui, in propatulo eft. Sunt enim et empirica principia alia aliis altiora; ficque finis certus non datur, quo metaphyfices dominium ab aliis feparetur cognitionis partibus. Vt exemplo rem illuftremus, fi fecundum iftam definitionem a metaphyfico quaerimus, num conceptus extenfi ad metaphyficam pertineat? Imo vero refpondebit. At corporis quoque? — Concedit adhuc. Num vero corporis etiam fluidi? — Haerebit dubius; iam enim hoc more fi progredimur, omnia in metaphyficam pertrahi poffe intelligitur. Vnde patet, non gradum aliquem fubordinationis particularium fub generalibus, fed originis tantum abfimilitatem et differentiam genuinam, diftinctioni inter varia cognitionum genera ftabiliendae aptam effe. Hac autem non fatis perfpecta vaga funt omnia, atque incerti in definienda fcientia conatus, quo factum eft, vt mathefin puram ad metaphyficen pertinere non poffe fentiretur quidem, at ex

certis principiis demonſtrari non poſſet. Eadem limitum transgreſſio etiam admixtioni empiricae in metaphyſica ſyſtemata cauſſa fuit, quum plerumque pſychologiam empiricam in iſta pertraherent, quae tamen ſicuti phyſica empirica ſiue proprie ſic dicta ad philoſophiam applicatam ſiue empiricam referri debet.

§. 21.
Dubium circa Phyſiologiam rationalem remouetur.

Sin autem forent, qui e nobis quaererent, quonam modo phyſiologia rationalis poſſibilis ſit, quum obiecta tamen a poſteriori dari neceſſe ſit; quid ad hoc reſpondeatur, in promtu eſt. Nihil ab experientia deſuminus, niſi quod ad obiectum ſenſus vel externi vel interni conſtituendum requiritur. Hoc autem fit, quoad ſenſum externum, per conceptum materiae (exporrecti impenetrabilis), quoad ſenſum internum per conceptum ſubiecti cogitantis, quale per repraeſentationem internam: cogito, cuius empirice mihi conſcius ſum ſiſtitur. Subſtratum igitur vnice quaerimus obiecti poſſibilis: ceterum in metaphyſica de hiſce obiectis cognitione ab omni principio empirico, per quod hiſce nudis conceptibus experimentale aliquod addi poſſit, penitus eſt abſtinendum.

§. 22.
De metaphyſicae ſcientiae vi ac dignitate.

Quantum in hac, de cuius ſchemate hucusque tractauimus, metaphyſica ſcientia profici poſſit, quidque in ipſa verae cognitionis reperiatur, quaeue ad ſpecioſam atque illuſoriam dialecticam pertineant, in critica noſtra ſatis expoſitum eſſe arbitramur. Fuit autem haec a primis inde primordiis ipſius ſors, vt limitum cognitionis humanae ignari, nimiam de ipſa exſpe-

exſpectationem foucrent, et *transſcendenti* eius vſui demonſtrando inhiantes *immanentem* et genuinum ipſius vſum praeter meritum negligerent: ac deinde ſpe illa detruſi omnem penitus metaphyſicam ingrati poſtponerent, atque aſpernarentur. Attamen ea eſt ipſius et vis et dignitas, vt nulla principiis ab ea petitis ſcientia carere poſſit. Obiectiua enim in hac matheſeos realitas (ſiue axiomatum matheſeos ad obiecta data demonſtrabilis applicatio), nec non phyſicae omnis atque moralis philoſophiae principia pura continentur. Imo religionis cognitio adiumento metaphyſico carere nequit. Quamquam enim — quod fruſtra hucusque tentatum fuit — cardinalia religionis dogmata demonſtrari metaphyſice nequeant; attamen neceſſarius eſt ipſius aduerſus antagoniſtarum dogmaticorum aggreſſiones vſus, praetereaque conceptibus, quorum realitas aliqua alicunde aſſeri poteſt, accurate determinandis inſeruit. (Conf. Dial. transſc. Lib. II. Cap. 3. Sect. 3. §. 9.) Cenſuram praeterea exercet vtilem in cognitionum principiis diſtinguendis, et vnicuique vſum vimque particularem aſſignando, abuſus reſcindendo. Quo fit, vt quamuis contemta ad tempus, ſemper in auxilium vocetur iterum, quoniam niſi per ipſam cultura rationis numquam conſummari, atque, quod maximum eſt in homine, ad cognitionem ſui perfectam ratio conduci nequit.

ADDITAMENTUM.

Quamquam hoc loco tantum metaphyſicae monogramma nobis exhibendum erat, attamen haud ingratum lectori facere opinamur, ſi omnis philoſophiae cognitionis ſchema, ad principia Kantii accommodatum, breui obtutu perſpiciendum exhibemus.

Philo-

Philosophia est

- Pura
  - Formalis (Logica)
  - Materialis (Metaphysica) (cuius praepaedeutica Critica)
    - Naturae
      - Ontologia, Physiologia rationis purae
        - Immanens,
          - Physica rationalis.
          - Psychologia rationalis.
        - transscendens
          - Cosmologia rationalis.
          - Theologia rationalis.
    - Morum Ethica pura.
- Empirica
  - Physica proprie sic dicta
  - Psychologia empirica
  - Anthropologia, siue ethica applicata.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS
LIBER QUARTUS.
Historia rationis purae.

§. 1.
Instituti ratio.

Non expositionem aliquam completam historiae systematum, quae in scientia rationis purae condenda a primordiis ad nostra vsque tempora tentata fuerunt, exhibere in animo est, sed indicare potius locum, qui aliquando in systemate philosophiae purae explendus est, et grauissima, ad quae in eiusmodi historia enarranda attendendum est maxime, momenta sistere voluimus.

§. 2.
De philosophiae speculatiuae originibus.

Omnis speculatiua philosophia inde exorsa est, in quo eam terminari rectius existimare possemus, a theologia nimirum et doctrina morali. Hoc vero etiamsi historia testis non perdoceret, tamen ita fieri debuisse censendum foret. Sensit enim mature intellectus communis, quanam ex parte omne, quod sciri potest, ipsius vere intersit cognoscere, rectumque vitae huiusce transitoriae pretium statuens, quid vltra ipsam sperari aut sciri possit, inuestigauit; ac mature iam, inuisibili isti, quod mundum regit, numini non posse

posse placeri, nisi hac vita bene recteque gesta intelligens, quid facto opus sit examinauit. Sic theologia atque ethica caussae primae atque stimuli fuerunt scientiae speculatiuae instituendae. Sic excitatum philosophiae speculatiuae studium varios deinde casus subiit, in quibus enumerandis potissimum ad diuersas philosophorum circa *obiectum*, *originem*, et *methodologiam* cognitionum purarum sententias attendendum est. Si circa fata philosophiae inquirimus, quae secundum varios principum philosophorum ideas mutabilia fuerunt, ad haec potissimum tria momenta attendendum est.

§. 3.

Circa obiectum cognitionis purae duplex datur schola; vna philosophorum sensualium, cuius Epicurus princeps est, altera intellectualium, cuius Platonem autorem nouimus.

Iam a primis inde philosophiae exordiis inter sensibilia et intelligibilia discrimen in scholis ventilatum fuit, et magna semper et ad nostra vsque tempora producta lis exstitit, quanam scilicet ex parte realitas sit obiecti, aut vana species. Quos sensuales appellauimus philosophos, ii duce Epicuro rebus sensibilibus solis inesse realitatem, cetera omnia ad vanas imaginationis species redire, quibus nulla praeter logicam veritas insit, contendebant. Qui a partibus oppositis stabant, Platonici, obiecta tantum per intellectum cognosci posse aiebant, in quo sola sit veritas, in sensu nihil inesse praeter speciem, puram intellectus cognitionem perturbantem, quaeque primum meditatione secerni debeat, antequam obiectum intelligibile cognosci possit.

§. 4.

§. 4.

Circa originem cognitionum rationalium inter se decertarunt schola Empiristarum, ab Aristotele condita, et Noologistarum Platonica.

Empiristae omnem cognitionem ab experientia, tanquam fundamento deriuandam esse censent; Noologistae dari rationem puram, quae per se fons sit cognitionum profitentur. Aristotelem inter recentiores Lockius, Platonem Leibnitius secutus est. Laudandus in hisce Epicurus, qui cum obiecta tantum sensibilia statueret, nullum sibi circa obiecta in experientia non dabilia iudicium permittebat. Haud ita constantes sibi fuere Aristotelici, et Lockii schola, dum, quamuis omnis conceptus omniaque cognoscendi principia ab experientia deriuarent, tamen eorum dogmaticum instituerent vsum, circa obiecta suprasensibilia, adeo vt Lockius posse existentiam diuinam vitamque futuram mathematice demonstrari perhiberet, quae tamen obiecta in nulla vnquam experientia sisti possunt.

§. 5.

Quoad methodum duplicem hucusque viam ingressi sunt, aut naturalisticam aut scientificam.

Naturalistas circa methodum rationis purae eos voco, qui id sectantur principium, per intellectum communem absque scientia summas istas, quae obiecta sunt metaphysices, quaestiones multo melius rectiusque resolui posse, quam per disquisitionem speculatiuam. Horum ea est ratio, ac eorum, qui quantum luna a sole distet multo melius simplici aspectu quam per ambages mathematicas aestimari posse contenderent. Eiusmodi autem omnis methodi neglectum et affectatum rationis odium (μισολογιαν) tanquam

CORRIGENDA.

Quamuis in plurimis laudanda fit nobis in hoc volumine excudendo tam typographi quam correctoris follertia, attamen pleraque paffim irrepferunt vitia, quibus nos, a loco impreffionis videlicet longius remoti, medelam ipfi adhibere non potuimus. Quapropter lectorem fedulo monendum effe cenfuimus, vt *antequam ad librum perlegendum accedat*, haec, quae fubinde recenfentur, errata corrigere velit; quod ni fecerit, in contrariam noftrae fententiam ne abripiatur, vix poterit caueri.

Pag. 3. lin. 15. atque infeperabile, lege *infeparabile*, verbum „atque" dele.
— 7. — 1. Sun lege *funt*.
— 7. — 8. ut lege *ut*, (commate adiecto,).
— 7. — 12. mus l. *us*
— 10. — 19. Arithmeticam et lege *Arithmeticam videlicet, et*
— 10. — 30, 31. Quanti quantitatum, l. *quanti* (voce „*quantitatum*" deleta).
— 11. — penultima (a—) l. (a=a)
— 11. — ultima (a+b)7a) l. (a+b> a)
— 13. — 9. conftituae l. *conftituat*.
— 13. — 4. (ab infra) de l. *in*
— 14. — 7. Methaphyfica l. *Metaphyfica* (et fic al. paffim loc.)
— 14. — 22. fpectare in l. *fpectare, et in*
— 15. — 11. derinauit l. *derinauit*
— 20. — 11. producit l. *procreat*
— 23. — 5 (ab infra) Ab l. *Ad*
— 31. — 16. quidquid l. *quid*
— 31. — 17, *dentur*, penitus delendum eft.
— 31. — 18. alterna l. *altera*.
— 32. — 7 (ab infra) illimitatem l. *illimitatum*.
— 41. — 7 (ab infra) iudi- l. *indi-*
— 41. — 8 (ab infra) quae intuitionem l. *quae per intuitionem*
— 43. — 2. na- l. *no*.
— 43. — 18. iam l. *to*
— 54. — 4. (ab infra) compellere l. *compellare*
— 61. — 7. quodam l. *quadam*
— 63. — 7 (ab infra) datis l. *fatis*
— 66. — 1 (ab infra) ita l. *bita*
— 68. — 3. fubiecti iudiciis l. *fubiecti in iudiciis*
— 73. — 8. a priori; exhibita l. *a priori exhibita;*
— 97. — 16. eum l. *cum*
— 108. — 11. fpeciofa haec l. *fpeciofa, haec*
— 117. — 15. naturae, quoad l. *naturae, (natura materialiter fpectata) quoad*
— 121. — 11 (ab infra) fuefcant l. *fuefaciant*.
— 126. — 5. quantitatis l. *quantitas*
— 133. — 2 (ab infra) cogitationi locus l. *cogitationi reali locus*.
— 134. — 2 (ab infra) differunt l. *differant*
— 150. — 1 (ab infra) minor fit, diftantia l. *minor fit diftantia* (commate deleto)
— 154. — 11 (ab infr.) omnimode l. *omnimodo* (ut fic plur. loc.)
— 156. — 7. haberet l. *habere*
— 158. — 5. (ab infra) indicauimus l. *indicauimus*
— 160. — 9. (ab infra) quod l. *quo*

Pag. 161. lin. 10. progrediamus l. *progrediamur.*
— 168. — 19. scilicet aut l. *scilicet unus aut*
— 171. — 9. inuenieemus et l. *inuenieemus, in aliis definitum et*
— 182. — 5. (ab infra) *successiuam* l. *successiuam*
— 193. — 18, *experienitae* l. *experientiae*
— 196. — 13 (ab infra) positione vanum l. *positione, vanum*
— 200. — 1. realium maior l. *realium copia maior*
— 200. — 16. instructae sunt i. *instructa, sunt*
— 206. — 8. Possibilitatis l. *Possibilitas*
— 215. — 11. Cogitari l. *Cogitare*
— 215. — 5 (ab infra) adhibere l. *adhiberi*
— 222. — 4. multorum l. *multarum*
— 231. — 12 (ab infra) *oppositae* l. *appositae*
— 248. — 5. sit l. *fit*
— 257. — 15. nec l. *et*
— 258. — 12. qualem l. *qualis*
— 270. — 11, 12 (ab infr.) relatione ad, l. *relatione repraesentantium ad*
— 273. — 8 (ab infr.) consequentur l. *consequuntur.*
— 281. — 7. haberi, debeat l. *haberi debeat,*
— 284. — 5. intentarum l. *institutarum*
— 289. — 9. praestantissima illa l. *praestantissime illa*
— 289. — 10. quam l. *quem*
— 296. — 13. cunctarum l. *cunctorum*
— 296. — 14. singularum l. *singulorum.*
— 300. — 10 (ab infr.) certis l. *ceteris*
— 305. — 12 (ab infr.) ab l. *ad*
— 313. — 8 (ab infr.) se ipsum l. *ipsum se*
— 329. — 11. imcipere l. *incepisse*
— 341. — 6. enim ipsa pars l. *enim pars*
— 342. — 13. reposita l. *repositam*
— 347. — 10 (ab infr.) possibilitas l. *possibilitatis*
— 358. — 13 (ab infr.) parte l. *pare*
— 360. — 6 (ab infr.) experientia posse l. *experientia dari posse*
— 363. — 16. determinaretur l. *terminaretur.*
— 403. — 11. conditioni l. *conditione.*
— 406. — 4 (ab infr.) Dei modus l. *Dei probandae modus*
— 412. — 10 (ab infr.) cogitari l. *cogitare*
— 414. — 17. ipsum l. *ipsam*
— 422. — 3 (ab infr.) coniunctionis l. *conuictionis*
— 443. — 3 (ab infr.) quae l. *qui*
— 445. — 20. Si l. *Sic.*
— 470. — 19. docebat l. *decebat*
— 478. — 6. *ingenii* l. *ingenium*
— 497. — cogemur l. *cogamur.*
— 498. inde a linea 16 ita legendum est: at idealismus criticus inuenit terminum, et litem resoluit. Omnis enim controuersia in malo intellecta obiectorum, qualia nos cognoscimus, natura haerebat; dum scilicet quae phaenomena sunt, ex opinione vulgari pro rebus haberentur, per se spectatis, in quibus completa, conditionum synthesis postulabatur, quam de phaenomenis exspectare haud licet. Simulac itaque ea, a qua omnis controuersia pendebat, suppositio, phaenomenon scilicet, qua tale, esse aliquid per se datum, refutata erat,
Pag. 501. lin. 3. *ipsis* lege *ipsius*
— [illegible] — 10. [illegible] l. *pertinet.*

